Digitized by Google



Digitized by Google

<36635063660013 S

<36635063660013

Bayer. Staatsbibliothek

Digitized by Google

4° Liturg. 238

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE CULTU SACROSANCTI CORDIS DEI AC DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

In variis Chriſtiani orbis Provinciis jam propagato.

AUTHORE

R. P. JOSEPHO DE GALLIFFET.

Societatis JESU Sacerdote.



ROMAE.

Apud JOANNEM MARIAM SALVIONI,


M. DCCXXVI.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Bayerische
Staatsbibliothek
München
Digitized by Google


Digitized by Google



SS. Cor Ieſu his inſignibus inſtructum in viſione Cæleſti Ven: Mat: Marg: Alacoque Ord. Viſit. B. V. M. monſtratum eſt. Placuit autem SS. Cor in sua naturali forma ac magnitudine qualis in humano corpore eſſe ſolet ſculpi facere.

Carolus Natoyr del. — Petrus Mossini Sculp.

Digitized by Google



Tuam ipsius animam pertransibit gladius Luc. 2

COR MARIÆ *immaculatum amore Iesu quo ardes inflamma*

Cor nostrum

Carolus Natoyr del. *Petrus Massini Sculp.*

Digitized by Google

BENEDICTO XIII.
PONTIFICI MAXIMO.

BEATISSIME PATER,

NOvum opuſculum ad honorem Chriſti Domini unice ſcriptum SANCTITATI VESTRÆ demiſſiſſime,

Digitized by Google

ut decet, pedibus ejus provolutus, ſed fidenter tamen offero. Quamvis enim apprime ſentiam; quam parum libellus hic meus Majeſtate Pontificia dignus ſit ex aliis quidem capitibus quæ apud homines commendare librum ſolent, at certe ex materia quam complectitur, & ex fine quo tendit, viſus eſt SANCTITATIS VESTRÆ attentione digniſſimus. Agitur enim, BEATISSIME PATER, de nova gloria Jeſu Chriſto parienda. Agitur de novo gratiarum fonte in Eccleſia aperiendo. Quæ duo ſane, ad Vicarii Chriſti ſupremique Paſtoris ſollicitudinem ac vigilantiam excitandam, aptiſſima ſunt.

Li-

Digitized by Google

Libelli noſtri materia de Excellentia Cordis Jeſu eſt; quam paucis olim Sanctis viris cognitam, his temporibus toti Eccleſiæ ipſe Dominus manifeſtare dignatus eſt: unde novam diviniſſimo Cordi, adeoque ipſi Jeſu, gloriam efflore ſcere neceſſe eſt. Finis intentus hic eſt, ut eidem ſanctiſſimo & amantiſſimo Cordi cultus & amor debitus a Fidelibus adhibeatur: ex quo novus & exuberantiſſimus gratiarum fons, juxta divinum conſilium, in Eccleſia exoriri debet. Et ſane, BEATISSIME PATER, jam ab univerſali Eccleſia colitur ſolemniſſimo ritu Caro ſanctiſſima Chriſti, Corpus ejus videlicet & Sanguis; coli-

tur Crux, coluntur vulnera, colitur & ipſum Jeſu nomen. Quæ religionis officia, aliaque ejuſmodi non pauca, ſingulari Dei beneficio, ad ipſius Jeſu Chriſti gloriam, Eccleſiæque utilitatem, inſtituta & credimus & gaudemus. Nunc, ad beneficiorum cumulum, amantiſſimus Dominus ſimîlem honorem Cordi ſuo ſacroſancto conciliare vult. Quod quidem beneficium, ſi recte inſpiciatur, illa priora non æquare modo, verum etiam ſuperare non immerito videri poteſt. Quid enim divinus Sponſus, Eccleſiæ ſponſæ exhibere ad amandum & colendum unquam potuit, Corde ſuo pretioſius, ſanctius, amabilius, divinius, ditius, omni-

que

Digitized by Google

que gratiarum genere fœcundius.

Ego vero, BEATISSIME PATER, de rebus omnibus ad iſtud pietatis officium pertinentibus, XL. annorum experientiâ plane edoctus, ejus originem, progreſſum, naturam, excellentiam, ac praxim hocce libello complectens, demonſtrare, Deo bene juvante, conabor, tum authoritate, tum ratione, tum etiam divinis nec ſuſpectis revelationibus, tum maxime expoſitione rerum a divina Providentia geſtarum, quæ certum Dei conſilium in re præſenti oſtendere poſſunt, conabor inquam, demonſtrare cultum propoſitum erga Cor Jeſu eſſe per ſe ſanctiſſimum ac ſolidiſſimum,

Deo

Digitized by Google

Deo Patri & Chriſto Jeſu in primis acceptum, animabus interiori vitæ deditis maxime proprium, denique toti Eccleſiæ utiliſſimum ac deſideratiſſimum. Utrum vero hoc ſufficienter ad finem intentum effecturus ſim, cupio vehementer, ut SANCTITAS VESTRA ipſa diſpiciat, dijudicetque. Quare Dominum Jeſum enixiſſime precor, ut SANCTITATI VESTRÆ animum injicere velit libellum noſtrum perlegendi, quo ipſa per ſeſe, dirigente Spiritu Sancto quo plena eſt, intelligere poſſit, quæ ſit in re iſta Chriſti voluntas, & conſequenter quæ ejus in terris Vicarii partes eſſe debeant.

Sci-

Scitur Beatæ Gertrudi olim divinitus revelatum, excellentiam Cordis Jeſu ultimis Eccleſiæ temporibus eſſe manifeſtandam, hocque præſtantiſſimum munus, ad refrigeſcentem charitatem accendendam, a divina miſericordia, tanquam modum efficaciſſimum eſſe reſervatum. Utinam, BEATISSIME PATER, *quod omnium Cordis Jeſu ſtudioſorum votum eſt, tempus illud optatiſſimum, tanto ante prænunciatum, præſentem Pontificatum reſpiciat. Ego quidem ſpem meam, quam ab ipſo creationis* SANCTITATIS VESTRÆ *principio corde concepi, hîc ingenue profitebor, intimumque animi mei ſenſum aperire* *lib. 4. c. 4. edit. Ital. Venet. an. 1710.*

b *non*

non dubitabo. Quum primum SANCTITATEM VESTRAM ad Petri ſolium evectam fuiſſe rumor publicus nunciavit, Romaque univerſa eventum, in quo Dei conſilium contra humanas cogitationes tantopere elucebat, lætabunda admiraretur; ego qui probe noveram, quam ardentes ad Deum preces, toto durante ſacro Conclavi, fuſæ eſſent, ut divina bonitas eum Eccleſiæ Pontificem præficere vellet, cujus favore & authoritate, cultus Cordis Jeſu recipi in univerſa Eccleſia poſſet, rei exitum tacitus conſiderans, hac continuo ſpe dulciſſima cor meum deliniri ſenſi, ſcilicet Chriſtum Jeſum hac ratione extraordinaria,

quem-

Digitized by Google

quemadmodum in aliis ſuis operibus ſolet, parare ſibi voluiſſe miniſtrum fidelem, cujus tandem opera ac ſtudio, in cultu Cordis ſui ſtabiliendo uteretur. Spem augebat mirum in modum, quod ad divinam ſapientiam pertinere intelligebam, ut ad cultum Cordis Jeſu promovendum is maxime Pontifex delectus eſſet, qui eidem Cordi eſſet gratiſſimus; quique Cor gereret Cordi diviniſſimo ſimillimum. Hanc vero laudem ſciebam nemini magis eſſe propriam quam SANCTITATI VESTRÆ, cujus ab incunabulis hic verus cordis caracter fuit, ut humilitate, charitate, mundi contemtu, voluptatis averſatione, pauperũ cu-

Digitized by Google

râ, zelo honoris Dei, Templorum cultu, aliiſque virtutibus quarum exempla edere nunquam ceſſavit, Cordis Jeſu ſimilitudinem referret.

Cæterum, BEATISSIME PATER, quum me SANCTITAS VESTRA de pietate erga Cor Jeſu loquentem audit, ne velim exiſtimet, me novum aliquid ad ſedem Apoſtolicam afferre quod aut ſuſpectum videri poſſit, aut etiam Eccleſiæ incognitum. Sentiet enim SANCTITAS VESTRA ſi opuſculum noſtrum decurrere dignabitur, hocce pietatis officium totâ jam Eccleſiâ, ſingulari Dei Providentiâ, Epiſcoporum authoritate dilatatum & amplificatum; imo ab ipſa etiam

Ro-

Digitized by Google

Romana Sede innumeris locis Indulgentiis decoratum. Verum his Chriſtus Jeſus contentus non eſt; aliquid amplius deſiderat, nimirum certam Romani Pontificis approbationem, quâ, pietatis officium ſibi gratiſſimum, rite munitum, populo Chriſtiano acceptius ſit, rituque ſolemni ubique abſque contradictione celebrari queat. Hanc porro approbationem BEATISSIME PATER, *ardentiſſimis votis animæ ſanctæ numero infinitæ tota Eccleſia diſperſæ efflagitant; hanc Epiſcopi ſexcentis locis expectant, ac deſiderant; hanc Principes Regeſque a* BEATITUDINE VESTRA *poſtulare parati ſunt. Nos autem*

Digitized by Google

Dei, ut confidimus, obſequentes voluntati, conſiliorum ejus executioni, hoc opuſculo viam ſternimus; neque alius nobis in ſcribendo ſcopus fuit. Alit ſpem de SANCTITATIS VESTRÆ favore conceptam recordatio feſtivitatum huic, quam expectamus, ſimilium a deceſſoribus ſuis jam in Eccleſia tanto Fidelium fructu conditarum. Sic Urbanus IV. ſingulari ipſius laude nunquam interitura, ſolemnitatem inſtituit Corporis & Sanguinis Chriſti. Gloriam non abſimilem ſibi vindicavit S. Pius V. officium & Miſſam pro Celebritate ſanctiſſimi Nominis Jeſu indicendo. Sic alii Pontifices alias feſtivitates, Crucis, Vulnerum, Su-

darii,

Digitized by Google

darii, ſpineæ coronæ, cæteraſque e-juſmodi divino inſtinctu probavere, & apud fideles induxere. Quidni ergo ſperemus ſolemnitatem Cordis Jeſu, qua nulla ſanctior, nulla ſuavior, nulla amabilior, opus BENEDICTI XIII. eſſe futurum: hocque ſuæ in Jeſum pietatis & amoris monumentum SANCTITATEM VESTRAM poſteris eſſe relicturam.

Hunc porro honorem BEATISSIME PATER, ſi SANCTITAS VESTRA Cordi diviniſſimo procreare ſtudeat, quantam gratiarum vim ex illo miſericordiæ fonte in ſe derivandam ſperandum eſt? Quid in illo divinæ potentiæ ac beneficen-

tiæ

Digitized by Google

tiæ theſauro, auxilii viriumque ad ſublime munus quod gerit ſanćte exequendum non reperiet? Eget enim vero in arduo univerſalis Eccleſiæ regimine, ſapientiâ in negotiis tractandis plane divinâ. Eget patientia in laboribus continuis ferendis indefeſſa. Eget fortitudine ac cõſtantia in difficultatibus ſuperandis pluſquam humana. Nec minus eget ad durandum, aliqua quietis ac ſolatii parte. At Corde Jeſu nihil in conſiliis capiendis ſapientius; nihil in laboribus tolerandis patientius; nihil ad corroborandum fortius, denique ad quietem ac ſolatium, nihil dulcius, nihil ſuavius, nihil jucundius. Hæc, BEATISSIME PA-

TER,

Digitized by Google

TER, quam vere a nobis dicantur, cupimus, ut SANCTITAS VESTRA experientia comprobet, & ad ipſius fœlicitatem ardentiſſimis votis a Deo Opt. Max. flagitamus, & flagitare non ceſſabimus.

SANCTISSIME PATER,

SANCTITATIS VESTRÆ,

Humillimus & obſequentiſſimus
Servus ac Filius,
Joſephus DE GALLIFFET,
Societatis JESU.

c Quum

Digitized by Google

QUum ſanctiſſimus D. N. Urbanus Papa VIII. die 13. Martii anno 1625. in S. Congregatione S. R. & univerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julii anno 1634. quo inhibuit imprimi libros, hominum qui ſanctitate, ſeu martyrii fama celebres e vita migraverunt, geſta, miracula, vel revelationes, ſeu quæcunque beneficia tanquam eorum interceſſionibus a Deo accepta continentes, ſine recognitione atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem ſanctiſſimus die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolute, & quæ cadunt ſuper perſonam, ſed ea dumtaxat quæ cadunt ſupra mores, & opinionem: cum proteſtatione in principio, quod iis nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantum ſit penes Authorem. Huic Decreto, ejuſque confirmationi, & declarationi, qua par eſt obſervantia & reverentia inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu quicquid in hoc libro refero accipere, aut accipi ab ullo velle, quam quo ea ſolent, quæ humana dumtaxat authoritate, non autem divina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ aut ſanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur; iis tantummodo exceptis, quos eadem Sancta Sedes, Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.

MI-

Digitized by Google

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

QUum librum, cui titulus: *De cultu Sacroſancti Cordis Dei ac Domini noſtri Jeſu Chriſti a P. Joſepho de Galliffet Societatis noſtræ Sacerdote* conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ita videbitur. Cujus rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 6. Septembris 1725.

Michael Angelus Tamburinus.

APPROBATIO

Reverendi admodum Patris F. Bernardini Membrive Ordinis S. Dominici, Prædicatoris Regis Catholici, Qualificat. Inquiſit. Generalis Hiſpan. Theologi Regis Magnæ Britanniæ, Provincialis Scotiæ, & Conſultor Congregationis SS. Rituum.

QUum librum, cui titulus *De Cultu Cordis Dei ac Domini Noſtri Jeſu Chriſti*, *ab admodum R. P. Joſepho de Galliffet Societatis Jeſu, Galliæ Aſſiſtente* compoſitum, *& vitam ven. Matris Margaritæ Mariæ Alacoque, Ordinis B. Virginis Mariæ a Viſitatione, juſſu Patris ſui ſpiritualis ab ipſamet exaratam*, de commiſſione Reverendiſſimi Patris Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri, non minori animi mei ædificatione, quam cura viderim; in ejus lectio-

ctione illico mihi in mentem venit prophetia Simeonis, & & in veritate comperi, his temporibus evenire Cordi Jeſu, quod de ipſomet Domino noſtro Jeſu prophetavit S. Senex: *Hic poſitus eſt in ruinam, & ſignum cui contradicetur: ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Quis credet auditui noſtro? In cujus mentem venire poteſt, quod quum Dominus Jeſus miſiſſet in cor hujus ven. ſuæ ſervæ affectum propagandi ſpeciali cultu amorem Cordis ſui, Chriſtiani ex hoc ſcandalum ſibi ſumerent; verentes, ne Chriſtus dividatur. Hoc tamen ſcandalum non diſſimile eſt alteri, de quo conqueſti ſunt Diſcipuli, quando Phariſæis ſcandalum fecit parabola Chriſti de corde impiorum. Sed ſicut Chriſtus floccifecit Phariſæos tunc murmurantes, ſic & nos relinquamus oblatrantes contra cultum Cordis Jeſu; cæci enim ſunt, & duces cæcorum. Hi namque, etſi labiis honorare totum ſibi Jeſum videantur, cor autem eorum longe eſſe a Jeſu Corde, hujus operis lectio clariſſime manifeſtat; illiſque teſtimonium perhibet, *quod æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.* Sanctiſſimam Jeſu faciem in Veronicæ linteo impreſſam, omnis terra veneratur, quin ulli uſquemodo ſcandalum fecerit hæc ſolemnitas; nec aut ex ea, aut aliis hujuſcemodi feſtivitatibus diviſus fuerit Chriſtus: ſic nemo incaute ſigna ſua ponere; atque in dulciſſimum Cor Jeſu contradictionis tela vibrare deberet, ne Populus Chriſtianus fraudetur tot bonis, quæ omnes, immo et ipſi contradictores, ex hujuſce Religionis propagatione poſſent haurire. Futurum quippe ſpero, ut ſanguis pretioſiſſimus vivifici Cordis Jeſu, lineas hujus operis, veluti per ſubtiliſſimas arterias oppoſitorum corda demulceat, ac omnium animos ad mutuum amorem erga divinum amatorem accendat. Author ſiquidem hocce in opere bene omnia fecit: vindicat ſuperabunde ab objectis cultum Cordis Jeſu: demonſtrat puritatem cordis ven. Margaritæ, quæ teſte Bernardo, *in duobus conſiſtit, in gloria Dei &*

Luc. 2.
Matth. 15.
Ad Rom. 9.
In Apolog.

& *utilitate proximi*. Quæ duo nullibi melius reperiuntur, quam in Corde amantiſſimi Jeſu. *Eructat* denique cor Authoris *verbum bonum*, dicat *opera ſua Regi*, Summo Sacerdoti Pont. Max. BENEDICTO XIII. cui mirifice conſonat ſententia Caſſiani: *Vis ſcire de fratre tuo quale cor habeat? Attende, unde libentius & frequentius loquatur; ex abundantia enim cordis os loquitur.* Et quum noſter Sanctiſſimus BENEDICTUS XIII. pro more, Paſtoralis officii curis cumulatiſſime expletis, reliquum tempus, conſortia hominum fugiens, libenter inſumat in dulci colloquio, cum, aut de Jeſu & Mariæ Cordibus, profecto hoc opus jure ſibi vendicat. Et ſi Benedictus XI. Ordinis etiam Prædicatorum frigeſcente mundo, ad inflammanda corda noſtra Jeſu amoris igne, S. Patris Franciſci ſtigmata ſolemnitate duplici celebrari voluit: Quid non faciet noſter BENEDICTUS XIII. pro Jeſu & Mariæ Cordibus? Quum igitur hoc opus in nullo offendat, immo in omnibus ædificet, & per omnia Fideles accendat in amantiſſima Jeſu & Mariæ Corda, judico typis mandari poſſe, ac debere. Datum in Conventu S. Mariæ ſupra Minervam Ordinis Prædicatorum, die 26. Februarii anni 1726.

In illud Pſal. Egrediebatur foras & loquebatur in idipſum.

In Officio Stigm. S. P. Franciſci.

F. Bernardinus Membrive,
Mag. Provincialis Scotiæ, & Conſult. Sacræ Congregationis Rituum.

APPROBATIO

Reverendi admodum Domini Marii Macchabei Procurat. Generalis Congreg. Clericorum Regul. S. Pauli, S. Congreg. Indicis, & SS. Rituum Conſultor, ac S. Officii Qualificat.

DE mandato R. P. Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri, attente vidi opuſculum, cui titulus *De Cultu Sacroſancti Cordis Domini Deique noſtri Jeſu-Chriſti, ab admodum R. P. Joſepho de Galliffet Societ. Jeſu, Galliæ Aſſiſtente* compoſitum; necnon *Exemplum fideliter exſcriptum ex iis, quæ juſſu* Patris *ſui ſpiritualis ſcripſit de vita ſua ven. Mater Margarita Maria Alacoque Ordinis B. V. Mariæ a Viſitatione*. nihilque quod fidei, aut bonis moribus nocere; plurimum quod virtuti, & perfectioni prodeſſe poſſit, in utroque reperi. Perhibet opuſculum, laudati cultus originem, progreſſum, excellentiam, finem, & fructum. Perhibet exemplum præclara virtutum monumenta, ad cultum erga ſacratiſſimum Cor Jeſu firmandum. Satisfaciet profecto utriuſque operis materies, bonorum votis, qui appendentes munia pietatis, & cultum devotionis, ad pondus Sanctuarii, diſcent quam juſte ſpecialia ſuæ Religionis officia huic ſacro Cordi devoverint. Dediſcent critici cultum hunc cavillis impetere, ne Cordi Jeſu, amoris lanceâ jamdudum propter eos vulnerato, novum vulnus apponant. Haurient omnes ab hoc ſacratiſſimo Corde, eos confirmatæ pietatis fructus, quos Sanctorum Chryſoſtomi, Iſidori, Bernardi, &c. ſcripta teſtantur, ſi intima Cordis Jeſu, toto ſui Cordis affectu ingredi non detrectent. Ad hoc enim perforatum eſt latus tuum (ait D. Bernardus Jeſum alloquens) ut nobis pateſcat introitus. Ad hoc vulneratum eſt Cor tuum ut per vulnus viſibile vulnus amoris inviſibi-

De Paſſione Domini cap. 3.

bile videamus. Hinc, ut pietas quæ ex Apoſtolo ad omnia utilis eſt, omnibus proſit: Nedum, opuſculum, quod ad promovendam devotionem & cultum erga Sacroſanctum Jeſu Cor, ſolide ſcripſit Author; Verum etiam dictum exemplum, quod humilis ſervæ Dei obedientia tanquam certum virtutis patrimonium poſteris reliquit, in publicam lucem edi poſſe cenſeo. Ex Collegio SS. Blaſii & Caroli ad Catenarios de Urbe. Hac die 22. Aprilis 1726. 1. ad Tim. c. 4.

Ego D. Marius Macchabei. Procurat. General. Congreg. Cleric. Regular. S. Pauli. S. Congregat. Indicis, & SS. Rituum Conſultor, ac S. Officii Qualificator.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rever. Patri Magiſtro Sac. Palat. Apoſt.

N. Epiſcopus Bojanus Viceſger.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

QUod in aliis majoris momenti operibus, ad Dei gloriam, animarumque bonum ſpectantibus uſuvenit, ut ſine multis magniſque impedimentis nunquam ad exitum perducantur, id in re preſenti, quam tractandam ſuſcipio, in primis eveniſſe vidimus. Quum primum de cultu ſacroſancti Cordis Jeſu agi cœptum eſt, vix a paucis æquo animo ejuſmodi cultus eſt ſuſceptus; aliis rem totam tanquam quid frivolum & inane reſpuentibus. Nonnulli ex eorum hominum genere, qui novitatem omnem rejiciendam putant, nullo habito boni, maliva diſcrimine, religionis officium, de quo nihil prius inaudierant, hoc ſolo nomine quod novum eſſet, repellebant. Quaſi vero, novitas veræ pietati contraria ſit conjungique cum illa nunquam poſſit; aut hoc ſuavi Dei Providentiæ, in Eccleſiæ gubernatione, ſolemne non ſit, ut novum ſemper pium aliquod exercitationis genus ſucceſſu temporum oriatur, cujus videlicet ope, fidelium animi, veterum uſu diuturno, ſenſim torpentes, quodam quaſi novitatis guſtu illecti & excitati, ad pietatis fervorem renoventur. Alii quidam, ex horum numero qui cœleſtes viſiones & quicquid inuſitatum ejuſmodi gratiarum eſt, contemnendum ducunt, cœleſtem quamdam revelationem audientes, unde cultus Cordis Jeſu originem trahere dicebatur, tam revelationem quam cultum ex tali fonte oriundum aſpernabantur. Magna pars

ſtu-

Digitized by Google

ſtudio contradicendi, ut fit, magis quam veritatis amore ducti, ſtatim ut nomen audiere cultus Cordis Jeſu, nova appellatione quaſi perculſi, nulla adhibita in re examinanda diligentia, temere id totum quod afferebatur improbare cœperunt, aſpernari, vituperare; contra ſentientes, piumque munus laudantes amplectique volentes, prohibere, dicteriis inſectari, minimeque pati eſſe quietos. Scilicet, irridentes objiciebant, jamjam omnium Corporis Chriſti membrorum feſtivitatem inſtituendam fore: cur enim potius Cordis, quam pedis, aut manus, aut capitis. Id porro nihil aliud eſſe, quam Chriſtum ipſum dividere velle, qui totus quantus eſt in Euchariſtia adorari ac coli debeat, non diviſim ac per partes. Plerique moderatiores, nihil equidem in eo pietatis officio reprehenſione dignum videri ſibi fatebantur, cæterum levis eſſe momenti ducebant, & mulierculularum devotioni fovendæ magis accommodatum, quam ad ſolidam pietatem quidquam adjumenti conferens. Demum illi, qui rem paulo interius conſideraverant, probari ſibi quidem maxime totum id quod proponebatur dicebant, ſed quum nihil afferri aliud exiſtimarent quod jam cultui Corpori Chriſti in Euchariſtia latenti debito, & uſurpari ſolito, non conveniret (decepti videlicet officiorum ſimilitudine) judicabant antiquum religionis exercitium, novo Cordis Jeſu vocabulo inſigniri, nec neceſſe, nec utile fore.

Hominibus ita comparatis, cultus ſuaviſſimus Sacroſancti Cordis, ab ipſo Jeſu, uti dicemus, multo an-

ante divinitus inſpiratus ac traditus, exiguum admodum progreſſum fecerat. Ignoratus a multitudine, ab aliis vero aut impugnatus, aut neglectus, latebat in paucorum veluti pectore concluſus, qui quidem ipſi pium officium palam exercere, adverſantium metu, vix audebant.

Scilicet, jam inde ab initio præſenſerat Dæmon, quantam gratiarum vim donorumque cœleſtium copiam, ex eo cultu, tanquam e fonte, emanare in homines neceſſe foret, ſi evulgari contingeret, hauriendique e ſacro latice libera facultas aliquando concederetur. Itaque quoad potuit obſtitit. Verum quid Dæmonis artes & conatus, quid hominum impugnationes adverſus Dei conſilium? Optatum illud demum tempus advenit, quo Deus, ſingulari miſericordiæ ſuæ munere, Cor Jeſu Filii ſui dilectiſſimi, theſaurum illum bonorum omnium inexhauſtum, fidelibus reſerare conſtituerat; ut quicumque ſacroſancto Cordi debitos honores adhibere vellent, divitiarum quas complectitur participes eſſe poſſent, doniſque e ſacro fonte prodeuntibus profuſiſſime complerentur. Modum autem rei perficiendæ, totamque divini conſilii rationem, mox, ipſo operis initio, duobus primis capitibus, in quibus de origine ac progreſſu cultus agetur, Dei aſpirante gratia proſequemur. Cæterum quod in Gallia noſtra contigit, id, in aliis regionibus quarum gratia ſcribendi conſilium iniimus, eventurum quoque non dubitamus. Obſtabit initio malus Dæmon ne cæteri populi tanti boni participes fiant. Non deerunt & illic obtrectatores, qui contradicendo, cavillando, vitu-

tu-

Digitized by Google

ſuperando, cultus Cordis Jeſu progreſſum impediant. Sed vincet demum gratiâ ſuâ Chriſtus Jeſus: quodque apud noſtrates effecit, ut, ſuperatis omnibus impedimentis, Cordis ſui cultum ſtabilierit, tam firmis jam fundatum radicibus, ut procellas metuere deinceps non poſſit; idem, pro ſua bonitate, apud exteros etiam perfecturum ſperamus plane atque confidimus. Nos vero, ad piiſſimi ac ſuaviſſimi cultus augmentum ac propagationem aliquid conferre cupientes, hunc libellum edidimus, in quo totam ejuſdem cultus rationem, a multis certe non ſatis cognitam, ac propterea male neglectam atque contemtam, explicare paucis pro tenuitate noſtra connitemur; & quidem, quod a divina gratia ſperamus, ea ſoliditate ac perſpicuitate, ut moroſis etiam lectoribus, ſuique ingenii ſubtilitate, ut accidit, ad cavillandum abutentibus, facturos nos ſatis, nobis polliceamur.

O Jeſu, his meis exiguis cœptis aſpira, atque quum me hoc opuſculum, ad tui ſanctiſſimi Cordis honorem, ſcribentem adjuveris, hanc mentem animumque ſervis tuis extra Galliam degentibus immitte, ut quod nos, levi & infirma manu, quæ vires noſtræ ſunt, aggredimur, illi clariori a te luce perfuſi, majorique gratia adjuti, validiori ac feliciori conamine in ſingulis Regnis ac Provinciis perficiant. Quo famuli tui per orbem diſperſi, tuæ largitatis, ac munificentiæ participes eſſe queant: tuque, ea potiſſimum ratione & cultu quo maxime cupis, ubique terrarum honorere.

Digitized by Google

DE CULTU
SACROSANCTI
CORDIS DEI
AC
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI

In variis Chriſtiani orbis Provinciis jam propagato.

PARS I.

UT ratione, certaque via procedamus, ordoque aliquis dicendis adhibeatur, hanc primam ac præcipuam opuſculi noſtri partem, quæ totam rei tractandæ eſſentiam complectitur in tres dividere partes, ſeu totidem libros, commodum viſum eſt: in quorum primo, cultus originem, progreſſum, ac naturam explicabimus. In Altero ejuſdem excellentiam oſtendemus. In Tertio denique uſum & praxim docebimus.

L I-

Digitized by Google



LIBER PRIMUS

De Origine, Progreſſu, & Natura cultus Sanctiſſimi CORDIS *Jesu*.

CAPUT I.

Origo piiſſimi Cultus.

TAmetſi inter Sanctos viros, qui actis retro ſæculis floruere, plerique reperiantur, qui ſtudio ſingulari erga cor Jeſu affecti fuere: ut ex dicendis apparebit. Atque adeo cultus cordis Jeſu, ex illa quidem parte, antiquiſſimus dici poſſit, tamen quia paucis dumtaxat hominibus, iisque præcipuo quodam amore dilectis, hoc munus a

A Di-

Divina Miſericordia, olim conceſſum fuit; necdum in vulgus emanarat: fieri non poteſt, quin officium erga cor Jeſu, quo de agimus, novum eſſe pleriſque videatur: qui ſcire proinde cupient, unde factum ſit, ut ſic repente prodiret in publicum: quo authore? quo conſilio? Præterea, quum reapſe nova ratio, cordis Jeſu colendi, nec uſurpata prius, his temporibus afferatur: jure ſuo ſciſcitabuntur, quis novæ hujus rationis adinventor fuerit, quæve illius authoritas ſit? Atque his ego quidem dubitationibus, ſatisfacere volens, antequam ad cultus naturam explicandam aggredior, pauca præmittere de illius origine cogor: eoque facio lubentius, quod ea prorſus ejuſmodi eſt, ut maximam commendationem huic SS. Officio allatura eſſe videatur.

Cultus Sacroſancti cordis Dei Jeſu, ejuſque cultus tota ratio, moduſque, ab ipſo Jeſu, privatim revelante ortum habet: inventor ipſe Jeſus eſt, idemque procurator ac promotor: ipſe cultum ac venerationem peculiarem cordi ſuo adhiberi præcepit; modumque in eo cultu ſervandum præſcripſit ipſe divinitus. Neque jam ſuper ea re prudentibus, ac geſtorum conſciis, ullus dubitationi ſupereſt locus: explorata res eſt in Gallia,& pervulgata:ut autem exteris quoque,ſit cognita, quemadmodum ſe res habeat, breviter narrabimus.

Ante omnia,hoc obſervare juvabit:quam multa ſint in Eccleſia Catholica, religionis officia, aliaque omnis generis pia opera, ad Dei gloriam, Sanctorum cultum, animarum bonum,ſpectantia; quæ quum in ſingulis regnis, provinciis, ac pene civitatibus recepta jam ac ſtabili-

Digitized by Google

bilita ſint; non aliam tamen habent originem, quam privatas revelationes: ſeu Summis Pontificibus, ſeu Epiſcopis, ſeu aliis Sanctis viris, aut fœminis divinitus injectas. Mitto Religioſorum ordinum, tam virorum quam mulierum, inſtitutiones; quæ prope omnes Deo aut Virgine Matre revelantibus, initium accepere; uti ex fundatorum vitæ actis, ac propriis cujusque ordinis annalibus certiſſime conſtat. Mitto innumera, quæ in monumentis Eccleſiaſticis paſſim occurrunt, ad Fidei propagationem, ad malorum Eccleſiæ impendentium liberationem, aut bonorum procurationem conducentia, ab eodem fonte profecta. Hæc mitto, ut in rebus quæ propoſito noſtro magis congruunt hæreamus. Enimvero quot in Eccleſia celebritates, ac feſti dies; quot devotionis officia, ac pietatis exercitia, fidelium uſu ubique recepta, initium a privatis revelationibus habuere? Quid memorem feſta inventionis Sanctæ Crucis; dedicationis Sanctæ Mariæ ad Nives; ejusdemque Virginis conceptionis, nativitatis, ac viſitationis feſtivitates; Roſarii, ac Scapularis, ſolemnitates; apparitionem S. Michaelis Archangeli; inventionem Sancti Stephani; aliaque ejusmodi ſexcenta, adeo nota & communia, ut pigeat his enumerandis immorari? *Baron. in notis. 2. Julii. 8. Sept. 8. Decemb.*

Verum inter omnes ejusmodi feſtivitates, quarum initia, privatæ cuipiam revelationi referri debent; una eſt, totâ Eccleſiâ, celeberrima, tam ad propoſitum noſtrum accommodata, ut nefas ſit, illam hoc loco præterire. Celebritatem dico Corporis Chriſti: in cujus inſtitutione, tanta reperitur, cum ea de qua agimus, confor-

Digitized by Google

nitas, ut mihi, utriusque originem, progreſſum, modum, ſucceſſus, difficultates, incrementa attente conſideranti, nihil omni ex parte ſimilius eſſe poſſe, viſum fuerit. Quod, ne temere a nobis dici, aliquis fortaſſe ſuſpicetur; ab hac utriusque officii & ſolemnitatis, inter ſe comparatione, narrationem noſtram auſpicari operæ pretium duximus: perſuaſi nimirum, nihil aptius animis, ad ea quæ in decurſu dicturi ſumus, præparandis, afferri poſſe.

Igitur ex legitimis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monimentis, duo, circa feſtivitatis Corporis Chriſti inſtitutionem, pro certis habentur. Primum: Eam ortum ſumſiſſe ex facta privata revelatione. Conſtat hoc punctum, ex ipſa inſtitutionis Bulla Urbani IV. his verbis: *intelleximus olim dum in minori eſſemus officio conſtituti, quod fuerat quibusdam Catholicis divinitus revelatum, feſtum ejusmodi generaliter in Eccleſia celebrandum.* Fuit autem hæc revelatio facta virgini Deo ſacræ, nomine Julianæ; quæ poſtea in ſanctorum numerum relata eſt: ejusque feſtus dies in 5. Aprilis incidit. Secundum: Hujus feſtivitatis initia, innumeris magnisque contradictionibus, ac difficultatibus patuiſſe. Rem totam a Scriptoribus Eccleſiaſticis fuſius traditam, paucis, pro ratione inſtituti noſtri, contrahemus.

Chapeauville de reb. Leod.

Bar. 1230.

Sed omnium fuſiſſime Bolland. act SS. 5. April. in vita S. Julianæ.

Vivebat juxta civitatem Leodienſem, ſuo clauſa monaſterio, Juliana virgo: quum Deus, qui humilitate delectatur, cujusque ſermocinatio cum ſimplicibus, feſtivitatem Corporis Chriſti antea Eccleſiæ incognitam

tam

Digitized by Google

tam inſtituere volens, ſuum illud conſilium humili ac ſimplici virgini communicare non eſt dedignatus: eidem una denuncians, ſe, in hoc exequendo conſilio, illius operâ uti conſtituiſſe. Illa hac denunciatione perculſa, reique novitate attonita, ſimulque difficultatibus perterrita, reputans apud ſe quantum ejuſmodi negotium, a fœminæ imbecillitate, monaſterio præſertim incluſæ, omnique ope deſtitutæ abhorreret; revelationi ſibi cœlitus immiſſæ diffidens, ipſos viginti annos divinis impulſibus reſtitit; nemini rem concredere auſa. Verùm longiorem moram Domino non ferente, ac Julianæ conſcientiam ſtimulare non ceſſante, verita illa ne voluntati divinæ cum numinis offenſione reſiſteret; hoc timore victa, rem demum totam confeſſario ſuo manifeſtavit.

Anno 1710 Bolland. ibid. in Comment. prævio. §. 4. & l. 2. vitæ c. 2.

Erat ille Leodienſis Eccleſiæ Canonicus, vir pius, ſpirituumque diſcretionis gratiâ præditus: cui quum dudum nota eſſet Julianæ Sanctimonia, de veritate ſupernæ revelationis, adjuvante in primis divino lumine, dubitare minime potuit. Attamen ut in re tanti momenti certius ageret, placuit in conſilium adhibere viros nonnullos pietate ſimul ac doctrinâ conſpicuos. Hi mature perpenſis omnibus, unanimi conſenſu confeſſarii ſententiam probavere; communique etiam conſilio ad divinæ voluntatis executionem impigre animum adjecere.

Anno 1230

Verum ubi primum rumor increbuit, agi de nova inducenda feſtivitate in honorem Corporis Chriſti in Euchariſtia reſidentis; mirum eſt quas ille turbas rumor exciverit; quæ animorum contentiones extiterint; qui-

busve contradictionibus, impugnationibus, ac demum perſecutionibus illi vexati ſint, qui hujus conſilii authores, fautoresve ſunt habiti.

Ita eſt, ita ſane. Illa illa feſtivitas, qua vix ulla hodie in Eccleſia ſanctior; nulla illuſtrior, nulla juſtior; nulla fidelibus acceptior, ac gratior; nulla utilior; nulla dulcior; non ſic a principio habita, non ſic accepta fuit: imo acerrime impugnata, ſummoque cum contemtu rejecta. Adeo ut hiſtorico coævo, qui turbas illas commentariis ſuis proſecutus eſt, affirmare licuerit, *feſtivitatem illam poſitam fuiſſe in ſignum cui contradiceretur, innumeroſque habuiſſe contradictores, & atrociſſimos impugnatores*. Ubi illud quoque obſervandum duxit, in re noſtra non omittendum, in eadem videlicet Clericorum congregatione in qua Deus defenſores novæ feſtivitatis elegerat, impugnatores ejuſdem obſtinatiſſimos extitiſſe. Julianæ revelatio quæ afferebatur, ceu delirium infirmæ mentis rejectum eſt. Ipſa Juliana graviſſimis inſectationibus exagitata ac vexata fuit. Qui vero ejus partes tueri viſi ſunt, ſtolidæ credulitatis inſimulari, variiſque paſſim injuriis, probris, irriſionibus, laceſſiri cœperunt: vix ut in ſacro cultu promovendo quicquam agere, loquive palam, adverſantium metu auderent.

Apud Bolland. c. 3.

Neque deerant obtrectatoribus argumenta quibus pervicaciam ſuam plauſibilem redderent. Impugnabatur Sanctiſſimus cultus, ceu novitas actis retro ſæculis incognita: eoque ſolo capite reprobanda. Inutilem præterea ac prorſus ſuperfluam novam feſtivi-

ta-

Digitized by Google

tatem clamabant: quippe quæ jam celebraretur feria 5. majoris hebdomadæ in Cœna Domini: ac inſuper quotidie in miſſarum Solemniis de inſtitutione SS. Sacramenti commemoratio fieret.

Ipſum etiam nomen Corporis Chriſti, quod feſtivitati indicebatur, novam calumniandi materiam cavillatoribus ſubministrare aptum erat: objicere enim poterant (quod diebus noſtris in re ſimili factum vidimus) vocabulo illo, nihil niſi materiale, Carnem Chriſti videlicet, fidelium devotioni proponi: cultus autem Chriſti Carni adhibitus, quid ad ſolidam pietatem conferre poſſet, non apparere. Veram ac Germanam Chriſtianorum pietatem aliquid a materia, ſenſibusque magis diſcretum poſtulare. Præterea novo cultu ipſum quodammodo dividi Chriſtum videri: qui quum totus quantus eſt, in Euchariſtia ſit; non carere ſuperſtitione ſoli illius corpori præcipuam, ac peculiarem venerationem adhibere. Denique ſi Corpori Chriſti colendo propria feſtivitas inſtituenda ſit, idem pari jure faciendum animæ, divinitati, perſonæ; ac feſta ſine modo multiplicanda. His, ſimilibusque rationibus, prout unicuique affectus, aut animi præoccupatio ſuggerebant, nova feſti inſtitutio acerrime, ac conſtanter impetebatur. Verum enim vero officium Sanctiſſimum Dei conſilio ſuſceptum, ſæva licet tempeſtate jactatum, mediis quaſi in fluctibus felicem, divina providentia dirigente, curſum tenebat: varia in loca ſenſim ſine ſenſu penetrabat; veritas ejus, ſoliditasque diſcuſſis paulatim præjudiciorum tenebris agnoſcebatur, diffundebatur, probabatur: imo

in

in ipſis etiam adverſariorum animis, errore contrario paulatim depulſo, prævalebat.

Epiſcopus Leodienſis primus omnium fuit, qui anno 1246. novam feſtivitatem, ſuffragio ſuo comprobatam, ſua in Diœceſi publicam eſſe voluit. Inde in vicinas provincias propagata: annis deinceps decurrentibus, in aliis etiam remotiſſimis recepta fuit; novis ubique contradictionibus obnoxia: donec Urbani IV. Summi Pontificis authoritate, univerſali Eccleſiæ anno 1264. multis adhuc reclamantibus, propoſita eſt. Ac poſtea a Clemente V. in Concilio Vienenſi anno 1311. confirmata, poſt annos a prima origine circiter octoginta, pacificam demum ubique poſſeſſionem obtinuit.

Jam, ad rem noſtram veniamus. His porro, quæ modo narravimus, immorari tantisper oportuit, quia nativam eorum omnium imaginem referunt, quæ in feſtivitatis cordis Jeſu inſtitutione contigeruut. Rem totam paucis accipe, ſtudioſe lector, atque quum tacitus inter utriusque Officii initia, & incrementa, comparationem inſtitues, ſenties profecto unum ab altero, ne puncto quidem diſcrepare.

Vivebat Parodii (quod in Gallia, Burgundiæ ducatûs oppidum eſt) Virgo Sanctimonialis nomine Margarita Alacoque, ex ordine S. Franciſci Saleſii a Viſitatione B. Mariæ nuncupato: quæ virgo anno 1690. vita functa eſt. Fuit hæc vitæ ſanctitate inſignis, omnibusque cœleſtibus donis mirum in modum cumulata. Quod ut omnibus certo appareat, adjiciemus huic opuſculo codicem translatum, qui ab ipſamet virgine manu ſua,

Digitized by Google

ſua, obedientia cogente, vernacule conſcriptus fuit, in quo vitæ ſuæ ſeriem ad certam uſque ætatem mira ſimplicitate complexa eſt. Adjungemus etiam nonnulla litterarum fragmenta ad eumdem finem pertinentia; ac demum ad cumulum proferemus teſtimonia præſidum & antiſtitarum ejusdem virginis, illius ſanctimoniam commendantium. Hæc omnia qui legerit, convincetur plane, hanc quoque Virginem inter cæteras Chriſti Jeſu ſponſas dilectiſſimas annumerari facile poſſe. Hæc igitur illa Sanctimonialis fuit quam Dominus Jeſus eligere dignatus eſt, ut officio ad cordis ſui cultum deſtinato initium faceret. Ac primo quidem, ut eam ad tantum opus præpararet, cœleſtes quaſdam ac mirabiles illuſtrationes in ejus animam immittere cœpit de Cordis Jeſu excellentia, quibus illa in admirationem rapta, tanto illius SS.mi Cordis amore exardeſcere cœpit, ut ſtudio illius gloriæ procurandæ pene confici videretur. Nihil cogitabat aliud, nihil loquebatur aliud, nihil moliebatur aliud, nihil ardentius deſiderabat, nihil poſtulabat vehementius.

Tum vero Jeſus famulam ſuam hac ratione præparatam, cœleſti, ut ſolebat, viſione recreatam admonuit, velle ſe cordi ſuo SS.mo peculiarem cultum in Eccleſia ſuſcitare, nova in eum finem ſolemnitate inſtituta: in negotio vero procurando, ſe ipſius opera uti conſtituiſſe, declaravit. Quantum lætitiæ ac voluptatis ſacræ Virgini peperit nuncium de inſtituenda nova ſolemnitate, tantumdem mœroris ac timoris attulit ratio operis perficiendi, in qua videlicet, opera ejus deſiderari

videbatur. Suæ namque tenuitatis apprime conſcia, ſimiles prorſus animi motus experta eſt, quas in B. Juliana vidimus. Timuit: ſiluit: divinis impulſibus, ac monitis multos annos reſtitit: donec conſcientiæ ſtimulis, ac Numinis offendendi timore victa; quum animæ præſertim rectorem idoneum, quem illi Deus adjutorem deſtinaverat, nacta eſſet; omnia demum eidem aperire conſtituit.

Fuit is P. Claud. la Colombiere e Societ. Jeſu, ille idem qui totâ hodie Europâ clarus eſt ac celebris, cùm ob concionum excellentiam quæ publicæ luci donatæ magnos ubique fructus peperere: tum vero præcipue ob ea, quæ vivens præclare geſſit, præſertim in Anglia, quò ſuperiorum juſſu trajecerat, Duciſſæ Eboracenſis poſtea Angliæ Reginæ a concionibus futurus. Quo munere vir Dei dum ſtrenue fungitur, aliiſque viro Apoſtolico dignis operibus incumbit, hæreticorum odio in carcerem truditur; ubi pluribus menſibus miſerrime detentus, tandem extractus, tota Anglia in odium Fidei pulſus eſt. Unde in Galliam remigrans, confectus morbo quem ex aſſiduis laboribus, ærumniſque toleratis contraxerat, quatuor adhuc circiter annos ægre vitam protraxit; ac eodem denique morbo conſumtus eſt: bonis omnibus magnum ſui deſiderium relinquens. Vir fuit omnium exiſtimatione ſummo ingenio, ſummâque prudentiâ, eloquentiæ in primis laude conſpicuus; ſed quod caput eſt, ſingulari pietate ac vitæ ſanctimonia præſtans. Quæ opinio ſanctitatis poſt mortem, ut in ſanctis fere accidit, longe fuit illuſtrior: quum nempe mul-

Digitized by Google

multa præclara, quæ ipſo vivente ignorata fuerant, cognoſcere demum licuit: inter quæ non infimum tenere locum videtur arduum illud, dignumque tali viro votum, quo ſeſe Deo obſtrinxerat, ſummæ perfectionis aſſequendæ, in abſoluta omnium ſocietatis noſtræ conſtitutionum, ac regularum obſervatione.

Hunc igitur talem, tantumque virum, ut dicere cœperam, Chriſtus Jeſus prædictæ virgini adjunxit pii operis ſocium. Verum hæc provincia qua ratione tum dictæ virgini, tum P. Claudio a Deo demandata ſit, ex illis ipſis cognoſcere operæ pretium erit: rem enim totam ſcripto teſtatam reliquere. P. Claudius in certo codice in quem cœleſtes illuſtrationes referre ſolebat, ſibi a Patre luminum immiſſas, eo maxime tempore, quo exercitiis ſpiritualibus juxta morem Societatis noſtræ operam dabat (qui codex ob rerum præſtantiam editus eſt in lucem) in illo inquam codice, dum in Anglia jam eſſet, hæc inſtinctu Numinis ſcripta ad verbum reliquit.

“ His ſpiritualibus exercitiis finem imponens firmiſſime animo decrevi, omni ſtudio curâque in id incumbere, ut quod Domini juſſu mihi præſcriptum fuit, executioni mandetur. Gratiæ ſiquidem dulcedine ineffabili modo delibutus, cognovi penitus ſenſique, Deum opera mea uti velle, in negotio ſibi acceptiſſimo procurando, quod totum pertinet ad certum quoddam religionis officium, Chriſtum Jeſum in altaris Sacramento reſpiciens; cujus officii rationem, Dominus Jeſus perſonæ ſibi in primis charæ, peculiari revelatione

„ manifeſtare dignatus eſt. Pleroſque ego jam in Anglia „ ad hocce piiſſimum officium amplectendum, Deo adju- „ vante, feliciter permovi: litteras quoque ad amicum in „ Galliam miſi; rogans, ut ad hoc idem quos poſſet indu- „ ceret: quod utique ad Dei gloriam maxime ceſſurum „ confido, ob ingentem vim animarum magna pietate „ præſtantium, in eo loco ac communitate degentium. „ Quin poſſum, o mi Deus, ubique terrarum verſari, „ quodque a ſervis & amicis tuis jure tuo expectas, apud „ omnes gentes prædicare! Cum igitur Deus conſilium „ ſuum dictæ perſonæ declaraſſet; ipſaque ad me retuliſſet; „ quæ referebat, ſcripto ut traderet juſſi: quæ ego rurſus „ in hoc exercitiorum meorum diario deſcribere non ſum „ gravatus. Siquidem Deus hoc negotium curis etiam „ meis vult promoveri.

„ In hunc ergo modum illa rem totam, ſcripto manu „ ſua confecto, complexa eſt. Die quodam infra octavam „ Corporis Chriſti, cum orationi, coram Sanctiſſimo Sa- „ cramento vacarem, cœleſtibus gratiis a Domino meo „ ſupra modum omnem repleta ſum. Ego vero quum „ pro tantis beneficiis aliquid pro tenuitate mea repen- „ dere ardenter cuperem; votis meis Dominus annuens, „ nihil inquit, præſtare potes, quod mihi futurum ſit ac- „ ceptius, quam ſi illud perficias, quod te ſæpius antea „ monui. Tum cor ſuum Sacroſanctum detegens: vides „ inquit cor meum: Cor illud tanto hominum amore „ ſuccenſum, ut nihil prætermiſerit, viribus exhauſtis „ penitus atque conſumtis, quo amorem hunc immen- „ ſum certiſſimis ſignis teſtatum eis relinqueret. Eorum

ta-

tamen pars maxima uſque adeo ſe mihi gratos, ami- "
coſque non exhibent, ut me etiam injuriis, contumeliiſ- "
que in hoc amoris myſterio aſſidue laceſſant. Quod "
eo etiam acerbius accidit, quod a perſonis mihi dicatis "
talia quoque pati cogor. Itaque a te requiro ut feria "
ſexta, quæ poſt octavam feſti Corporis mei proxima "
ſequitur, cordi meo colendo peculiariter ſit dicata, qua "
die ad Sacram menſam accedendo, injuriæ cordi meo "
in altaris myſterio inflictæ, eo maxime tempore, quo "
palam fidelium venerationi expoſitus ſum, violati ho- "
noris reparatione ſarciantur. Et quidem ſpondeo, eos "
omnes qui hoc honore cor meum afficient, ipſius divini "
cordis influxu cœleſtium gratiarum copia fore cumu- "
landos. Tum ego: heu Domine mi, heu, quam tan- "
dem adhibere vis conſiliorum tuorum adjutricem! Me "
nimirum cujus ſumma vilitas, ingenſque peccatorum "
numerus, ſucceſſum potius impedient, ſane quam juva- "
bunt: præſertim quum tot alii e famulis tuis præſto "
ſint, qui operam ſuam in eo quod cupis ſtrenue navent. "
Tum Chriſtus: an vero imprudens ignoras, infirma "
mundi me eligere ſolitum, ut fortia confundam, meæ- "
que eſſe ſapientiæ, imbecilles homines in conſiliis meis "
exequendis adhibere, ut nimirum quum ipſi ſibi nihil ad- "
ſcribere valeant, potentia mea glorioſius manifeſtetur? "
Rationem igitur, Domine mi, viamque demonſtra "
juſſa tua perficiendi. Jeſus autem: adi inquit, ad ſervum "
meum N. eique meo nomine refer, ut omni ope con- "
nitatur, quò hoc religionis officium ſtabiliatur: futurum "
hoc cordi meo gratiſſimum. Ne vero deſpondeat ani- "

Digitized by Google

„ mum propter impedimenta quæ multa occurrent ſu-
„ peranda: namque ſcire debet, eum omnia poſſe, qui
„ ſibi prorſus diffidens, fiduciam ſuam omnem in me
„ uno, ſpemque collocat. Hactenus P. Claudius.

Ille vero eximia pietate vir, ſpirituumque diſcernendorum magiſter peritiſſimus, quum virginis ſanctitatem haberet perſpectiſſimam, nullamque fraudem in eo quod agebatur ſuſpicari omnino poſſet: mandatum Domini ſui excepit ea reverentia, qua par erat, cultumque deinceps cordis Jeſu pro virili parte promovere, quoad vixit, non deſtitit. Modicum tamen piiſſimus cultus eo vivente progreſſum habuit: ſeu quod Dei famulus paulo poſt in Angliam, uti dictum eſt, trajecerit: ſeu quod ex Anglia redux, quatuor dumtaxat annos continuis morbis afflictatus ſuperſtes fuerit: ſeu denique propter impugnantium moroſitatem, qui ea novitate offendi videbantur, ac ne induceretur reſiſtebant. Verum enim vero Deus opus ſuum quod cœperat imperfectum non dereliquit; uti cap. ſequenti videbitur.

CAPUT II.

De progreſſu Sanctiſſimi Cultus.

Patre Claudio La Colombiere e vivis ſublato: ſcripta illius opera publicæ lucis digniſſima paulo poſt edita ſunt: inter quæ memoratus ille codex eſt repertus, qui admirabiles plane pietatis ſenſus continens, ſumma aviditate a populis exceptus eſt, atque etiamnum piorum ma-

Digitized by Google

manibus, totâ Europâ varias in linguas translatus, magno cum animarum fructu uſque teritur. In eo autem codice quum revelatio illa, de qua dictum eſt. (Deo ſic res longe ante ad propoſitum finem mirabiliter diſponente) inſerta eſſet: inde officio erga cor Jeſu, mirifica acceſſit commendatio: atque ex eo fonte primum noſter hic cultus emanavit in publicum. Codicem illum alii poſtea libelli ſecuti ſunt, de eadem re uberius, & explicatius tractantes; variasque exercitationes ac præcationum formulas cordi Jeſu colendo idoneas complectentes: quorum ope Sacratiſſimus Cultus celebrior factus, a multis uſurpari, & in praxim deduci cœpit. Verum quod fuit novæ praxis ac cultus initium, idem & perſecutionis fuit. Nam ubi primum animadverſum eſt, novum iſtud pietatis exercitium diffundi, uſuque perfici: incredibile dictu eſt qui animorum motus, qui clamores extiterint; iis etiam in locis ubi non publice ſed privatim tantum uſurpari contigit. Adeo ut plerique pacis ſtudio, omnino ab eo exercitio ceſſandum duxerint. Ipſum (quod mirere) cordis Jeſu vocabulum ſacro officio inditum, multorum iram & indignationem accendere videbatur, ut coram ne pronunciari quidem ſine offenſione quiret. O Jeſu, o Salvator hominum amantiſſime, quid demum in hoc tam ſacro tamque ſuavi vocabulo fuit, tali contemtu dignum? Quid in corde tuo, quo nihil ſanctius, nihil dulcius, nihil nobilius, nihil divinius eſſe poteſt, quid inquam repertum eſt, aptum ad animos Chriſtianorum offendendos? Qua tandem mentis aut cœcitate tanta, aut perturbatione

con-

Digitized by Google

contigit, ut fideles tui, officium tam ſancto, tam divino, tamque amabili nomine inſignitum ac nobilitatum, ipſiusmet vocabuli averſatione & odio, faſtidirent ac reſpuerent? Mirum hodie cunctis accidit, quum auditur, aut legitur, ſolemnitatem Corporis Chriſti acerrimas olim in prima ſui inſtitutione contradictiones paſſam eſſe: at mirum certe magis poſteris aliquando accidet, quum audient, aut legent feſtivitatem cordis Chriſti ſimilibus impugnationibus patuiſſe.

Porro nihil huc attinet, ea ſingillatim enumerare, quæ contumelioſe in Sacrum Cultum ſeu dicta, ſeu ſcripta, ſeu geſta ſunt: quanta vi, & acerbitate in illum, viri etiam religioſi inſurrexerint: quam indigne paſſim habiti ſint pii officii authores fautoreſque; quibus calumniis, dicteriis, irriſionibus jactati: quam ſæva in ipſam quoque virginem Margaritam perſecutio in ipſo ſuo monaſterio efferbuerit: hæc inquam longiori narratione referre nihil juvat; præſertim quum multi adhuc, qui horum participes fuerunt, ſuperſtites ſint, atque in melius jam mutati. Omnia uno verbo complectar, renovata ſcilicet ſingula, quæ de initiis feſti Corporis Chriſti narravimus.

Verum quod ibidem de divini conſilii executione obſervavimus, idem omnino in negotio præſenti contigit. Excitata nimirum tempeſtas, curſum piiſſimi cultus retardare quidem potuit; at nullatenus impedire. Factum eſt enim, aſpirante Numine, ut ubi ſemel fuit cognitus, diffundi latius ac propagari nunquam deinceps ceſſaverit. Primum quidem occulte, ac timide a

pau-

Digitized by Google

paucis ſuſceptus: poſtea publice ac confidenter uſurpatus a laicis pariter ac clericis; ſed maxime uti decebat in religioſis cœtibus a viris fœminiſque; junioribus natuque majoribus; doctis juxta ac idiotis; perfectis in ſtudio virtutis, parumque provectis; conſilium ad id dantibus privatim ac impellentibus confeſſariis, animarumque ductoribus; hortantibus etiam publicè verbi divini præconibus; eo plane ſucceſſu ut digitum Dei hîc quoque fuiſſe rerum conſcii dubitare minime poſſint. Libelli in eam rem conſcripti toto regno diſſeminati: Imagines Sanctiſſimi cordis magno numero & pingi & ſculpi cœptæ, ſexcentiſque in locis fidelium adorationi palam expoſitæ: altaria cordi Jeſu dicata plurima: confraternitates in ejusdem diviniſſimi cordis honorem, in omnibus regni provinciis Epiſcoporum authoritate conſtitutæ; atque a Sede Apoſtolica conſuetis indulgentiis decoratæ: feſtus dies cordi Jeſu colendo deſtinatus, & ab eisdem confraternitatibus ſolemni, ut ſit, pompa & apparatu celebratus: quod quidem feſtum ut Sanctimoniales a viſitatione Beatæ Mariæ nuncupatæ ſingulis annis ſimili pompa in ſuis Eccleſiis celebrent, ab Epiſcopis, totâ Galliâ ac deinde a ſummis Pontificibus, brevi indulgentiæ ſpeciali, toto orbe conceſſum eſt. Id præterea in eisdem monaſteriis, aliiſque nonnullis in more poſitum eſt, ut ſingulis menſibus dies una cordi Jeſu colendo præcipue conſecrata ſit, indictâ eo die in eumque finem omnium Sanctimonialium ſacra communione. Denique piiſſimus cultus, 40. annorum ſpatio, impedimentis ſuperatis, toto regno

ſenſim diffuſus, ſummo animarum fructu ac bonorum omnium gaudio late vigebat: cum ecce tibi novus ac mirabilis modus a Divina Sapientia præparatus, derepente præter omnem expectationem exorſus eſt: quo certe nihil ad Sanctiſſimum cultum dilatandum; ad populorum animos percellendos, ac permovendos; ad Paſtorum zelum acuendum; ad reverentiam denique ſacro officio apud Magnates, plebejosque conciliandam aptius, & efficacius eſſe potuit. Siquidem graſſante in Gallia his poſterioribus annis peſtilentia, urbesque florentiſſimas in Provincia miſerrime devaſtante; hanc Deus cogitationem ſingulis urbibus peſte afflictis injecit, ut ad cor Jeſu tanquam ad certum perfugium recurrerent: quo conſilio quaſi divinitus afflato, avidiſſime a Præſulibus ac Magiſtratibus ſuſcepto, ſeſe omnes cordi Sacratiſſimo, votis etiam ſolemniter editis, non ſine præſenti numinis auxilio devoverunt. Quibus votis ſeſe peculiariter ad feſtum Sanctiſſimi Cordis Jeſu ſingulis annis in perpetuum celebrandum, Epiſcopis annuentibus & edicentibus, obſtrinxere. Hoc Maſſiliæ primum, hoc Aquisſextis, hoc Telone, hoc Arelate, hoc Avenione invicem factum eſt. Quæ tam ſubita, tam inexpectata, tamque ſolemnis populorum, & Epiſcoporum ad cor Jeſu converſio, præſertim in tam variis, ac diverſis locis, tanta animorum conſenſione, ſine inſtinctu divino excitari minime potuiſſe credenda eſt.

Porro eventus ille mirabilis, quum ad commendationem piiſſimi cultus, propter tot Epiſcoporum authoritatem multum omnino valeat: illiusque progreſſum

in

in tot Diœceſibus præcipuis ſane, ac diffuſis clare demonſtret; operæ pretium erit, ea quæ hac occaſione geſta ſunt, ex ipſis Epiſcoporum publicis decretis, aliisque authenticis inſtrumentis cognoſcere. Quæ propterea ad calcem hujus opuſculi diligenter annectemus.

Cæterum exiſtimandum non eſt, hos Provinciæ Epiſcopos primos extitiſſe, qui Sacroſancto cordi publicam venerationem adhibuerint. Alii enim non pauci tum intra Galliam, tum extra, illis exemplo præiverant; piumque officium jamdudum amplexi, ſuis in Diœceſibus publicum eſſe voluerant.

Archiepiſcopus Lugdunenſis Fr. Paul. de Neuville de Villeroy Galliæ Primas, anno 1718. 3. Decemb. nullo adhuc imminente contagionis periculo, ſed ſola innata pietate, Numinisque inſtinctu permotus, mandatum edidit typis impreſſum, quo feſtum cordis Jeſu in ampliſſima Diœceſi celebrandum indicebat. Anno vero 1721. 3. Junii. Cum jam peſtilentia quæ Provinciam vaſtabat, terrorem vicinis provinciis incuſſiſſet; mandatum illud primum, novo decreto confirmavit: diemque cordi Jeſu Sacrum in univerſa Diœceſi feriatum eſſe voluit. Archiepiſcopus Biſuntinus Pet. de Grammont pietate ac religione inſignis, anno 1692. cultum cordis Jeſu ita probavit, ut Miſſam propriam die cordi diviniſſimo dicato celebrandam, miſſali quod illius provinciæ peculiare eſt, atque a Romano diverſum, inſeri mandaverit. Illo ipſo tempore Epiſcopus Lingonenſis Archiepiſcopo Biſuntino proximè vicinus; hujus exemplum ſecutus idem omnino in hono-

Digitized by Google

rem cordis Jeſu ſua in Diœceſi conſtituit: Miſſamque Biſuntinam ſuo quoque miſſali adjungi præcepit. Epiſcopus Conſtantienſis in Normania Carol. Fr. De Lomenie de Brienne, primus omnium in Gallia fuiſſe videtur, qui cordi Jeſu cultum ſolemniori ratione detulerit, jam enim ab anno 1688. templo ad honorem Sanctiſſimi Cordis in Seminario ſuo excitato ac conſecrato; conſtitutaque pia ſodalitate cordis Jeſu nomine inſignita, quam Romana Sedes indulgentiis etiam decoravit, officio publico feſtum cordis Jeſu pompa ſolemniſſima celebravit.

Contigit ſub illud ipſum tempus, ut ordo Sancti Benedicti cultum Sacratiſſimi cordis ſibi peculiari ratione amplectendum duxerit: Officio divino proprio, ſub ritu duplicis ſecundæ claſſis, ſuis in Eccleſiis in honorem diviniſſimi Cordis certa aſſignata die, celebrato, ut videre licet in libello Pariſiis edito officia hujus ordinis peculiaria continente.

Memoratis Epiſcopis adjungi debent, quotquot in orbe Chriſtiano ſunt, qui Monialibus a Viſitatione B. Mariæ facultatem conceſſere feſtum cordis Jeſu in propriis Eccleſiis ſolemni, ut faciunt, pompa celebrandi; quos certe innumeros eſſe conſtat. Nam de Gallia quidem hoc aſſeri ſine ulla dubitatione poteſt, nullum eſſe hujus ordinis Monaſterium, in quo ſingulis annis, approbantibus Epiſcopis, feſtum illud Sanctiſſimum non agatur. In aliis vero extra Galliam provinciis, ac Regnis; in Germania præſertim, ac Polonia, idem pene factitari exploratum eſt.

Item

Digitized by Google

Item adjungendi ſunt illi omnes Epiſcopi, qui ſodalitates cordi Jeſu dicatas, ſexcentiſque in locis jam conſtitutas approbarunt, ac condiderunt. Neque enim ab illis ignorari poteſt, quanto apparatu ab ipſis ſodalibus, quantoque populorum concurſu idem feſtum ſingulis annis peragatur. Denique adjungenda etiam videtur Romanæ Sedis authoritas, quæ omnes illas ſacras ſodalitates ſub cordis Jeſu nomine inſtitutas, eidemque Sanctiſſimo Cordi publice colendo deſtinatas, ac dicatas, Indulgentiarum litteris cohoneſtavit. Ut autem certo appareat quam ingens jam ſit in Eccleſia, harum ſodalitatum numerus: earumdem indicem, ex ipſis indulgentiarum publicis codicibus Romæ aſſervatis accurate extractum, lectorum oculis ſub finem exhibebimus. Unde conſtabit harum numerum, 40. annorum ſpatio, ad trecentas & amplius aſſurgere: non in uno dumtaxat regno contractas, ſed toto orbe Chriſtiano diffuſas, in Italia, Gallia, Belgio, univerſa Germania, Polonia, Bohemia, Lithuania, & uſque in Sinas Canadamque. Neque in certis tantum Eccleſiis, ſeu ordinibus ejuſdem generis, aut coloris conſtitutas; ſed in omnibus ſine diſcrimine tam Sæcularibus Metropolitanis, Cathedralibus, Collegiatis, Parrochialibus; quam Regularibus omnium ordinum virorum, ac mulierum Sancti Benedicti, S. Bernardi, S. Auguſtini, S. Dominici, S. Franciſci, Carmelitarum, Cappucinorum, Societatis Jeſu, & aliorum. Ex qua obſervatione manifeſtiſſime declaratur, cultum Cordis Jeſu a fidelibus avidiſſime ubique ſuſceptum, totaque jam Eccleſia non ſine pe-

Digitized by Google

culiari Numinis providentia eſſe propagatum.

His de origine ac progreſſu Sanctiſſimi Cultus præmiſſis, jam ad naturam ejusdem explicandam accedamus. Porro quum ad ejusmodi expoſitionem, ſi ſecundum divinum conſilium procedere velimus, multum conferre debeat revelatio illa peculiaris, de qua ſuperius dictum eſt: expedire omnino videtur illius veritatem capite ſequenti confirmare.

CAPUT III.

Memoratæ revelationis veritas expenditur. Ubi, occaſione accepta, quæ fides ejusmodi cœleſtibus gratiis adhibenda ſit, obiter perſtringitur.

OStendam paulo poſt, cultum cordis Jeſu ita eſſe per ſeſe ſolidum & excellentem, ut nihil opus ſit ad cœleſtem viſionem confugere authoritatis accerſendæ cauſa. Verumtamen quum hoc officium ab ipſo Jeſu divinitus fuiſſe traditum dixerimus; hocque ſi verum eſſe comprobetur, aptiſſimum ſit ad fidelium animos ad pium cultum alliciendos: videndum ſane eſt num allatæ revelationis veritas ſatis firmo nixa fundamento ſit: an fortaſſis fœminæ deliramentum aut allucinatio pro divino monito nobis imprudentibus obtrudatur. Quæ res eo magis examinanda videtur, quod ea vivimus ætate, qua multos reperire eſt tam alienos ab hiſce gratiis inuſitatis, ut quidquid ejusmodi audiunt, tanquam fabulas, meraque ſomnia reſpuant, & aſpernen-

Digitized by Google

nentur. Neque illas dumtaxat cœleſtes viſiones quæ noſtris temporibus contingere dicuntur, rejiciendas exiſtimant: verum eas quoque quæ olim ſanctis viris ac fœminis obtigere, in dubium vocare, præclarum putant ac præſeferunt. Verum quam imprudens quamque temeraria hæc judicandi ratio ſit, cuperem ſane, ut qui ita animo comparati ſunt, paulo attentius conſiderarent. Facile nimirum intelligerent, ſe, quum levitatis atque ineptæ credulitatis vitium fugere volunt; in aliud non minus vitandum incidere, quum ea ſcilicet credere renuunt, quæ negari ſine ingenti temeritate non queunt. Puto autem ingenti temeritate non vacare, ſi quis univerſe neget, dubitetve, cœleſtes viſiones, revelationes, aliaque id genus beneficia & obtigiſſe olim plerisque Sanctis; & noſtris quoque temporibus ſimilia quandoque contingere. Et quidem quod ad Sanctos ab Eccleſia receptos attinet, res demonſtrari facile poteſt: ut enim omittam rationem, quæ peti poteſt, tum ex authoribus ſumma fide dignis, qui acta Sanctorum ſcripſere: tum ex Eccleſiæ authoritate, qua hæc eadem acta, ante ſolemnem inter Sanctos relationem recognita diligenter ac diſcuſſa, probata denique ſunt: ut hæc inquam omittam, res eadem evidentiſſima redditur ex ſcriptis quæ a Sanctis ipſis confecta dum viverent, poſt illorum mortem, in lucem, Deo ſic ad ſuam gloriam ordinante, prodiere: in quibus multæ ejusmodi gratiæ inuſitatæ, ab eis divinitus acceptæ, fatentibus ipſis ac narrantibus, continentur.

Atque ut de viris ſileam, ac de fœminis tantummodo agam:

Digitized by Google

agam: de quibus nimirum major eſſe ſuſpicio ſolet, ne errore & allucinatione ducantur: ajo dubitari ſine ſtultitia, nedum temeritate non poſſe, quin Thereſia exempli cauſa, quin Gertrudis, Catharina Senenſis, Magdalena de Pazzis, aliæqne ejus generis virgines, veras a Deo illuſtrationes, ac revelationes acceperint. Quod ego, hoc unico argumento, quod tetigi, plane confici poſſe exiſtimo: nempe extant libri ab ipſa Thereſia, ab Gertrude, aliiſque, inſtinctu divino conſcripti; conſilium dantibus imo cogentibus Prælatis ac confeſſariis: qui libri pleni ſunt cœleſtium viſionum aliarumque omnis generis divinarum gratiarum, quas ſibi a Deo ſæpius immiſſas illæ ipſæ declarant. Jam vero ſi hæc, univerſe ſumta, utrum a Deo vere profluxerint, vertatur in dubium; alterum e duobus dici neceſſe eſt: vel illas virgines mentitas ultro fuiſſe, quod ſummæ eſſet improbitatis; aut certe deceptas, & allucinatas, quod in tanta gratiarum ac revelationum copia ſummæ eſſet ſtultitiæ. Cum autem nihil horum de ſanctiſſimis ac prudentiſſimis virginibus non modo dici ſalva pietate ſedne cogitari quidem rationabiliter poſſe videatur, quid reſtat, niſi ut fides earum dictis ac ſcriptis adhibeatur? Nam ſi neque mentitæ, neque deceptæ ſunt, certe quæ narrant, ut plurimum vera eſſe, prorſus neceſſe eſt.

Dixi ut plurimum. Nimirum ut alterum extremum vitioſum evitemus, & in medio quodam, veræ virtutis & ſanæ doctrinæ, proprio, conſiſtamus. Neque enim animus eſt perſuadere, omnia quæ a viris Sanctis

in

in eo genere, aut dicta, aut ſcripta ſunt, cœco quodam modo accipi a nobis, ac credi debere: quum hoc ſolius Scripturæ, ac ſacrorum Authorum proprium ſit: fatendumque ſit errari ab aliis, in caſibus particularibus, poſſe, iis etiam in rebus quas ſibi divinitus traditas putant. Quare prudenti ſemper Prælatorum ac doctorum examini ac judicio omnia ſubjicienda ſunt. Itaque, ut accidit in materia miraculorum, ita & revelationum. Negare univerſa miracula velle, temerarium & impium eſt, quanquam falſa aliqua miracula proferantur. Non minoris autem temeritatis, aut impietatis videtur eſſe, revelationes particulares generaliter rejicere velle, propterea quod falſæ aliquando evulgentur. Igitur regula certa tenenda hæc eſt, quam tradit Apoſtolus, *prophetias nolite ſpernere. Omnia probate. Quod verum eſt tenete.*

Sed ad rem noſtram redeamus. Argumento modo adducto ad fidem Sanctarum virginum ſcriptis aſtruendam, quid reſponderi ſapienter, aut qua ratione vis illius infringi poſſit, ego ſane non video. Age enim quisquis ita animo comparatus es, ut his adjungendam eſſe fidem non putes: & vide in quas te demum anguſtias, ſi tibi quidem conſtare velis, conjicias. Horum enim unum dicendum tibi neceſſario eſt: aut his libris quos citamus, res quas dicimus, minime contineri: aut libros falſo prædictis virginibus adſcribi: aut ſi ab illis ſcriptos fatearis, denique mentitas eſſe, aut meras certe allucinationes pro rebus veris ſcripſiſſe, dicere cogeris. Quoquo te vertas, temeritatis ut minimum notam non

Digitized by Google

effugies. An negabis libris citatis cœleſtes viſiones ac revelationes contineri? Sed libri extant, quorum lectione mendacii convinceris. An dubitabis, eos libros a Sanctis fœminis quibus adſcribuntur vere fuiſſe profectos? Scilicet dubitabis, num Thereſia vitam ipſa ſuam obedientia cogente conſcripſerit? At hoc ſi negare cuipiam veniat in mentem, an minoris ſtultitiæ fore videatur, quam ſi dubitaretur num ipſamet Thereſia in vivis aliquando fuerit? Quum unum alio nihilo certius a prudentibus habeatur. Quid ergo, quum integrum non ſit aut libros, aut librorum authores habere ſuſpectos; an dices has virgines ſcribendo mentitas eſſe? aude ergo eas ſimul appellare improbas, hypocritas, impias: Eccleſiam damna, quæ mendaces ejusmodi æternis ſuppliciis dignas, adſcripſerit Cœlo. Non mentitas eas quidem ex conſilio, ſed tamen decipi potuiſſe dices. Ego vero interrogo, an a Dœmone deceptas credis; an errore proprio? a Dœmone? hoc vero horrendum dictu eſt: an tu hoc probrum Sanctiſſimis virginibus inurere audeas? Tibi illæ videlicet idoneæ videntur, quæ Diaboli ludibrium fuerint? Tu tantum imperium ſpurciſſimis ſpiritibus in Sponſas Chriſti caſtiſſimas fuiſſe cenſes, ut impune illis illudere potuerint; easque ita faſcinare, ut diabolica præſtigia pro Chriſti muneribus & blanditiis habuerint? Supereſt ut allucinatæ fuerint, proprioque errore ductæ: minus quidem illud horrendum dictu, ſed temeritatis tamen pleniſſimum. Hoc enim generaliter dicere, quid eſt aliud, quam eas Sanctas accuſare dementiæ? Quid enim eſse dementius poſſit,
quam

Digitized by Google

quam inania rerum ſimulacra mente conficta, pro rebus ipſis accipere; meraque ſomnia pro viſionibus cœleſtibus venditare? Quid ſtolidius, quam ſi quis exiſtimet ſe Chriſtum Dominum, aut B. Virginem, aliosve Sanctos præſentes oculis cernere; cum abſint penitus: ſe eos alloqui, interrogare, reſponſa accipere, qualia in prædictis codicibus ſcripta legimus; quum reipſa nihil eorum contingat, meraque ludificatio ſit, animique inepte aberrantis allucinatio? Sic deliraſse Thereſiam, ſic Gertrudem, ſic Mechtildem, ſic Catharinam Senenſem, ſic inſaniſse Virgines toto orbe ingenio ac prudentia celeberrimas, & quidem non ſemel, aut iterum, aut certo ætatis tempore; ſed ſæpiſſime, ſed per totam vitam ad extremum uſque ſpiritum in ſtultitia permanſiſse: quis demum vir bonus ac Chriſtianus, quis ſanæ mentis ſibi perſuadeat? Ac illæ quidem rationes majus ſane momentum habent, ad perſuadendum vera eſse ea, quæ fœminæ ſanctitate conſpicuæ de ſeipſis narrant, quam quidquid in contrarium ab adverſariis dici ſolet. Quid vero dicunt, quid opponunt? Nam id quidem noſſe & in medium afferre operæ pretium eſt. Unum ajunt: incredibilia prorſus eſse, quæ narrantur. Equidem, quum legunt Dominum Jeſum cor ſuum Sacroſanctum Divæ Catharinæ dono dediſse: Sanctam Gertrudem ſupra ipſum cor Jeſu requieviſse; ipſumque Jeſum, quod mirabilius eſt, in cor Gertrudis ingreſsum eſse: aliaque ſimilia, quæ harum Sanctarum ſcriptis continentur: his vero ſe fidem adhibere poſse negant. Ecquis enim tam hebes, tamque pueriliter credulus repe-

Digitized by Google

riatur, qui hæc ſerio putet eſse vera? Hæc dictitant, hæc contracto ſupercilio quum dixerunt, ſecuri ſunt; quaſi nihil reponi queat, quod eos a ſententia vel leviter dimovere valeat.

Nos vero ut incredulos hujusmodi revincamus, reſpondemus: Primo, nihil cogere ut credamus ejusmodi gratias per Chriſtum ipſum immediate ac corporaliter exhibitas eſſe. Id enim omne fieri potuit Angeli alicujus miniſterio, ac per quasdam ſpecies exprimentes ſenſibiliter, quod Dei gratia in earum virginum cordibus operabatur. Quod certe ad minuendam credendi difficultatem aptiſſimum eſt. Verum ut in eorum ſententia loquamur, quibus placet has gratias inuſitatas, ſimpliciter & in ſenſu verborum proprio, uti narrantur, accipi debere: ita ut a Chriſto immediate profectæ & corporaliter exhibitæ credantur; reſpondemus ſecundo in hunc modum. Quum tota ratio qua ſe increduli tuentur, in credendi difficultate conſiſtat, nos a ratione prius facta non diſcedentes, petimus utrum credibilius ſit Sanctiſſimas virgines, quas appellavimus, aut mentitas ultro fuiſſe: aut a Dœmone deceptas: aut amentes denique fuiſſe? Peto, utrum credibilius ſit Sanctos ac peritiſſimos rerum ſpiritualium magiſtros, qui virgines illas in via ſpiritus regebant, deceptos quoque fuiſſe; animique delirantis ineptias, ab actione divina diſcernere non valuiſſe? Utrum denique credibilius ſit Eccleſiam in eo errore verſatam eſſe, ut fœminas inanium fictrices viſorum; deliras prope atque inſanas; contemtu & irriſione digniſſimas; denique quas inter perſonas ra-

rationis compotes annumerare non liceat, Sanctorum numero tanquam cœleſtis ſapientiæ plenas ſolemniter adſcriberet?

Verum enim vero ut contradicentes convincamus, eorumque opinionem infringamus, unicumque credendi impedimentum removeamus, aſſerere non dubito, inter gratias illas inuſitatas, quæ de Sanctis memorantur, nihil eſſe, quod incredibile dici, aut videri debeat, ſi paulo attentius conſiderare velimus, quid amor Jeſu Chriſti erga homines poſſit; quidve reipſa jam effecerit. Ego quidem quum animo mecum ipſe reputare cœpi beneficia hominibus a Chriſto Jeſu collata: ipſumque in primis contemplor Euchariſtiæ Sacramentum; cætera ut verum fatear, quæ a Chriſti charitate, ac beneficentia Sanctis hominibus accidiſſe narrantur, quantumlibet mira & inuſitata, mirari prorſus deſino. Neque dubitare poſſum, quin omnes, qui ad hæc animum attenderint, in eadem mecum ſententia futuri ſint. Eos igitur cum quibus res mihi nunc eſt vehementer oro, ut ad hoc myſterium animum tantisper adjiciant: dicantque, quid ſibi incredibilius, quid ab humano ſenſu, ac cogitatione remotius videatur, an Jeſum cor ſuum Sacroſanctum Sponſæ caſtiſſimæ ac dilectiſſimæ dono dare, aliaque ejusmodi facere quæ de Gertrude, Catharina, aliisque virginibus referuntur: an Corpus ſuum quantum quantum eſt, adeoque & cor, & caput, & ſanguinem, & animam, ſe denique totum, in cibum potumque vili homuncioni, ac peccatori tradere? Quæ conſideratio ut ſit efficacior: finge tantisper animo,

Digitized by Google

Euchariſtiæ Sacramentum nusquam inſtitutum; nosque hujus myſterii fide plane carere: hoc rerum ſtatu, ſi quis cœleſtia beneficia commemorando, quæ a Domino virgini cuipiam conferuntur, hanc gratiam inter cæteras afferret, nempe Dominum Jeſum virginis illius gratia & amore, ut ne momento quidem temporis ab ea disjungi poſſet, ſeipſum ſpecie panis velatum, ſacraque incluſum pixide, illius poteſtati penitus commiſiſſe: imo ſtupendo prodigio, ut ſe intimius illi conjungeret, ſeipſum hac ſpecie tectum, manducandum illi quotidie præbere; ſuaque illam carne, ſuoque Sanguine nutrire ſolitum. Quid hæc audiendo cenſeremus? quid increduli noſtri dicturi eſſent? num commentum ullum abſurdius, ineptiusve deliramentum afferri poſſe putarent? atqui hoc ipſum quod hominibus divinam beneficentiam ignorantibus, Deique opera humano ſenſu metientibus, inſanum, imo impium videri poſſet; hoc inquam feciſſe Chriſtum jam fide divina tenendum eſt; & quidem feciſse non pro amicis dumtaxat, qui cum Gertrude, Thereſia, ſimilibusque comparari poſſint: ſed pro cunctis promiſcue fidelibus, quantumvis negligentibus, & in amore Dei torpentibus. Hæc ſi quis animo reputaverit, huic ego cæteras gratias in ſanctos cœlitus congeſtas nunquam incredibiles viſum iri certo ſcio.

Jam vero ſi hoc ſemel extorſerimus, ut Sanctorum dictis ac ſcriptis, in iis ſaltem rebus quas de ſe ipſi commemorant, fides adhibenda ſit: multum quidem omnino profecimus: cætera enim, quæ in præſentia cupimus, fa-

Digitized by Google

facillime ſequuntur. Quippe quibus argumentis demonſtratum eſt, negari ſine ingenti temeritate non poſſe, quin cœleſtes revelationes olim ſanctis hominibus vere obtigerint: iisdem plane conficitur, temeritate quoque non carere, ſi quis in dubium vocet, ſimiles gratias his quoque temporibus contingere. Siquidem perſonas ſanctitate illuſtres hac etiam ætate vixiſse certum eſt: quæ ipſæ quoque Dei inſtinctu, ex conſilio pariter & imperio Prælatorum, ac confeſsariorum virorum Sanctorum ac ſapientium, cœleſtes illuſtrationes, gratias, ac revelationes, divinitus acceptas ſcripto tradidere: quæ poſt mortem typis editæ, non ſecus ac illæ antiquæ ſumma cum admiratione, animarumque fructu leguntur. De illis autem jure optimo idem confici argumentum poteſt, quod de prioribus confecimus. Servata utique debita proportione, quam intercedere æquum eſt, inter virgines Cœlo ab Eccleſia aſsertas, aliasque, quæ hoc eodem honore nondum dignatæ ſunt. Videlicet credi prudenter non poſse generaliter loquendo, perſonas illas aut mentitas ultro, aut turpiter deceptas & allucinatas; quum id, et eorum ſanctitati, et ſapientiæ repugnet. Atque ita reliquum eſt ut fateamur fidem mereri, quæ ſcriptis ſuis commendarunt. Quæ perſuaſio bene ſtat cum hoc alio prudente judicio, quod in caſibus particularibus errari ab illis poſſit. Ut antea dictum eſt. Atque hoc argumentationis genus efficaciſſimum ſemper, atque evidens futurum eſt, quoties et perſonam vera ſanctitate fuiſſe præditam, et res quæ aſſeruntur, vere ab ipſa profluxiſſe conſtabit. Maxime

Digitized by Google

xime quando certæ aliæ quædam circumſtantiæ concurrunt ad aſſenſum extorquendum validiſſimæ.

Inter cæteras autem perſonas in quas hæc omnia cadere certo poſſunt, ut aliquando tandem ad rem noſtram veniamus, enitet in primis virgo illa Sanctimonialis Parodienſis, de qua ſuperius diximus. Scripſit enim ipſa quoque, jubentibus ac cogentibus ſuperioribus, cœleſtes gratias quæ ſibi divinitus obtigerant: in quibus non ſolum revelatio qua de agitur, una cum aliis id genus beneficiis, continetur; ſed præterea ex illis aperte cognoſcitur eam virginem ad opus præſens electam a Deo & deſtinatam fuiſſe, infinitisque donis ad illud perficiendum præparatam ac diſpoſitam. Extant autem hæc ſcripta ipſius ſanctimonialis manu confecta, in Monaſterio Parodienſi, Epiſcopi Auguſtodunenſis D. De Dromenil authoritate ex forma juris recognita; et a Commiſſario ab eo deputato, ſolemniter, ut fieri ſolet, ſubſcripta, propriâque notâ inſignita. Eorum autem exemplum accuratiſſimum, & authenticum, ad nos a dicto Monaſterio transmiſſum, ſub hujus libelli finem, quemadmodum jam promiſimus, ſumma fide in latinum translatum exhibebimus. Itaque de ſcriptis quidem nullum eſſe dubium poteſt. Quod vero ad vitæ ſanctimoniam attinet, ea evidentiſſima redditur, tum eorum teſtimoniis qui cum illa vixere, præſertim Superiorum ac Prælatorum, qui perſonæ ſanctitatem demirati, dum viveret, poſt ejus obitum prædicare non ceſſarunt (hæc porro teſtimonia in ſcriptis habemus, & proferemus): tum judicio virorum pietate inſignium, qui

Digitized by Google

qui animam ejus rexere: in quibus eminet P. Claudius la Colombiere, cujus judicium maximi ſemper ponderis erit, apud eos certe qui hominis merita noverunt. Ille vero quid in ea re ſenſerit, ſcripta ejus quæ ſuperius retulimus, aperte teſtantur. Verum quæ fuerit hujus virginis quamque ſublimis in virtute perfectio, nullo ex alio capite certius dignoſci poteſt, quam ex illius vitæ actis, quæ poſtea integra referemus. Interea hoc unum id loci afferre placet, ex quo jam tota illius vitæ ratio quam perfecta fuerit, certo certius conjicere licebit. Nimirum multos ante mortem annos, de Confeſſarii & Superiorum conſenſu, votum maxime arduum emiſerat illi propemodum ſimile, quod a S. Thereſia factum cum admiratione legimus: quo voto ſe ſummo Deo obſtrinxit, acturam ſe in rebus omnibus, quicquid demum divinæ majeſtati gratius futurum cognoſceret. Quod quam perfectiſſime expletum ab ea ſit, ii teſtantur qui cum illa ſimul vixere. Huc accedit fama, & opinio ſanctitatis mortem illius conſecuta: qua, totâ jam Europâ, tam in univerſo ſuo ordine, quam apud alios omnis conditionis homines, illos præſertim qui ſacro cordis Jeſu cultui addicti ſunt, celebris eſt. Tam præclaram vero illuſtremque famam habere Deus non ſineret fœminam mendacem, aut inanium viſorum fictricem. Deceptio ſiqua eſt, ſerius ocyus demum cognoſcitur; neque contigit unquam ut qui errore ſunt ducti, diu pro ſanctis habiti ſint, maxime poſt mortem, quæ memoriam omnium hominum extinguit, præter quam juſtorum & amicorum Dei. Adjiciemus ad cumulum

Digitized by Google

miracula quibus Deus famulæ ſuæ ſanctitatem teſtatam voluit, quorum unum inter cætera illuſtrius, rationeque authentica ab ordinario loci recognitum ſub finem cum aliis actis exhibebimus. Denique ipſa cultus Sacroſancti cordis Jeſu inſtitutio, cujus author hæc virgo fuit; ipſiusque Sanctiſſimi cultus incrementa, ac progreſſus, qui omnem vicere expectationem, argumento ſunt, quo haud ſcio an aliud evidentius eſſe poſſit, ejusmodi conſilium vere a Deo profluxiſſe. *Nam ſi eſſet ex hominibus conſilium hoc, diſſolveretur: ſi vero ex Deo eſt, nemo poterit diſſolvere illud.* Act. 5.

Et his quidem omnibus attendere par eſſet eos, qui ignorantiâ rerum, ſibique plus æquo ſapientes, cultui Sacratiſſimo ſeſe hactenus oppoſuere. Quos ego, ſi qui adhuc ejusmodi ſunt, ut errorem tandem agnoſcant, Deique conſiliis obſiſtere ceſsent, vehementer opto; hortorque, ut prudentiam eorum pietatemque imitentur, qui quum adhibito diligenti examine, nil niſi pium ac ſanctum in cultu prædicto repererint: fortiſſimaque adeſse argumenta viderint, quæ ſuadeant Chriſtum vere illius fuiſse authorem: prudenter veriti ne dum proprium judicium pervicacius fortaſse ſequuntur, divinæ reipſa voluntati, non ſine gravi ipſorum periculo, reſiſterent; omnem contentionem abjecere: ac pium denique officium amplexi, alios etiam ad idem faciendum impellere, ad Jeſu Chriſti gloriam, non deſinunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Quæ & qualis ſit natura Sanctiſſimi cultus proponitur, & explicatur.

QUum revelatio cœleſtis, de qua diximus, principium ſit, atque origo præcipua Sanctiſſimi Cultus cordis Jeſu; ex eo utique fonte petendum eſt quicquid ad hoc pietatis exercitium pertinet: ſive naturam illius explicare, ſeu modum in praxi tenendum tradere velimus. Inſpicienda ergo hæc ipſa revelatio eſt, atque ex ipſis Chriſti Jeſu verbis tota ipſius cultus natura, ſi fieri poteſt, eruenda & explicanda. Neque vero id factu difficile erit, cum & verba Jeſu clariſſima ſint, & omnia ad dictum cultum pertinentia complectantur. Itaque revelatio quidem fuit ejusmodi: eam enim iterum hoc loco referre, ut ob oculos ſit, omnino juvabit.

Nihil præſtare potes quod mihi futurum ſit acceptius, “
quam ſi illud perficias quod te jam ſæpius antea monui. “
Tum cor ſuum Sacroſanctum detegens: vides inquit “
cor meum, cor illud tanto hominum amore ſuccenſum, “
ut nihil prætermiſerit, viribus exhauſtis penitus atque “
conſumtis, quo amorem hunc immenſum certiſſimis ſi- “
gnis teſtatum eis relinqueret. Eorum tamen pars maxi- “
ma uſque adeo ſe mihi gratos amicosque non exhibent; ut “
me etiam injuriis, contumeliisque in hoc amoris myſterio “
aſſidue laceſſant. Quod eo etiam acerbius accidit, quod a “
perſonis mihi dicatis talia quoque pati cogor. Itaque “

„ a te requiro,ut feria ſexta,quæ poſt octavam feſti corpo-
„ ris mei proxima ſequitur, cordi meo colendo peculiari-
„ ter ſit dicata: qua die ad ſacram menſam accedendo inju-
„ riæ cordi meo in Altaris myſterio inflictæ, eo maxime
„ tempore quo palam fidelium venerationi expoſitus ſum,
„ violati honoris reparatione ſarciantur. Et quidem ſpon-
„ deo,eos omnes qui hoc honore cor meum afficient,ipſius
„ Divini cordis influxu, cœleſtium gratiarum copia fore
„ cumulandos.

Ex quibus omnibus clariſſime patet Chriſti Jeſu conſilium eſſe, ut novum quoddam religionis officium erga cor ſuum inſtituat. Hoc enim ipſum eſt quod ſe vehementer cupere dicit: hoc nihil ſibi acceptius præſtari poſſe declarat: eam ob rem ſervum ſuum adiri jubet, eique ſuo nomine præcipi, ut omni ope connitatur, quo officium illud ſtabiliatur. Porro de corde Jeſu non translatitie ſumto, ſed in propria ac nativa ſignificatione intellecto, videlicet ut eſt pars Corporis Chriſti nobiliſſima, hîc agi, evidens eſt ex ipſa Chriſti Jeſu actione,qua cor ſuum detegit, monſtratque: *cor ſuum detegens:vides inquit cor meum &c.* De hoc certe corde loquitur, quod detegit ac monſtrat: huic ipſi cultum adhiberi poſtulat: neque vox illa (*Cor*) ſæpius a Chriſto Jeſu in hoc ſermone repetita aliter accipi ullatenus poteſt, quin verba de ſe perſpicua, per vim in alienam ſignificationem detorqueantur. En tibi igitur quæ ſit res,quam Jeſus colendam proponit: nimirum cor ſuum Sacroſanctum. Jam vero ratio propter quam cor illud Sanctiſſimum coli maxime debeat, ſequentibus verbis ex-

exprimitur. *Vides cor meum, cor illud tanto hominum amore ſuccenſum, ut nihil prætermiſerit, viribus exhauſtis penitus atque conſumtis, quo amorem hunc immenſum certiſſimis ſignis teſtatum eis relinqueret. Eorum tamen pars maxima uſque adeo ſe mihi gratos amicosque non exhibent; ut me etiam injuriis, contumeliisque laceſſant.* Itaque cor Jeſu in hoc religionis officio conſiderari debet, ut eſt amore hominum ſuccenſum, & ab ipſis tamen hominibus impie ingratis crudeliſſime offenſum. Eaque potiſſimum duplici ratione moveri debemus ad amantiſſimum cor redamandum: injuriasque quibus afficitur compenſandas, & abolendas. Qua autem ratione id fieri Jeſus velit, ipſe declarat his verbis, *a te requiro, ut feria ſexta, quæ poſt octavam feſti Corporis mei proxima ſequitur, cordi meo colendo peculiariter ſit dicata: qua die ad ſacram menſam accedendo, injuriæ cordi meo inflictæ violati honoris reparatione ſarciantur.* Quæ verba præcipuum quidem novi exercitii actum a Chriſto requiſitum comprehendunt, ſed non unicum: aliis enim rationibus cor Jeſu coli poſſe ac debere, ex dicendis in decurſu palam fiet.

His præmiſſis ac neceſſario notatis. Cultus Sacroſanctus cujus naturam inquirimus, ſic definiri ac deſcribi poſſe videtur. Exercitium erga diviniſſimum cor Jeſu, ſpectatum ut eſt amore hominum ardentiſſimum; ſimulque ob injurias quibus ab illis ipſis hominibus impie ingratis appetitur (olim) afflictiſſimum. Quo exercitio cordi illi Sacroſancto cultus peculiaris adhibetur, ejus dignitati, amori, & afflictioni æqua proportione reſpondens.

Explicanda definitio eſt, omniaque, quæ huc perti-

Digitized by Google

nent in clariſſima luce, quoad fieri poterit, collocanda. Primo: *exercitium erga cor Jeſu.* Notandum, alia multa pietatis officia jamdiu in Eccleſia eſſe conſtituta, quæ quum inter ſeſe diverſa ſint, tamen unum Jeſum reſpiciunt. Aliud ſiquidem Corpus ejus; aliud ſacra vulnera; aliud crucem; aliud nomen ipſum ſpectat. Pium vero officium de quo in præſentia agimus, cor ejusdem Jeſu reſpicit. Apparet autem evidentiſſime cor illud diviniſsimum nihilo minus aptum eſſe, dignumve, cui cultus peculiaris deferatur, quam illa priora: neque opponi quidquam ulla ex parte poteſt contra cultum cordis Jeſu, quod idem contra cultum Corporis, vulnerum, Crucis, nominis, opponi pari, aut etiam potiori jure non poſsit: ut facile patebit conſideranti. Verum ut & dubitationibus ignorantium occurratur, & cavillatorum tricis locus omnis, quoad fieri poteſt, præcludatur: obſervandum eſt, habendumque diligenter præ oculis, cor Jeſu in hoc pietatis officio nequaquam ſpectandum eſſe, veluti ſi res quæpiam eſſet inanima, ſenſuque vacua; ſed ſpectari debere vivum, ſentiens, cognoſcensque, quatenus nimirum animæ Jeſu & perſonæ divinæ intime conjunctum eſt. Itaque cor Jeſu non ſolitarie ſumtum, non ſeparatum ab iis rebus, quibus indiſſolubili nexu ſociatur conſiderandum eſt; ſed quatenus cum anima Jeſu, ejusdemque divina perſona rem unam quodammodo in ratione objecti conſtituit. Quæ res adoranda plane atque divina, conflata ſcilicet ex corde Jeſu, ipſiusque anima, filiique Dei perſona; adjunctis etiam gratiis omnibus, cœleſtiumque charismatum theſauris, ac virtuti-

Digitized by Google

tutibus omnibus, affectionibusque hujus Sacroſancti cordis propriis;ipſa ipſa eſt res,quæ venerationi fidelium proponitur. Ex quo neceſſario conſequitur id quod diligenter adverti oportet, ut quicquid cordi Jeſu honoris defertur, id totum ad Chriſti perſonam pertineat; & viciſsim in cor redundet quicquid honoris perſonæ tribuitur. Non ſecus ac ſi quis honorem adhibeat homini viventi, non is ſane animæ dumtaxat honorem adhibere cenſendus eſt, aut ſoli corpori; ſed utrique parti indiviſim, propter intimam utriusque conjunctionem. Apparet præterea quam vere & proprie de corde Jeſu ita ſpectato dicatur,& quod amet, & quod injuria afficiatur, & quod doleat, cæteraque ejusmodi. Denique quam congruenter ad illud idem cor & ſermo dirigi poſsit; & adhiberi preces; & omnis denique deferri cultus cujus perſona capax eſt: quum quicquid ad cor dirigitur,ad perſonam,quæ eodem corde vivit æque dirigi neceſſe ſit. Et quidem ad hæc prorſus non attendiſſe oportet eos, quibus iſta ratio cor Jeſu colendi diſplicuit: qui videntur plane non aliter cor Jeſu conſideraſſe,quam ut fruſtum carnis emortuum, nullo ſenſu, nulla cognitione præditum, nulla animæ, nulla divinitatis habita ratione.

Sed jam cæteras definitionis partes perſequamur. Sequitur illud: *ſpectatum ut eſt amore hominum ardentiſſimum ſimulque ob injurias quibus ab illis ipſis hominibus impie ingratis appetitur afflictiſſimum*. Nempe cor Jeſu in hoc exercitio, ſub hac duplici ratione ſpectari debet. Primum ut eſt amore hominum pleniſsimum: amore in-

inquam illo immenſo, quo incitatus amantiſsimus Dominus,& cætera omnia hominum cauſa præſtitit;ipſumque in primis Altaris myſterium inſtituit. Neque certe alia conſideratio efficacior eſse poteſt ad amorem noſtrum huic divino cordi conciliandum. Quemadmodum enim illius cum divina verbi perſona conjunctio, ſupremam cùm hominum, tum Angelorum venerationem exigit: ita conſentaneum eſt, ut amor quo ardet erga homines, ipſum eisdem hominibus amabile, charumque reddat.

Qua in re hoc ponderandum occurrit, nempe cor humanum, quamvis ad amorem ſpiritualem procreandum nihil de ſuo proprie conferat; tamen ad procreationem amoris ſenſibilis, qui ad ſpiritualem naturaliter conſequi ſolet, plurimum omnino contribuere: quæ eſt doctrina D. Thomæ opuſc. de dilect. Dei. C. 19. ubi explicans præceptum amandi Deum *ex toto corde*; hæc habet. *Sicut naturale igni calere eſt: ita naturale eſt cordi amando ardere. Vita cordis amor eſt. Et ideo impoſſibile eſt ut ſine amore ſit cor, quod vivere quærit.... Cor ergo, quod eſt ſecundum philoſophum originale domicilium vitæ naturalis, excitatur præcepto: ut ſuo modo cooperetur ad eliciendum actum vitæ gratuitæ.... eſt etiam cor ſecundum Ariſt. primum organum ſentiendi, & ideo congrue primi mandati actio ab ipſo & per ipſum debet ſenſibilis fieri.* Ergo ex S. Doctore, cor vere ſuo modo cooperatur ad eliciendum amorem, ſeu, quod in idem recidit, eſt verum comprincipium ſuo modo, amoris. Et obſervare libet, ad hunc amorem ſenſibilem

aut

Digitized by Google

aut augendum aut minuendum, non parum conferre temperationem naturalem ipſius cordis, quæ in variis perſonis varia eſt. Hæc autem omnia locum habere etiam in amore ſupernaturali certum eſt, tum ex doctrina Doct. Angel. modo tradita, tum experientia ſanctorum, in quorum videlicet cordibus effectus admirabiles, ac prodigio ſimiles amorem divinum produxiſſe conſtat; ſcitur quid ea in re S. Philippo Nerio contigerit, cujus ſinus vi & impetu amoris in corde agentis, duabus elatis coſtulis ampliatus eſt. Quid Petro de Alcantara, quid Xaverio, quid Stanislao Koſka, aliiſque ejuſmodi bene multis, quorum ardores pectoris, ex amoris flammis e corde prodeuntibus, concepti, aëre frigido captando, aut aqua ingeſta temperare neceſſe fuit. Quid S. Thereſiæ, cujus cor ignito jaculo Angelus transverberavit, non ficto aut imaginario vulnere, ſed reali, adeo ut in corde mortuo Abulæ aſſervato, etiam num appareat. Quid S. Gertrudi, in cujus corde ſuæ ſtigmata Paſſionis Jeſus impreſſit. (vitæ l. 2. c. 4.) Quid B. Claræ *de Montefalco* in cujus corde inſtrumenta Paſſionis inſculpta cum intuentium admiratione adhuc viſuntur. Quid Catharinæ Senenſi, cujus cor Dominus cum ſuo commutare dignatus eſt. Quid Catharinæ Genuenſi, cujus cor tanto amoris incendio jugiter ardebat, ut partes tum pectoris tum dorſi cordi reſpondentes ſenſibili vulnere quaſi ſauciatæ apparerent. (vitæ c. 37.) Quid ven. mat. Mariæ de incarnatione (de qua poſtea) cujus cor Jeſus ita cum ſuo arctiſſime conjunxit, ut ex

F utro-

Digitized by Google

utroque unum quodammodo conflaverit (vitæ l. 1. c. 17.) Denique quid aliis innumeris Sanctis, quorum vitæ acta manibus omnium teruntur, & quorum Catalogum texere infinitum eſſet. Eorum autem, qui ſimilia patiuntur, hæc una vox eſt: cor amando ita vehementer affici, ut ex illo, tanquam ex fonte, amor erumpere videatur; idque nonnunquam tanto impetu, ut cor quodammodo dirumpi, & in fruſta diſſilire ſentiatur.

Jam vero ratio hujus noſtræ animadverſionis hæc eſt: quia anima, quæ præcipuum quidem amoris etiam ſenſibilis principium eſt, quandiu corpori eſt alligata, nihil efficit, in eo actuum genere, ſe ſola & ſine conſortio corporis, cujus videlicet variis partibus ceu totidem inſtrumentis utitur. In amore autem illo ſenſibili producendo præcipuum, nobiliſſimumque animæ inſtrumentum cor eſſe, ignorat nemo. Ergo quemadmodum anima ope oculorum videre dicitur: audire ope aurium: ita ex æquo amare ope cordis dicenda erit: & qua ratione de oculo vere dici poteſt ac debet, quod videat; de aure, quod audiat: eadem prorſus fatendum eſt de corde vere dici quod amet. Quæ opinio ita omnium hominum ubique terrarum degentium menti inſidet, ut apud omnes gentes cor principium ac propria ſedes amoris habeatur, & dicatur. Imo vero tanta eſt cordis humani cum amore conjunctio, ut una eademque res, communi hominum exiſtimatione, eſſe videantur. Certe quidem uno eodemque vocabulo *cor* et *amor* exprimi ac confundi ſolent: ſic dicitur amare

re

Digitized by Google

re Deum ex toto corde: cor ſuum Deo præbere: cor a rebus creatis abſtrahere: aliaque ejuſmodi ſexcenta, quæ in divinis ſcripturis æque ac profanis, uſuque hominum quotidiano communia ſunt, in quibus cor pro amore ſumi & uſurpari videmus. Sed quoquo modo illa ſe habeant: de hoc certe a nemine ambigi poteſt, cor humanum, cùm ab aliis animi commotionibus, tum vero maxime ab amore vehementer affici. Quis enim hoc expertus non ſit, variæ cordis affectiones quam exacte reſpondeant variis animi amantis diſpoſitionibus? Animo enim in abſentia rei amatæ deſideriis æſtuante, anxioque & inquieto, æſtuat ipſum quoque cor, angiturque inquietumque eſt: animo expectatione languente, languet etiam cor & contabeſcit. Quum vero animus re amata fruens, ardenti amore incenſus præ dulcedine liquefieri quodammodo videtur; ſimili prorſus affectione cor calet, accenditur, exquiſitoque voluptatis ſenſu perfunditur. Contra vero ſi contingat animum mœrore atque triſtitia confici, quum ſcilicet negligi amorem ſuum, aut ſperni ſentit; aut quum perſonæ amatæ malis, aut periculis commovetur; tum cor item affligitur, comprimitur, mirumque in modum torquetur, quæ omnia ac ſimilia nemo eſt qui propria edoctus experientia certo cognoſcere non poſſit.

Hinc vero legitima conſequentia deducitur, quod quum amor, quo Dominus Jeſus (qua homo eſt) Deum Patrem, ipſoſque homines proſecutus eſt, conceptus fuerit ſecundum modum naturæ humanæ proprium; deducitur inquam, quod ad amorem ſpiritualem, qui in

Digitized by Google

anima Chriſti vehementiſſimus fuit, amor ſenſibilis in pari gradu naturaliter in corde conſequi debuerit: præſertim quum cordis Chriſti temperationem ad amandum, præcipua quadam ratione effictam fuiſſe, fides & ratio clament. Quæ opinio luculenter confirmari poteſt, ex dolore ſenſibili concepto ob peccata hominum, quem conſtat ex dolore ſpirituali animæ in cor Jeſu derivatum: qui quam intenſus fuerit, Jeſus ſtupendis illis effectibus qui in horto contigere, toti Eccleſiæ manifeſtum eſſe voluit. Neque enim credere fas eſt, cor illud ſacroſanctum minus ab amore, ad quem præcipue effictum erat; quam ab alia ulla affectione commotum fuiſſe. Itaque dicendum omnino eſt, cor illud diviniſſimum ad hujus amoris ſenſibilis, & quidem ardentiſſimi & tenerrimi procreationem, tanquam veram ac propriam cauſam, plurimum contuliſſe; ſimileſque prorſus commotiones (omni ſecluſa imperfectione) expertum fuiſſe, quas cæterorum hominum corda, quum amant, naturaliter experiuntur. Quæ conſideratio, ut prædiximus, non poteſt non eſſe efficaciſſima ad amorem noſtrum cordi diviniſſimo conciliandum. Quis enim tam durus tamque inhumanus ſit, qui cor amantiſſimi Servatoris contemplans amore noſtri incenſum; deſideriis ſalutem noſtram ſpectantibus æſtuans; mœrore ac triſtitia ob peccata noſtra, cæteraque mala nobis impendentia confectum; quis inquam cor Jeſu ſic affectum attente contemplans contineat ſeſe, quin tam ſuaviſſimum tamque amantiſſimum cor redamet, intimiſque ſenſibus complectatur.

Ve-

Digitized by Google

Verum ad naturam ſanctiſſimi cultus perfecte intelligendam minime ſufficit cor Jeſu conſideraſſe, ut eſt divinitati conjunctum, & inſuper amore hominum pleniſſimum; eaque duplici ratione, adoratione noſtra & amore digniſſimum: ſed conſiderari ulterius debet quatenus ingrato hominum animo crudelisſime offenſum, injuriiſque atrociſſimis appetitum, eaque ratione non amore tantum noſtro, ſed commiſeratione, ſi ita loqui fas eſt, ac dolore noſtro vere dignum. Scilicet cor Jeſu immenſo quodam amore homines complectitur: at amor ille immenſus licet, qui omnium corda inflammare, atque ad Jeſum adjungere debuit, negligitur paſſim ab hominibus; itaque contemnitur, ut de eo maxima pars, ne cogitent quidem; tantum abeſt, ut debitis grati animi ſignificationibus proſequantur. Imo vero quæ hominum fuit incredibilis durities, ſummaque impietas, Jeſum benefactorem amantisſimum, in medio noſtri in Euchariſtia commorantem, injuriis, probris, ac convitiis inſecuti ſunt. Quid enim aut ab hæreticis, aut ab impiis plerumque Catholicis contra Jeſum in ſacramento latentem nefarie commiſſum non eſt? Quam indecore, quam indigne habitus eſt? quam inhumaniter ac barbare ſexcentis in locis tractatus? En tibi igitur ex altera quidem parte cor Jeſu ineffabili amore ſuccenſum; ex altera vero homiues ingratos, excordes, ferreos, qui tanto amore adeo non tanguntur, ut ipſum Jeſum injuriis etiam laceſſere non deſinant. Quis vero hoc reputando non commoveatur? quis non indoleat? quis afflictiſſimi cordis mœrorem abſtergere

Digitized by Google

quoquo liceat modo non cupiat, illatas injurias expiando, & quoad ejus fieri poteſt, honoribus adhibitis compenſando? Atque illa quidem conſideratione moveri fidelium animi debent, ad illam, quam Jeſus exigit, violati honoris reparationem ſuo ipſius ſacroſancto cordi exhibendam.

Et hæc hoc loco dicta ſufficiant, ut cultus erga cor Jeſu tota natura intelligi queat. Cætera enim, quæ definitione allata continentur, vix difficultatem habere ullam poſſunt: ſi quæ vero reliqua ſit, facillime in decurſu expedietur.

CAPUT V.

Cultum Cordis Jeſu, & cultum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ inter ſe differre.

FUere, qui horum cultuum, dixere nullam eſſe differentiam, ideoque cultum cordis Jeſu, rejiciendum cenſebant; tanquam ſi novum nomen induceretur ſine re, quod fruſtraneum ſit. Verum hæc exiſtimatio, quantum abſit a vero, ii facile judicabunt, qui ea legerint, quæ de natura cultus cordis Jeſu jam præmiſimus. Apparet nimirum hæc duo religionis officia maxime inter ſe differre: quippe quæ differant & objecto, ut vocant, materiali, ſeu re quæ colenda proponitur; & objecto formali, ſeu ratione quæ ad colendum permovet; Et denique fine, propter quem inſtituta ſunt; atque ita ex omni prorſus capite differunt unde pius aliquis cultus ab alio


Digitized by Google

alio cultu differre poteſt. Quæ demonſtrare facillimum eſt. Nam primo, objectum materiale cultus cordis Jeſu, ſeu res quæ illo officio colenda proponitur, eſt cor Jeſu, nulla corporis habita peculiari ratione: in cultu vero ſacroſanctæ Euchariſtiæ, objectum materiale eſt corpus Jeſu, nullo viciſſim cordis habito peculiari reſpectu. Deinde in cultu ſacroſanctæ Euchariſtiæ, ratio quæ movet ad colendum, eſt divini corporis dignitas, excellentiaque infinita: ratio vero propter quam cor Jeſu colitur, præter excellentiam quam habet cum corpore communem, aliaſque prærogativas ipſi ſpeciales, de quibus dictum eſt; ratio inquam peculiaris, ac præcipua eſt amor divinus, quo cor illud ſacroſanctum erga homines incenſum eſt. Denique finis in cultu illo ſolemni ſacroſanctæ Euchariſtiæ propoſitus, hic eſt: ut nimirum Jeſu inter homines reſidenti debitus adhibeatur honos, grateſque dignæ pro tanto beneficio, amoreque rependantur. Huc ſpectant omnia ab Eccleſia in honorem tanti myſterii inſtituta: huc feſti dies; huc ſolemnes ſupplicationes; huc templorum ornamenta. In cultu autem ſacroſancti cordis Jeſu finis propoſitus in hoc præcipue conſiſtit, ut amori Jeſu ab ingratis hominibus repudiato, faciamus ſatis voluntaria expiatione ad cor Jeſu, hujus amoris principium, directa; cæteriſque omnis generis honoribus, quibus injuriæ amantiſſimo cordi inflictæ eluantur, & compenſentur: quem finem nullo modo proprium eſſe cultui ſacroſanctæ Euchariſtiæ ex hoc facile intelligi poteſt, quod ſine ejuſmodi fine cultus ſacroſanctæ Euchariſtiæ, integer plane

Digitized by Google

plane ſubſiſtere poteſt. Nam ſi fingas, Jeſum, nunquam in Euchariſtia ulla fuiſſe violatum injuria; adhuc tamen cultus SS. Sacramenti nulla ex parte diminutus ſubſiſtet: tum enim & feſtos dies celebrari, & ſolemnes ſupplicationes inſtitui, cæteraque quæ in uſu ſunt, eodem plane modo fieri deceret, ad gratiam Jeſu referendam, noſtrique amoris & grati animi publicas ſignificationes edendas. Secus vero eſt de cultu cordis Jeſu, qui ideo inſtitutus eſt, ut hoc ſacroſanctum cor, peculiari veneratione ac amore proſequamur; inflictaſque amori illius injurias, compenſemus & expiemus.

Digitized by Google



F. Dandre inu. Petrus Ma[illegible] sculp.

LIBER SECUNDUS

De excellentia cultus Cordis Dei JESU.

EXcellentia cujuslibet religionis officii, ex quatuor hiſce capitibus omnino metienda eſt. Primum, ex re quæ colenda proponitur. Secundum, ex ratione colendi, ſeu ex fine propter quem cultus adhibetur. Tertium, ex actionibus, quæ cultum in actu conſtituunt. Quartum denique, ex fructu qui ex ejuſmodi cultu paritur.

Quatuor hæc, quo nobiliora & excellentiora eſſe contigerit, eo quoque nobilius excellentiuſve officium eſſe neceſſe eſt. In cultu autem ſacroſancti Cordis Dei

Jeſu, ſeu rem conſideres quæ colenda proponitur; ſeu finem, propter quem cultus eſt inſtitutus; ſeu actiones, ac virtutum exercitia, quæ complectitur; ſeu denique fructum quem parit; audacter pronuncio, nihil in Eccleſia nobilius, nihil excellentius, nihil præſtantius, nihil ſanctius reperies. Et hoc quidem explicare, ac demonſtrare in hoc opuſculi libro, aggredior: ſperoque me ita effecturum, ut nihil a me, per exagerationem eſſe dictum, æqui rerum æſtimatores, judicaturi ſint.

CAPUT I.

De excellentia rei, quæ colenda proponitur.

RES, quæ in hoc religionis officio colenda proponitur, ipſum eſt cor Jeſu, ut ſuperiori libro ſtabilivimus. Hujus porro cordis quanta ſit nobilitas, & excellentia, toto hoc capite proſequemur: ſed ante omnia hanc obſervationem præmittendam duximus de excellentia carnis Chriſti, utpote quæ ad finem noſtrum mirifice conducere viſa eſt.

Nemo eſt qui dubitet, ſanctiſſimam Chriſti Jeſu carnem digniſſimam eſſe, cui peculiaris honor a fidelibus adhibeatur: tum ob illius intimam cum verbi divini perſona conjunctionem; tum ob immenſam cœleſtium gratiarum copiam in ipſam cumulatiſſime congeſtam; tum ob ea, quæ ad Dei gloriam, ſeu agendo, ſeu patiendo, mirabiliter contulit; atque in primis propter acerba omnia, quæ paſſionis tempore, ceu victima divi-

næ

Digitized by Google

næ juſtitiæ, pro hominum ſalute ac peccati expiatione perpeſſa eſt; denique ob ſingularem illam ac plane divinam prærogativam, ad quam ab omnipotentia divina evecta eſt, ut animarum noſtrarum cibus, vitæque ſpiritualis & æternæ alimentum fieret; ſimulque gratiam ſanctificantem, qua nihil in rebus creatis excellentius ſit, in ſacramenti ſuſceptione produceret. Hæc enim omnia Chriſtus carni ſuæ, expreſſis ac indubitatis verbis attribuit. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet & ego in illo. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Ex his omnibus ac ſingulis capitibus manifeſtum plane fit, carnem illam diviniſſimam, ſuprema Angelorum & hominum adoratione, infinitoque amore eſſe digniſſimam. Et vero certis illis, ſolidiſque rationibus adducta eſt Eccleſia, Spiritu Sancto quo ſemper regitur docente & impellente, ut feſtum ſolemne inſtitueret, ſacroſanctæ carni colendæ deſtinatum: quod quidem feſtum, nomine *Corporis Chriſti* inſigniri voluit, ut ex ipſa appellatione, ſolemnitatis finis ac ſcopus agnoſceretur: certum quippe eſt (quanquam id fortaſſe aliqui non ſatis advertant) verum ac proprium hujus feſtivitatis objectum, ipſam eſſe Chriſti carnem, Eccleſia aperte profitente, ſe ſacra myſteria *Corporis*

Digitized by Google

& *Sanguinis* Chriſti ſacro illo die venerari ; ipſaque divini officii ratio ejuſdem ſolemnitatis propria, idipſum quodammodo clamat ; ut attendenti perſpicuum erit : itaque non animam Chriſti, non divinitatem, non perſonam, hocce feſtum *Corporis Chriſti* proprie reſpicit (quanquam & hæc quidem indirecte, & ut ajunt concomitanter) ſed ipſum ipſum corpus & ſanguinem, ipſam ipſam carnem directe, proxime, & immediate attingit. Scilicet æquiſſimus remunerator Deus, voluit carni amantiſſimi Salvatoris, tam acerba, tamque indigna pro ſua gloria hominumque ſalute paſſæ, honores ſolemnes tota Eccleſia conciliare ; quo labores, probra, ignominiæ, dolores ab ea ſuſcepta & tolerata, publica illa ac ſolemniſſima totius Eccleſiæ veneratione, compenſarentur ac quodammodo abolerentur.

Bourdaloue ſerm. in ſolemnit. Corp. Chriſti.

Hæc porro obſervatio ab aliis antea facta, recens a doctiſſimo totaque Europa celeberrimo verbi Dei præcone, mirifice adhibita eſt in ſermone habito in ſolemnitate corporis Chriſti, qui cum aliis editus eſt ; in quo videlicet dedita opera panegiricum carnis Chriſti inſtituit ; miraque ſuo more diſſerit, tum de dignitate ſacratiſſimæ carnis ; tum de veneratione eidem adhibenda ; tum de fine ab Eccleſia in hac celebritate intento, qui alius ſane non eſt, quam quem modo diximus ; tum denique de ratione qua Caro illa diviniſſima coli a fidelibus debet.

His notatis jam ad Cor Jeſu veniamus. Nihil vereor affirmare, id omne quod in carne ſeu corpore Chriſti idoneum eſſe poteſt ad populorum devotionem alli-

cien-

Digitized by Google

ciendam, fovendamque, adeo perfecte ac cumulate in Corde illius collectum reperiri; ut mirum prorſus videri debeat, negari a quoquam potuiſſe, hos honores cordi diviniſſimo eſſe concedendos, quos ſacro ejuſdem corpori deferendos, tota Eccleſia prædicat. Ut autem in re per ſe clariſſima rationibus etiam agamus: notandum, Cor Jeſu duobus omnino modis conſiderari poſſe. Primum, in ſe ipſo, juxta excellentiam ſibi propriam. Deinde comparate ad homines, quibus colendum proponitur.

De excellentia Cordis JESU *in ſe ſpectati.*

Excellentia Cordis Jeſu in ſe ſpectati, ex ſequentibus maxime titulis ducitur: quæ ſi non curſim, ac præcipitanter legantur, ſed attente & ſtudioſe perpendantur, divino præſertim requiſito lumine; quæ ſit ſingulorum vis ad perſuadendum quod intendimus, aſpirante gratia ſentietur.

I.

Primo igitur excellentia Cordis Jeſu ducitur ex proprietatibus cordi naturaliter inſitis. Scilicet pars eſt præcipua ac nobiliſſima corporis Chriſti, juxta Philoſophorum omnium de cordis humani natura differentium ſententiam. Quum autem in rebus corporeis omnino nihil ſit corpore Chriſti excellentius aut divinius, liquet quid de cordis illius excellentia cenſendum ſit. Deinde juxta eorumdem Philoſophorum doctrinam, cor huma-

Digitized by Google

num principium eſt vitæ naturalis cujuſque hominis: atque ita Cor Jeſu principium eſt vitæ naturalis hominis Dei. Quæ quum infiniti pretii ſit, conſequens eſt, ut infiniti quoque pretii cor ipſum habeatur. Denique hoc habet peculiare ac proprium cor noſtrum, ut in eo, ceu receptaculo, ſanguis contineatur, formetur, perficiatur: igitur ex valore ac dignitate diviniſſimi Sanguinis Chriſti, qui redemtionis noſtræ pretium fuit, ipſius quoque Cordis pretium, ac dignitas æſtimari certo poteſt; nec abſimilis honor, ac reverentia utrique debetur.

II.

Secundo ducitur ex conjunctione cum anima inter omnes excellentiſſima, cujus omnium affectionum (eo ſenſu & modo quo explicatum eſt) Cor Jeſu organum eſt, atque inſtrumentum nobiliſſimum. Conjunctio autem illa cordis cum anima hoc habet peculiare, ut ipſi cordi tantum ferme dignitatis & excellentiæ tribuat quantum ipſi animæ ineſt; ut patet in cordibus virorum illuſtrium, quibus honores deferri ſolent poſt mortem, excellentiæ animorum quibus fuere conjuncta proportionati: quod omnium gentium uſu comprobatum eſt. Si ergo excellentia Cordis Jeſu ex ejuſdem animæ excellentia menſuranda eſt, quanta demum cenſenda eſt?

III.

Tertio ducitur ex arctiſſima, & ſubſtantiali, ut ajunt, unione quam habet Cor Jeſu cum perſona verbi divini,

Digitized by Google

ni. Quæ ineffabilis conjunctio quum vere reapſe & abſolute Cor Jeſu divinum efficiat, utpote vere Cor Dei: hoc ipſo, cæteris omnibus rebus creatis eminere facit, cunctiſque illius, vel leviſſimis affectionibus, commotionibus, ac ut ita dicam palpitationibus valorem infinitum conciliat. Sane quælibet res, quæ perſonam Jeſu attingit, eo ipſo digniſſima veneratione redditur: nullaque pars eſt ſacroſancti corporis quantumvis exigua, non gutta ſanguinis, non leviſſimus capillus, quæ adoratione noſtra digna non ſit. Imo res per ſeſe contemtibiles viliſſimæque, ſolo corporis Jeſu contactu honore maximo dignæ cenſentur; ut videre eſt in Cruce, clavis, lancea, ſpinis &c. Quid igitur faciendum Cordi Jeſu? quo demum honore congruo proſequi convenit? quid enim, ſi lancea ob idipſum dumtaxat quod Cor Jeſu tetigit, ac vulneravit (ut communis eſt fidelium ſententia) hominum, Angelorumque veneratione digna facta eſt; quid merebitur Cor ipſum, ex cujus ſolo contactu tantum excellentiæ vili ferro partum eſt?

IV.

Quarto ducitur excellentia Cordis Jeſu ex functione omnium excellentiſſima, ad quam formatum deſtinatumque fuit; quæ alia non eſt, quam ut arderet indeſinenter flammis amoris divini, quibus revera a primo creationis ſuæ momento ſemper mirabiliter arſit, ardebitque ſine intermiſſione in æternum. Porro ſi quis æſtimare novit quæ ſit divini illius amoris excellentia,

Digitized by Google

næ ille facillime judicabit, quæ & qualis eſſe debeat excellentia cordis ad hunc finem præcipue procreati, ut divinum illud amoris incendium in omnem æternitatem & pateretur, & faceret. Atque ex iſto maxime titulo intelligere licebit quantopere Cor illud diviniſſimum Patri æterno complacitum eſſe debeat; quum nihil in conſpectu ejus acceptius eſſe omnino poſſit amore illo unigeniti Filii ſui. Et quidem ſingularis illa dilectio, qua Pater Æternus Cor Jeſu complectitur, tam aperte ex variis revelationibus minime ſuſpectis, & ſuo loco a nobis afferendis conſtat; ut vix vocari in dubium prudenter poſſe videatur. Cujus ſane rei cauſæ, æquum eſt, ut a viris ſpiritualibus inveſtigentur; ac fidelibus ad Sanctiſſimi cordis gloriam, juxta divinum beneplacitum manifeſtentur. Hoc vero munere dum nos præſenti opuſculo fungimur, ac pro tenuitate noſtra lucem aliquam veritati in umbris adhuc deliteſcenti afferre conamur, vehementer optamus, precamurque, ut Deus aliis famulis ſuis nobis aptioribus dignioribuſque, lumen copioſius infundere dignetur; quo diviniſſimi Cordis excellentia, illorum opera, luculentius cognoſci poſſit. Nam ex iis certe quæ jam innotuerunt, æſtimari tuto poteſt latere in hoc ſacroſancto Corde ineffabiles divitias mundo adhuc incognitas; quæ ut tandem aliquando cognoſcantur, & Deo maxime glorioſum, & Eccleſiæ fructuoſiſſimum futurum ſit.

V.

Quinto ducitur excellentia Cordis Jeſu ex ſanctitate

ipſi

Digitized by Google

ipſi propria. Fide conſtat, Cor Jeſu ſanctum eſſe ſanctitate verbi divini, atque adeo ſanctitate infinita. Sed hæc ſanctitas ſingulis corporis partibus communis eſt; hîc peculiarem ac cordis propriam attingimus. Circa quod, hæc obſervanda. 1o. Corpus humanum animæ cui conjunctum eſt ſanctitati participat: inde honos Sanctorum reliquiis debitus. Quo vero anima ſanctior, eo quoque ſanctius ipſum corpus: quare reliquiæ ſanctorum magis inſignium, inſigniores etiam ac pretioſiores habentur. 2o. Inter omnes corporis partes, ea quæ ſanctitati magis participat ipſum eſt cor: unde fit ut inter cæteras corporis Sanctorum reliquias hæc pretioſiſſima habeatur. Ratio vero diſcriminis peti debet; primo quia cor, quum omnium affectionum ſanctarum, quibus ipſa animæ ſanctitas perficitur, cooperator ſuo modo ſit, ac propria ſedes; neceſſe eſt, ut ex illo quidem capite ſanctitati magis communicet. Deinde (quod peculiari hîc animadverſione digniſſimum videtur) certum eſt excellentiora Spiritus Sancti dona, quæ Deus eximiis ac ſelectis famulis ſuis divinitus infundere ſolet, in cordibus eorum præcipua quadam ratione (quoad effectus ſenſibiles) recipi, ac contineri. Ita ſane, cœleſtium chariſmatum infuſiones, gratiæque impreſſiones extraordinariæ, favores denique omnes peculiares, quibus Deus homines ad ſublimiorem ſanctimoniam evehit, aut jam evectis gratificatur, corda ipſorum præcipue afficere ſolere indubitatum eſt. Scilicet in cor dulcedo cœleſtis ac ſuavitas inſtillatur: in corde dolores & anguſtiæ di-

vinitus immiſſæ ſentiuntur: e corde gemitus erumpunt, & ſuſpiria: e corde languores, & amoris divini deliquia enaſcuntur: ſive contingat animum extraordinario illo divini amoris igne ſuccendi, iiſdem continuo flammis cor aduritur; ſive anima vehementiori peccatorum dolore penetretur, eodem illico doloris aculeo cor transfigitur ac laceratur; ſive illa cœleſtibus deliciis delibuta Dei ſui ſacris amplexibus fruatur; aut contra, ut in vita ſpirituali aſſolet, variis anguſtiis, afflictionibus, mœroribus, aliiſque laboribus interioribus oppreſſa probetur ac purificetur; iiſdem omnibus affectionibus cor extraordinarie commovetur: adeo ut ipſis ſanctis atteſtantibus, cuncta hæc in ſolo corde recipi, contineri, agi, ac perfici vividiſſime ſentiatur. Certum rurſus eſt, non aliam in corpore noſtro Spiritus ſancti ſenſibilem ſedem eſſe, non aliud templum quam ipſum cor: non alibi Chriſtus Dominus ſe præſentem ſenſibiliter reddit; non aliud in membris noſtris eligere domicilium ſolet. Quæ omnia experientia ac teſtificatione Sanctorum adeo certa ſunt, ut nemo ſit vitæ interioris arcanis initiatus, qui de his dubitare poſſit.

Jam vero, quantum his omnibus Spiritus Sancti muneribus, donis, gratiis, favoribus, infuſionibus, impreſſionibus, deliciis, doloribus, in cordibus Sanctorum receptis, ipſa corda ſingulariter, ac miro quodam modo ſanctificata maneant: eoque perfectius, quo munera illa omnia perfectiora ſunt, res ipſa per ſe clamat, nec explicatione indiget. Ex quo demum intelligere

gere licet, quid de ſanctitate Cordis Jeſu cenſeri debeat: quum manifeſtum ſit, quicquid in eo gratiarum genere in Sanctorum cordibus extitit, etiamſi omnia ſimul in unum colligantur, nihili prorſus facienda eſſe, ſi cum divitiis Cordis Jeſu comparentur. O ſi divitiæ illæ immenſæ, O ſi fontes illi uberrimi ſanctitatis, O ſi harum prærogativarum pretium infinitum probe a fidelibus, affulgente divina luce, cognoſci poſſent! Nihil certe deſiderandum ultra remaneret, ad excellentiam Cordis Jeſu demonſtrandam, alteque in omnium animis imprimendam.

VI.

Sexto ducitur excellentia Cordis Jeſu ex virtutibus, quarum principium ac ſedes eſt; uti antea ſæpe diximus: ſed dictis hæc addidiſſe juvabit. Obſervandum itaque, id quod apud omnes gentes, natura ipſa docente, communiter & univerſe receptum eſt: imo quod ipſo Spiritus Sancti eloquio in omnibus Scripturæ paginis confirmatum invenitur: videlicet cor humanum arctiſſimam habere cum animi virtutibus conjunctionem; iiſque ipſis virtutibus ſuo modo, ac peculiari quadam ratione vere perfici, ornari, ac nobilitari; quemadmodum ſuo quoque modo vere ad earum productionem cooperatur, ut ſupra diximus. Et vero cernimus virtutes animi proprias, cujuſvis demum generis illæ ſint, cordi etiam ipſi vulgo tribui. Sicut enim animo adſcribitur patientia, manſuetudo, humilitas, obedientia, liberalitas, celſitudo, magnificentia, magna-

nimitas; ita & cordi eædem virtutes tribuuntur. Dicitur enim, communi apud homines ſermone in ſacris etiam codicibus uſurpato, cor patiens, cor manſuetum, cor humile, cor obediens, cor liberale, cor generoſum, cor magnificum, cor magnanimum. Imo ſicut animorum, ita & cordium excellentia, ex harum excellentia virtutum, æqua proportione menſuratur. Scilicet corda virorum illuſtrium, heroum, ſummorum Ducum, inclytorum Principum; ſed præcipue, ut decet, Sanctorum & amicorum Dei eo ſtudioſius commendantur ac coluntur, honorificentiuſque habentur, quo perſonæ, dum viverent, ſublimioribus inſtructæ fuere virtutibus. Cujus rei ratio, hæc, quam ſæpe diximus, congruenter afferri poſſe videtur: quod ſcilicet affectiones animi & virtutes, in cor naturaliter ac ſenſibiliter derivatæ, ita ipſum afficere ſolent, ut earum propria cauſa ac ſedes eſſe videatur. Quare eo excellentius apud homines haberi convenit, quo virtutes ex illo fonte excellentiores prodiere, hæcque ſedes illuſtrioribus quaſi ornamentis decorata fuit. O quid igitur exiſtimandum de excellentia Cordis Jeſu, omnium nempe ſummarum virtutum fontis: cujus comparatione quicquid magni, quicquid excellentis in cæteris cordibus reperitur, vile prorſus nulliuſque pretii judicandum eſt! Quid enim proh ſumme Deus, excellentius, nobilius, admirabilius eo Corde, in quo nihil eſſe potuit, quod infinitam Dei majeſtatem non deceret; omniaque eſſe debuere, quæ divinæ excellentiæ convenirent, ac congruerent! Quis æſtimare queat hujus divi-

vi-

Digitized by Google

vini Cordis, qualis quantuſque fuerit erga Deum Patrem amor; quam incenſum illius gloriæ, quamque immenſum ſtudium; quæ ejus ſummiſſio; quæ obedientia; quæ fiducia; quantus de injuriis divinæ bonitati factis dolor? Erga homines autem quæ illius miſericordia; quæ patientia; quæ charitas? De virtutibus vero, quæ majorem apud homines habere admirationem ſolent, quales ſunt fortitudo, conſtantia, animi celſitudo, liberalitas, magnificentia, magnanimitas; ecquis exprimere aut etiam cogitatione aſſequi valeat, quantæ, quamque admirabiles fuerint in Corde Jeſu?

VII.

Septimo denique, quo res aliqua creata plus ad Dei gloriam conducit, eo profecto & Deo chariorem, & hominum cultu, amoreque digniorem eſſe neceſſe eſt. Hæc enim vera ac certa norma eſt, ſi recte judicare velimus, pretii ac meriti cujuſcumque rei. Unde aperte ſequitur, Cordi Jeſu ſingularem plane, imo ſummum honorem inter cæteras omnes res creatas eſſe deferendum; quum alia nulla ſit quæ ad Dei gloriam plus contulerit, adhucque conferat, æternumque collatura ſit, quam Cor Jeſu; ex quo nimirum tanquam ex fonte omnes Chriſti affectiones, quibus Deus infinite colitur, prodiere.

Atque ex illis quidem omnibus conſiderationibus rite perpenſis evidens redditur, Cor Jeſu in ſeipſo ſpectatum, quod primo loco propoſuimus, rem eſſe

Digitized by Google

ſupra omnem modum excellentiſſimam, infinitaque veneratione digniſſimam. Verum hæc eadem veritas longe fiet illuſtrior ac evidentior, ſi Cor illud diviniſſimum conſiderare jam libeat comparate ad homines, quibus colendum proponitur. Quod erat ſecundo loco explicandum.

De Corde Jesu *comparate ad homines.*

Enim vero quid fidelibus populis exhiberi potuit ad eorum aut venerationem excitandam, aut amorem alliciendum potentius, quam Cor diviniſſimum & amabiliſſimum Redemtoris? Quæ demum alia res, ſeu in Cœlo, ſeu in terris cogitabilis eſt, non modo ſanctior, verum etiam dulcior & amabilior: ad cujus nimirum aſpectum ſubito in memoriam ſuaviſſime reducuntur, tum amor immenſus quo amantiſſimus Dominus homines complexus eſt; tum beneficia numero ac magnitudine infinita ab eo in genus humanum profecta; tum denique labores ac dolores quos noſtrum omnium cauſa toleravit. Hæc enim omnia in eo ſacratiſſimo Corde non contenta ſolum, ſed deſcripta quodammodo, & quaſi inſculpta cernuntur. Quæ dum dicimus, ſi quis ſtatim non ſentiat, næ ille humano ſenſu plane carere judicandus eſt. Ego ſane quum mecum ipſe animo reputo, quid natura ipſa in nobis efficiat, quoſve animi ſenſus inſpiret adverſus earum perſonarum corda, quibus nos aut ardentiſſimus amor conjunxit; aut gratus animus arctiſſime devinxit. Quum exem-

exempli cauſa conſidero, quid ſponſa cariſſima experiatur ac ſentiat ad aſpectum cordis ſponſi dilectiſſimi, in pignus amoris ab eodem moriente relicti ac tranſmiſſi. Quid in ſimili caſu aulicus, aliuſve ſubjectus ab optimo Rege beneficiis cumulatus perſentiat, cui videlicet cor Regis ſui ac benefactoris munificentiſſimi in benevolentiæ monimentum ſibi in morte legatum recipere contingit: quo animi affectu, qua charitate, quo amore, qua veneratione, quam illuſtribus grati animi teſtificationibus chariſſima illa pignora admittantur: quam decenter, quam honorifice ac magnifice collocentur: quanta cura ac ſtudio conſerventur. Hæc inquam quum animo reputo, pudet profecto quum me huc adigi video, ut rationibus evincam, Cor Jeſu a fidelibus venerandum & amandum eſſe.

Cogita igitur, quiſquis hæc legis, animoque revolve, agi in præſentia de Corde Dei ac Creatoris noſtri, Redemtoris noſtri, Regis noſtri, benefactoris noſtri, amici, fratris, ac Patris noſtri, ſponſi denique nobiliſſimi ac dilectiſſimi animarum noſtrarum; hæc inquam cogita, hæc animo revolve, teque ipſum tacitus conſule, quid demum honoris, quid amoris, quid pietatis, Cordi amantiſſimo ac diviniſſimo debeatur. Cogita quid facturus eſſet populus Chriſtianus, ſi contingeret Cor illud Sacroſanctum, a nobis tot capitibus colendum & amandum, in noſtra eſſe poteſtate. Finge tantiſper ejuſmodi caſum, nimirum quod in orbe Chriſtiano, peculiaris quædam Eccleſia Cor diviniſſimum Jeſu inter ſacras reliquias ſibi pro-

prias

Digitized by Google

prias poſſideat. Proh Deus immortalis, quantus demum ille theſaurus haberetur! Quam dives ac fortunata Eccleſia illa cenſeretur! Qui honores deferrentur! Qua pompa, quibus gaudiis, quo Provinciarum omnium concurſu ac Jubilo feſtivitas diviniſſimi Cordis ageretur; quod ſtudium peregrinorum, quæ ſollicitudo quærendi, quis ardor videndi, adorandi, oſculandi! Hîc vero jam mihi quærere liceat, an hoc ſtudium, hic amor, hæc pietas, hæc officia religionis quæ Cordi Jeſu mortuo, & a reliquo corpore avulſo nulloque ſenſu prædito deberentur; negari æquum videatur eidem Cordi viventi, ſentienti, amanti: ſcilicet conjunctio illa quam nunc habet cum reliquo corpore; vita ac ſenſus quibus præditum eſt, ejus fortaſſe excellentiam minuunt, minuſque dignum reddunt hominum veneratione & amore. O cæcitatem humanæ mentis quæ hæc non videat! O Cordis incredibilem duritiem, quæ hæc non ſentiat! O vim præjudiciorum ſtupendam, ſi in tam clara luce offuſæ menti tenebræ non diſcutiantur.

Unum ego dumtaxat in re præſenti cuperem, quod ad omnium voluntates permovendas & ad deſideratum finem perducendas ſufficientiſſimum eſſet; nimirum ut fideles Cor amantiſſimi Redemtoris identidem contemplarentur amore ipſorum perpetuo ardens; miſeriis illorum toties vehementer commotum & afflictum; toties ob peccata eorum amariſſime vexatum ac contritum; in quo conſilia omnia ad eorum felicitatem pertinentia ſuſcepta ſunt; ex quo tanquam ex fonte bona cuncta quibus in præſentia gaudent, aut

quæ

Digitized by Google

quæ in futurum expectant, prodierunt aut prodibunt. Denique (id quod præcipua hîc conſideratione digum eſt) tot ac tantis doloribus hominum amore oppreſſum, ut vere de eo affirmari poſſit, ipſum ſolum plura & acerbiora noſtri cauſa pertuliſſe, quam reliquas omnes diviniſſimi corporis partes etiam ſimul ſumtas. Certum quippe atque indubitatum apud omnes eſt, interiorem Chriſti Salvatoris paſſionem, exteriori, multo fuiſſe acerbiorem ac crudeliorem: paſſio autem illa interior, quanta quanta fuit, tota Cordis fuit; hanc totam, Cor præcipue, imo ut verius loquar, unice toleravit: in hoc quippe ſanctiſſimo Corde omnes animæ dolores ceu in centrum quoddam confluxere. Ita ſane eſt, quicquid triſtitia illa *uſque ad mortem*; quicquid derelictio Patris; quicquid contritio peccatorum immenſa; quicquid timor, tædium, pavor; quicquid agonia ſudore ſanguineo miſta acerbi, amari, crudelis, terribilis habuere ſeu in horto, ſeu in decurſu paſſionis, ſeu demum in Cruce; quod certe omnem excedit fandi aut cogitandi facultatem, id totum calix fuit Cordis proprius: ineffabile illud dolorum pelagus totum in Cor confluxit: his fluctibus amaritudine quadam immenſa infinitoque dolore Cor impletum & obrutum eſt. O ſi liceret ſtatum illum afflictiſſimi Cordis graphice deſcribere! O quin tibi hoc ipſum liceat Angelorum fortunatiſſime, cui a Deo Patre conceſſum ac commiſſum eſt, Cor diviniſſimum in agonia conſtitutum conſolari ac confortare; ut quæ tunc lugens contemplatus es, ea nunc

Digitized by Google

ad noſtram totiuſque Eccleſiæ diſciplinam, & ad hujus Sacroſancti Cordis gloriam oculis mentis noſtræ depingere poſſis! Quam facile cunctis de repente appareret, Cor Jeſu, amoris divini ſeveritati relictum, ad ſtatum longe luctuoſiorem fuiſſe redactum, quam ipſum corpus militum furori tortorumque crudelitati permiſſum. Et hunc quidem ſacratiſſimi Cordis ſtatum propheta di-
Pſalm. 21. ſertis pridem verbis expreſſerat. *Factum eſt Cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei. Im-*
Pſalm. 68. *properium expectavit Cor meum & miſeriam. Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inveni.*

Hæc ſunt quæ a fidelibus, ut ſupra dicere cœperam, attentius conſiderari vellem; certiſſime confidens, his conſiderationibus amorem ac pietatem adverſum Cor Jeſu non poſſe non excitari, ac vehementer accendi. Quid enim, ſi carnem Chriſti ſanctiſſimam in paſſione pro nobis miſerabiliter laceratam; ſi pedes, manuſque amore noſtri clavis fixa contemplari non poſſumus abſque tenero pietatis ſenſu, quo permoti carnem illam innocentiſſimam plagis coopertam, pedes ac manus vulnerata veneramur, amamus, complectimur, oſculamur; quo tandem pacto, ipſum amantiſſimi Salvatoris Cor, tantis immerſum doloribus, ac lanceæ demum crudeli vulnere percuſſum & apertum, inſpicere valeamus ſine intima præcordiorum commotione, inflammatoque pietatis ſtudio?

Supereſt ut his omnibus conſiderationibus in laudem

Digitized by Google

dem Sanctiſſimi Cordis hactenus adductis, hanc ultimam, viris ſpiritualibus magis propriam adjiciamus. Scilicet Cor Jeſu vulneratum & apertum, veluti aſylum quoddam tutiſſimum, animabus ſingulari puritate ac charitate præditis, eſſe præparatum; in quod confugere debeant ac ſoleant, invitante Spiritu Sancto in Cant.c.2. *Veni Columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Una eſt enim Patrum, ac interpretum ſententia, vocibus illis vulnera Chriſti indicari: ita ut per foramina, plagæ pedum manuumque; per cavernam autem ipſum latus, ac cor lancea apertum, ſignificentur. Porro ſolemne eſſe puris ac fidelibus animabus in hoc aſylum confugere, ibique quaſi manſionem collocare, certa res eſt Sanctorum experientia comprobata: quorum ſelecta aliqua teſtimonia hîc adjungere placet.

S. Bernardus, de Corde Jeſu vulnerato diſſerens, pios animi ſui ſenſus erga Cor illud diviniſſimum, in hunc modum expreſſos reliquit. Quia ſemel venimus ad Cor dulciſſimum Jeſu, & bonum eſt nos hîc eſſe, ne ſinamus nos facile avelli ab eo. Accedamus ad te, & lætabimur & exultabimus in te, memores Cordis tui. O quam bonum, & quam jucundum habitare in Corde hoc. Bonus theſaurus, bona margarita Cor tuum bone Jeſu... Quis hanc margaritam abjiciat? Quin potius dabo omnia & comparabo illam mihi, jactans omnem cogitatum in Cor Domini Jeſu: ad hoc templum, ad hæc Sancta Sanctorum, ad hanc arcam teſtamenti adorabo & laudabo nomen Domini, dicens cum David: « « « « « « « « « « «

Tract. de Paſſ. c. 3.

» inveni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego
» inveni cor Regis, Fratris & amici benigni Jeſu, &
» numquid non adorabo? Orabo utique, cor enim illius
» meum eſt, audacter dicam: nam ſi caput meum Chri-
» ſtus eſt, quomodo quod capitis mei eſt, non meum eſt?
» Hoc igitur Corde tuo & meo, dulciſſime Jeſu, inven-
» to, orabo te Deum meum: admitte tantum in ſacra-
» rio exauditionis tuæ preces meas; imo me totum trahe
» in cor tuum. O omnium ſpecioſiſſime Jeſu amplius
» lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda
» me, ut in Corde tuo omnibus diebus vitæ meæ me-
» rear habitare. Ad hoc enim perforatum eſt latus tuum,
» ut nobis pateſcat introitus: ad hoc vulneratum eſt Cor
» tuum, ut in illo, & in te ab omnibus perturbationi-
» bus abſoluti habitare poſſimus... propterea vulnera-
» tum eſt, ut per vulnus viſibile vulnus amoris invi-
» ſibile videamus. Quomodo hic ardor melius oſtendi
» poteſt, niſi quod non ſolum corpus, verum etiam ipſum
» Cor lancea vulnerari permiſit... Quis illud Cor tam
» vulneratum non diligat? Quis tam amantem non re-
» damet?

Stim. Div. amor. c. 1. D. Bonaventura, agens de Chriſti vulneribus
» hæc habet: O amantiſſima vulnera Domini noſtri
» Jeſu Chriſti! quum in ea ſubintrarem, perveni ad inti-
» ma viſcera charitatis ſuæ, ibi inhabito... ibi tanta
» abundo dulcedine, ut tibi non valeam enarrare. O cæ-
» citas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Chriſto ne-
» ſciunt introire! Beatitudo Angelorum patet, & cir-
» cumſtans paries ejus confractus eſt, & vos introire ne-

gli-

gligitis. Crede mihi, o homo, quia ſi in Jeſum per hæc « anguſta foramina introire volueris, non ſolum anima, « ſed etiam corpus tuum quietem ac dulcedinem mira- « bilem inveniet... & ſi ita accidit de corpore, quanta « putas animam frui dulcedine, quæ per illa foramina « conjungitur Cordi Chriſti: certe exprimere nequeo: « ſed experire. Ecce aperta eſt apotheca omnibus aroma- « tibus plena... ecce aperta eſt janua Paradiſi, & per « lanceam militis gladius verſatilis amotus eſt: ecce aper- « tus eſt theſaurus ſapientiæ, & charitatis æternæ: intra « ergo per vulnerum aperturam. O quam beata lancea « & beati clavi qui apertionem hujuſmodi facere merue- « runt. O ſi fuiſſem loco illius lanceæ, exire de Chriſti « latere noluiſſem, ſed dixiſſem: hæc requies mea in ſæ- « culum ſæculi, hic habitabo quoniam elegi eam. O ani- « ma ecce ſponſus tuus dulciſſimus præ nimio amore « aperuit tibi latus, ut tibi tribuat Cor ſuum. «

Illuc quoque ſpectabat Auguſtinus in manuali cap. 23. Longinus, inquit, aperuit mihi latus Chriſti lan- « cea, & ego intravi, & ibi requieſco ſecurus. Quæ « Auguſtini verba Doctiſſimus Suarez referens, agens de vulnere lateris Chriſti, hæc habet. *Chriſtus vulnerari voluit in ea parte Corporis, qua ejus Cor hominibus quaſi patere poſſet; ut intelligerent ſibi apertum oſtium, per quod in Cor Chriſti ingredi, illicque poſſent requieſcere.* *In 3. part. T. 2. diſp. 41. ſect. 1.*

Idem experiebatur S. Laur. Juſtin. tract. de caſto connub. c. 8. Oſtia hæc intuemini: lateris, manuum- « que, pedumque fixuras videte Redemtoris: apertæ «

 ſunt,

„ ſunt, introire ne timeatis: intus eſt latitudo immen-
„ ſa, deliciæ inæſtimabiles, & odoramenta, per quæ
„ interiores animæ ſenſus reparantur, & pacatiſſima
„ quies.

Idem teſtatur S. Thomas de Villanova, concione
„ 2. in Aſc. Dom. Turtur ipſa eſt caſta & gemebunda
„ Eccleſia, ſponſi ſui ſolatio viduata; cui in hac viduita-
„ te gemitus continuus pro cantu eſt... nidus turtu-
„ ris pectus eſt dilecti ſui, in quo per lateris aperturam
„ ſubintrans, ſecura nidificat.

Idem & Guerricus Abbas, ſermon. 4. in Do-
„ min. Palm. Benedictus, qui ut nidificare poſſem in
„ foraminibus petræ, latus perforari ſibi tulit; & ſe mihi
„ totum aperuit, ut ingrediar in locum tabernaculi admi-
„ rabilis... tuta habitatio, fratres mei, turriſque forti-
„ tudinis a facie inimici: ingredere igitur in petram, o
„ homo; & abſcondere in foſſa humo... in foſſo latere
„ te ipſum reconde. Vulnus enim in latere Chriſti,
„ quid, niſi oſtium in latere arcæ, ſalvandis a facie di-
„ luvii... ideo latus ſuum aperuit ut ſpiritus Cordis qua-
„ ſi patenti & libero meatu aſpiret: ibi tuto latebis... ibi
„ deliciis affiues.

Verum has affectiones erga Cor Jeſu, animique delicias ex illo diviniſſimo fonte prodeuntes, nemo ſuavius deguſtavit, aut mirabilius expertus eſt, quam ſelectæ quædam Virgines a Chriſto Domino præcipuo amore dilectæ, & ab ipſo cœleſti ſponſo Cordis ſui divitias edoctæ; quarum aliqua teſtimonia hîc apponere operæ pretium viſum eſt. Eminet inter cæteras S. Ger-

Digitized by Google

Gertrudis, ex cujus vitæ actis, ac revelationibus perſpicuum fit vix aliam in Eccleſia Virginem reperiri, in quam tot tamque admirabiles gratias ac favores Deus contulerit: hæc igitur divinitus inſpirata ardentiſſimo ſemper erga Cor Jeſu accenſa ſtudio fuit; atque ex illo ſacratiſſimo fonte infinita gratiæ dona, cœleſteſque delicias perenni fluxu in ſe emanaſſe teſtatum poſteris ſcripto reliquit. Inſignis eſt in primis ille locus libri 2. cap. 23. (qui liber ab ipſamet virgine conſcriptus eſt) ubi poſt enumerata multa atque mira beneficia, ſibi ab infinita Dei liberalitate conceſſa, gratiaſque agens pro ſingulis; de beneficiis e Corde Jeſu in ſe profectis ſubjungit in hæc verba, quæ uti jacent in libro inſinuat: refero. Præter hæc omnia, addi- «
diſti etiam mihi inæſtimabilem amicitiæ familiaritatem «
impendere, nobiliſſimam illam Deitatis arcam, ſcilicet «
deificatum Cor tuum diverſis modis mihi præbendo «
in copiam omnium delectationum mearum: nunc «
illud mihi gratis donando, nunc ad majus mutuæ fa- «
miliaritatis indicium illud cum meo commutando: «
cum quo Corde, tam occulta ſecretorum judiciorum «
ſimul & deliciarum tuarum mihi manifeſtaſti; ac tam «
amiciſſimis blanditiis, animam meam multoties liquefe- «
ciſti; ut ſi abyſſalem ſuperfluentiam dignationis tuæ «
ignorarem, mirarer ſi intelligerem, te, vel Matri tuæ «
benigniſſimæ tecum in Cœlo regnanti, tales blandi- «
tias, tam dignantiſſimo affectu exhibuiſſe. Eodem lib. «
2. c. 21. hæc refert. Super hæc omnia adjecit inæſti- «
mabilis virtus charitatis tuæ, Deus meus, hæc dona «

ſu-

Digitized by Google

» ſupra dicta tali pacto dignantiſſime obfirmare. Nam
» quum die quadam ea beneficia mente revolverem, &
» uſque ad illam præſumtionem ducta fuiſſem, quod
» cauſarer te mihi ea beneficia more pollicitantium
» manu ad manum non firmaſſe; tua tractabiliſſima ſua-
» vitas his querelis ſe benigniſſime ſatisfacturum pro-
» miſit, dicens: ne hoc cauſeris, accede & ſuſcipe pacti
» mei firmamentum. Et ſtatim parvitas mea conſpexit
» te, quaſi utriſque manibus mihi pandere arcam illam
» divinæ fidelitatis, atque infallibilis veritatis, ſcilicet
» deificatum Cor tuum; & jubentem me perverſam mo-
» re judaico ſigna quærentem, dexteram meam exten-
» dere, & in ſacratiſſimum Cor tuum mihi patefactum
» immittere: & manu mea ſic in Cor tuum incluſa
» dixiſti: ecce dona tibi collata me tibi illibata ſervatu-
» rum promitto.

In revelationibus Beatæ Mechtildis (de qua Caniſius noſter ita loquitur: Virgo divino ſpiritu illuſtrata, & in ſacris revelationibus probe ſanctéque verſata: tam ſancta & ſapiens, ut electum Dei organum præclaris diviniſque dotibus ornatum, quum viveret, merito haberetur; multaque miranda per illam ſuam ſponſam Chriſtus & docuerit & oſtenderit) Hæc commemorantur *Reſpondit Dominus do tibi Cor meum in pignus ... do etiam tibi Cor meum in domum refugii ... hoc donum unum erat ex præcipuis donorum Dei ... cœpitque ex tunc mira devotione circa divinum Cor Domini Jeſu affici; & fere quotieſcumque illi Dominus apparebat, aliquod ſpeciale donum a Corde ejus accipiebat*

l. 1. c. 13. de Mar. V.

De gratia ſpirituali ſeu revelat. B. Mecht. l. 1, c. 28. ed. Venet. ann. 1558.

bat: ſicut patet in multis locis libri bujus. Sæpe etiam ipſa ſimpliciter ita dicere ſolebat: ſi omnia ſcribi deberent, quæ a benigniſſimo Dei corde mihi collata ſunt bona, matutinalis libri quantitatem excederent.

Alia bene multa de Sacroſancto Corde Jeſu paſſim in dictis revelationibus tam S. Gertrudis, quam S. Mechtildis reperiuntur; quæ conſulto prætermittimus, tum ut brevitati conſulamus: tum quia cœleſtes ejuſmodi favores, inexpertæ multitudini concredere fortaſſe minus expediat.

CAPUT II.

Satisfit objectionibus.

QUum ex hactenus dictis, & ex iis maxime, quæ capite ſuperiori explicata ſunt, erui potiſſimum debeant reſponſiones ad argumenta contra cultum Cordis Jeſu jactari ſolita; operæ pretium videtur, dum ea quæ dicta ſunt ex recenti lectione adhuc memoriæ hærent, has objectiones diſſolvere. Neque enim alius in hoc opuſculo locus opportunior occurret, huic muneri faciendi ſatis. Age igitur oppugnantium rationes excutiamus, earumdemque inanitatem, divino aſpirante lumine, oſtendamus.

OBJECTIO I.

Ajebant primo, Cor Jeſu rem eſſe prorſus materia-

 lem,

Digitized by Google

lem, adeoque parum idoneam ad ſolidam fidelium pietatem fovendam, quæ quum eſſe debeat maxime ſpiritualis, objecto (hoc ſcholæ verbo uti liceat) a materia magis diſcreto indigere videtur.

Verum ſi huic argumento vis aliqua contra cultum Cordis Jeſu inſit, illo eodem certe æque impetuntur innumera pietatis officia jam in univerſa Eccleſia receptiſſima; quorum nimirum objecta nihilo ſunt minus materialia, quam Cor Jeſu. Impetitur cultus Corporis & Sanguinis Chriſti; impetitur cultus plagarum; cultus Crucis; cultus SS. Sudarii; cultus coronæ ſpineæ; aliarumque ſexcentarum ejuſmodi rerum, quæ licet corporeæ ac materiales ſint, univerſæ tamen, Eccleſiæ dignæ viſæ ſunt quæ non modo fidelium pietati colendæ proponerentur; verum etiam ut de earum ſingulis feſti dies ſolemni pompa agerentur. Quæ ſane quum ego ſæpius conſiderarem, mirari non deſinebam adverſariorum attentionem nullam; quid enim, ajebam, vident ipſi celebrari feſtum Crucis, feſtum ſacratiſſimæ Sindonis, feſtum lanceæ, feſtum ſpineæ coronæ cum officio & Miſſa propriis, ab Eccleſia Rom. probatis: imo unius etiam clavi quo ſacrum corpus fixum, unius ſpinæ qua punctum eſt, feſtum agi vident: ſolemnitatem etiam ipſius nominis Jeſu, quod mirabilius videri poteſt, totâ Eccleſiâ celebrari vident; & tamen dum hæc & ſimilia ſuis paſſim hauriunt oculis, in dubium vocant, litigant, pugnant, utrum idem honor Cordi Jeſu concedi liceat. Hæc poſteri credent? hæc ſine admiratione audient?

Sed

Sed aliam reſponſionem accipe objectioni factæ elidendæ magis idoneam; ex qua nimirum apparebit falſo illam fictitioque nixam eſſe fundamento. Immenſum quippe errant illi, qui in objecto cultus Cordis Jeſu nihil vident niſi materiam: quanquam enim veriſſimum ſit ipſum Cor Jeſu corporeum principaliter a nobis coli; attamen ita colendum proponitur, ut ab aliis rebus maxime ſpiritualibus, quibus intime conjunctum eſt, minime ſeparetur. Non ſeparatur a perſona Verbi, per quam ad divinum ordinem evehitur; non ab anima Chriſti, a qua vitam & ſenſum obtinet, quæque ſuam ei nobilitatem ac excellentiam totam quaſi infundit & communicat; non ab affectionibus ac virtutibus infiniti pretii, quarum cor verum principium, in ſenſu prædicto, ac ſedes eſt, & a quibus infinitum quoque valorem cor adipiſcitur; non ab illis omnibus Spiritus Sancti donis, cœleſtibuſque gratiæ infuſionibus ſupra memoratis, a quibus ſanctitatem immenſam participat. Hæc autem omnia cum Cordi Jeſu nexu indiſſolubili conjuncta ſint; & ab his ipſis dignitatem, pretium, nobilitatem, ſanctitatem, divinitatem, omnem denique perfectionem Cor accipiat; prorſus neceſſe eſt, ut cultus Cordi adhibitus hæc omnia ſimul & indiviſe attingat: adeo ut ex his omnibus ſimul ſumtis confletur unum aliquod totum, quod verum ſit & adæquatum objectum cultus, quo de agimus. Hoc autem ſi verum eſt, ut ſane eſt, evidentiſſime ſequitur, objecto illo cultus noſtri ita ſpectato, nihil eſſe poſſe ſeu in terris, ſeu in Cœlis, nobilius, ſanctius,

Digitized by Google

ſublimius, divinius; & quod in præſentia caput eſt, *nihil ſpiritualius, & a materia pura magis disjunctum, ac diſſitum.*

OBJECTIO II.

Objiciebant ſecundo in hunc modum: Si cultus peculiaris Cordi Jeſu adhibendus ſit, feſtumque proprium in ejus honorem inſtituendum, quidni idem præſtetur honos aliis diviniſſimi corporis partibus? Cur enim potius iſti quam cæteris, quum par pro omnibus videatur eſſe ratio? Ergo tot erunt jam inſtituenda feſta, quot ſunt in ſacro corpore diverſæ partes: agetur feſtum pedis, feſtum manus, feſtum capitis, frontis, oculorum, oris, &c.... Nec finis erit ejuſmodi celebritatum inſtituendarum: quod certe nemo ſapiens approbabit.

Hoc fuit quaſi palmare contradictorum argumentum; hoc omni occaſione inſultantes oggerebant; hoc telo cultores Cordis Jeſu ita percelli putabant, ut ab eis nullo conamine aut repelli, aut eludi poſſe crederent. Denique hoc unico argumento freti victoriæ ſecuri, proſtratos adverſarios miſerantes aſpernabantur. Verum hæc omnia qua veritate, qua ſoliditate, qua ſapientia & prudentia, acta dictaque ſint, ex ſequentibus animadverſionibus planum fiet.

1o. Negari nullo pacto poteſt, infinitum quoddam diſcrimen eſſe inter proprietates Cordis Jeſu, quæ illius cultum peculiarem ſuadent; & rationes colendi

lendi quæ ad cæteras ſacri corporis partes pertinent: ut ex his quæ toto ſuperiori capite expoſita ſunt, perſpicuum eſſe confidimus. Hinc fit ut tametſi cæteris partibus cultum deferre non expediret (quod ab adverſariis errore deluſis, tanquam certum aſſumi videtur) nullum propterea cultui cordis præjudicium afferretur; quum illius prerogativæ ſupra reliquas partes ſint indubitatæ. Eos vero, qui tanta confidentia nos interrogant, cur potius Cordi honorem haberi velimus quam cæteris corporis partibus, facile revincere poſſumus interrogatione ſimili: dicant ergo ſi placet, cur apud omnes nationes, ſola natura duce, uſus invaluerit, quod ſi homo aliquis eximie amator, aut beneficus, illuſtre quoddam amoris ſui ac benevolentiæ pignus relinquere poſt mortem velit; is non pedem, non manum, non caput relinquit, ſed cor. Interrogamus itaque & nos, cur potius cordi hic honos habeatur quam cæteris corporis partibus? Reſpondeant adverſarii, hujuſque differentiæ ab omnibus hominibus aſſertæ rationem afferant: afferent certe ſimul eam, quam a nobis expoſtulant Cordis Jeſu prærogativam.

20. Notandum diligenter eſt, vehementer errare adverſarios, quum aſſumere tanquam rem certam videntur, adhibendum non eſſe cultum peculiarem cæteris corporis Chriſti partibus. Indubitatum quippe eſt, ſingulas diviniſſimi corporis partes, etiam ſingillatim ſumtas, honore infinito dignas eſſe; quum infinitæ excellentiæ ſint, propter conjunctionem cum verbo. Neque hoc a quoquam ſine errore manifeſto negari poſſe

Digitized by Google

videtur. Fatendum inſuper in ſingulis ſacratiſſimi corporis partibus, præter illam rationem univerſalem, e conjunctione cum verbo petitam, qua honore infinito in communi dignæ redduntur; peculiarem ineſſe proprietatem, qua unaquæque pars peculiari quoque veneratione & affectione digna efficitur. Quod ut ſtatim perſentias, optime ac religioſe lector, inſpice precor animoque perluſtra ſacroſancti corporis partes ſingulas. Inſpice frontem illam ex una parte majeſtate humano-divina refulgentem; ex altera ſpinea corona redimitam, plurimoque vulnere cruentatam. Inſpice divinos illos oculos cœleſti modeſtia ac gravitate conſpicuos, quorum ſuavitate conſpectuum miſericordiam ubique ſpirantium, tot peccatores ad pœnitentiam adducti ſunt. Os illud ſacrum intuere, ex quo tot oracula, tot cœleſtia ad ſalutem documenta, tot admonitiones, exhortationes, allocutiones, divina vi ac ſuavitate condita prodiere. Aures illas ſalvatore dignas conſidera, peccatorum precibus ſemper pervias, & ad miſerorum poſtulationes exaudiendas unice factas. Manus illas contemplare infinita poteſtate præditas, divina liberalitate ac munificentia commendabiles, tot patratis miraculis ac prodigiis admirandas, denique tot collatis in homines beneficiis, ac fixuris maxime clavorum amabiliſſimas. Sacra genua conſpice, toties ad Deum tibi placandum in oratione humi fixa. Pedes ſanctiſſimos intuere, tot itineribus, laboribus, defatigationibus ac ſævis demum clavorum vulneribus veneratione noſtra, amore, amplexibus, ac repetitis oſculis digniſſimos

Digitized by Google

mos. Totum denique corpus plagis a planta pedis uſque ad verticem pro te conſciſſum contemplare, & fatere veriſſimum eſſe quod diximus, in ſingulis diviniſſimi corporis partibus, peculiarem aliquam reperiri rationem, qua fidelium venerationem, admirationem, amorem, miſerationem, amplexus, oſcula, intimamque viſcerum commotionem omnimodis mereantur. At in his certe affectionibus verus interior cultus conſiſtit.

Ergo, inquies, jam ſingulis ſanctiſſimi corporis partibus cultus adhibendus erit. Id quidem omnino ſane, ſi de cultu privato ſermo ſit; ſed nondum, ſi de publico. Nam quod ad privatum cultum attinet, eum non modo licitum & honeſtum eſſe, ſed etiam ſanctum & in Eccleſia uſurpatum Sanctorum exempla declarant. Quis enim ita peregrinus in rebus ſpiritualibus ſit, qui ignoret animas vitæ interiori deditas in contemplando corpore Chriſti aſſidue verſari; ejuſque diverſis partibus venerationem ſingillatim adhibere ſolitas: quo in exercitio, & magna ſe ſpiritus voluptate frui; & ſolidum pietatis, amoriſque præſertim alimentum reperire teſtantur. Inde oratio illa D. Bernardi numeris adſtricta, mellifluí doctoris affectibus plena ad ſingulas corporis Chriſti partes; ad pedes, ad manus, ad genua, ad pectus, ad Cor, &c. quæ in operibus illius editis poſt epiſtolas collocata reperitur. Inde oratio illa pervulgata, Sancto Ignatio, aliiſque familiaris: Anma Chriſti ſanctifica me. Corpus Chriſti ſalva me. Sanguis Chriſti inebria me. Aqua lateris

Chri-

Chriſti lava me. &c. Inde aliæ ſimiles affectiones quas paſſim in operibus & actis Sanctorum reperire eſt.

Itaque de cultu quidem privato dubitationi locus eſſe non poteſt. Sed non continuo inde ſequitur, publicum quoque cultum adhibendum eſſe: non quod ſingulæ partes corporis Chriſti dignæ non ſint, ſunt enim digniſſimæ: ſed quod ad publicum cultum non ſufficit rei dignitas; ſed aliæ præterea requiruntur convenientiæ, de quibus judicium ferre penes Eccleſiam eſt. Illud autem in primis requiritur ut Deus divinam ſuam voluntatem Eccleſiæ manifeſtare certa aliqua ratione dignetur; aut privatis revelationibus, aut miraculis patratis, aut indita inſpiratione quadam univerſali: uti ſemper alias in ſimilibus caſibus contigiſſe, ex Eccleſiaſticis hiſtoriis certum eſt.

Igitur, hoc in re noſtra diligentiſſime obſervandum eſt: nimirum quum agitur de novo aliquo cultu in Eccleſia generaliter inducendo, non hominum hoc opus eſſe, ſed Spiritus Sancti. Neque putandum, inſtitutionem ejuſmodi publicam ac conſtantem, a cujuſvis hominis voluntate aut arbitrio pendere poſſe. Humanæ hoc certe ſapientiæ aut potentiæ non eſt, ſed ſolius Dei, qui hominum corda ſolus inflectit; cujuſque providentia Eccleſiæ ſuæ invigilans ac bono conſulens, diverſa religionis officia, diverſis temporibus exoriri facit; ea ratione, eoque tempore prout major ſua ipſius gloria, & fidelium utilitas exigunt. Inde effectum eſt, ut ea pietatis exercitia quæ jam conſti-

Digitized by Google

tuta videmus, non omnia ſimul fidelibus propoſita ſint; ſed alia aliis temporibus, citius aut ſerius, juxta divinam electionem ac beneplacitum.

His præmiſſis reſponſionem ad objectionem propoſitam duobus verbis concludimus: Cor Jeſu in cultu noſtro aliis Sanctiſſimi corporis partibus præferimus, tum quia id exigunt prærogativæ & excellentia ſingularis Sanctiſſimi Cordis, uti fuſe jam explicatum eſt: tum præcipue quia ſic eſt voluntas Dei, cujus indicia minime dubia toti jam Eccleſiæ patent; ut conſtare credimus ex iis quæ libro præcedenti de origine, progreſſu, ac natura piiſſimi cultus expoſita ſunt.

OBJECTIO III.

Opponebant tertio, officium hoc noſtrum erga Cor Jeſu novitatis redargui: ac præterea multis ac gravibus impugnationibus virorum etiam doctorum ac piorum patuiſſe: itaque ex hoc duplici capite ſuſpectum eſſe debere.

Reſponſio facilis eſt. Et quidem quod ad novitatem attinet. 1°. Negamus pias erga Cor Jeſu affectiones, in quibus interior cultus ac præcipuus conſiſtit, novitatis inſimulari poſſe: ut conſtat ex teſtimoniis Sanctorum ſuperius adductis, & conſtabit adhuc ex iis quæ libro III. dicenda ſunt. 2°. Fatemur novam eſſe rationem Cor Jeſu venerandi; quippe quæ cultum publicum inducit, ac certis exercitiis circumſcribit: ſed ea novitas ſi juſtam cultus noſtri calumniandi cauſam præ-

Digitized by Google

beat, eadem certe calumnia inferri potuit omnibus pietatis officiis, quotquot actis retro ſæculis in Eccleſia nata ſunt: quum nullum ſit quod aliquando novum non fuerit, initium enim habuiſſe neceſſe eſt. Ergo ad repudiandum novum aliquem cultum, ſola non ſufficit novitas; niſi etiam rationibus evincatur, rejiciendum eſſe aut tanquam pravum, aut frivolum, aut ſuperfluum: quod ut evincatur de cultu Cordis Jeſu, non eſt ſane cur timeamus; quum ejus veritas, ſoliditas, ſanctitas, tot jam argumentis demonſtrata ſit, atque iterum iterumque toto hoc opuſculo ſit demonſtranda.

Jam quod ſpectat ad impugnationes, hæc reprehenſio ſi alicujus ponderis eſt, noſter hic cultus communem certe habet cum omnibus inſignioribus religionis officiis, quæ in Eccleſia extant: quorum nimirum exordia non minoribus contradictionibus patuere. Vidimus ſupra qua importunitate, qua pervicacia, qua atrocitate, feſtum Corporis Chriſti impugnatum fuerit. Scitur quanti S. Bernardino Senenſi conſtiterit inſtitutio cultus Sanctiſſimi Nominis Jeſu. Ac ne inutiliter per ſingula eamus, conſtat, omnia divinæ miſericordiæ opera ad Eccleſiæ decus animarumque bonum deſtinata, nunquam ſine ingentibus obicibus ac difficultatibus ad exitum eſſe perducta; eoque graviores & atrociores contradictiones paſſa eſſe, quo præſtantiora fuere, Deoque gratiora. Cujus mali, hi duo ſemper extitere fontes præcipui; ex una parte non ceſſat malus dæmon Dei conſiliis obſiſtere, omneſque contendit nervos tum ſua, tum ſuorum opera, ut bonum omne ſubvertat

vertat: ex alia parte, ut eſt hominum ingenium & indoles, neceſſe eſt eos, in rebus ſuo arbitrio relictis, necdum ab Eccleſia definitis, in varias ſcindi opiniones, ſibique invicem contradicere; ductos videlicet (ut fere contingit) ſtudiis, cogitationibuſque contrariis. Itaque neque ex hoc capite exortarum contradictionum, officio huic noſtro inferri præjudicium poteſt. Imo decebat, congruumque omnino erat, ut officium Chriſto Domino chariſſimum gratiſſimumque, hoc quaſi contradictionis ac perſecutionis ſignaculo, quo ſimilia opera inſignita ſemper fuere, minime careret.

OBJECTIO IV.

Quarto denique objiciebatur a nonnullis, hoc officio erga Cor Jeſu dividi quodammodo Chriſtum; quum non totus qualis eſt colatur & adoretur, ſed per partes: contra dictum Apoſtoli: diviſus eſt Chriſtus? ſed piget profecto nugis ejuſmodi confutandis immorari.

1°. Textus Apoſtoli inepte admodum adducitur, quum luce meridiana clarius ſit, nihil a mente Apoſtoli eſſe alienius ejuſmodi interpretatione: ut ex ſimplici loci inſpectione cuique evidentiſſime patebit. Neque minus ineptum ac frivolum eſt, quod dicitur de diviſione Chriſti: quaſi vero magis dividatur Chriſtus per cultum adhibitum ipſius Sanctiſſimo Cordi, quam per cultum adhibitum ejus carni, corpori, ſanguini, nomini, plagis, &c.... An forte dividi etiam Chriſtum dicemus, quum varia illius myſteria, aut varii vitæ illius

 ſtatus,

Digitized by Google

ſtatus, vel variæ illius virtutes, ſingulatim coluntur ac celebrantur. Colitur enim a fidelibus infantia Chriſti, vita ipſius privata, jejunium in deſerto, vita apoſtolica, vita patiens, vitaglorioſa. Colitur ſingillatim nativitas Chriſti, Circumciſio, adoratio Magorum, præſentatio in templo, fuga in Ægyptum, paſſio, reſurrectio, Aſcenſio. Conſiderantur etiam ſeorſim ac coluntur Chriſti virtutes, humilitas, patientia, obedientia, charitas, manſuetudo, &c... An ergo his omnibus exercitiis in Eccleſia communibus dividi Chriſtum dicetur? quid autem in cultu particulari Cordis Chriſti ſeorſim ab aliis corporis partibus, minus pium aut religioſum reperiatur; aut cur magis in eo exercitio dividi Chriſtus dicendus ſit, ego certe non video; & quantum judico, nemo ſapiens exiſtimabit.

OBJECTIO V.

Quinto aliqui in rebus theologicis controverſiiſque ſcholaſticis ſubtilius verſati, varia contra cultum Cordis Jeſu jactabant; quæ hîc diſſimulanda non ſunt, ut ex reſponſis veritas magis magiſque eluceat. Ajebant igitur.

I.

1°. Non ſolum induci in Eccleſia cultum ac feſtum novum, jam ex ſolo novitatis capite reprobrandum; ſed talem inſuper cultum ac feſtum induci, quod aliis in Eccleſia receptis, omnino eſſet diſſimile. Nam cultum

tum ſeu feſtum partis integralis (qualis eſt Cor) in ſuppoſito vivente ; nullum aliud in Eccleſia celebrari. Præterea alia feſta ſive communia ſive particularia ad Chriſtum pertinentia, omnia in ipſam Chriſti perſonam reſolvi; ita ut feſtum Nativitatis v. g. Circumciſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, &c. ſit vere feſtum Chriſti naſcentis, circumciſi, reſurgentis, aſcendentis: ſimiliter feſtum Crucis, vulnerum, coronæ ſpineæ, &c. ſit feſtum Chriſti crucifixi, vulnerati, ſpinis coronati, &c. hoc vero feſtum Cordis, quid erit? an forte feſtum Chriſti cordati?

II.

2°. Ad eamdem diſſimilitudinem ſpectare, quod in iſto novo cultu Cor Jeſu non modo proponitur ut terminus adorationis, verum etiam ut terminus orationis: ita ut in praxi poſtea tradenda (ut in lib. III. videbitur) orationes & exercitia propria dirigantur ad Cor Jeſu; quaſi ſi ipſum Cor, ipſa eſſet perſona Chriſti: qui orandi modus videtur contrarius rerum naturis, ac rectæ rationi dictanti, ſolam perſonam eſſe poſſe terminum idoneum orationis.

III.

3°. Feſtum iſtud novum videri prorſus ſuperfluum ex parte duplicis finis, propter quem inſtitui petitur; nimirum reſpondendi amori Chriſti, & reparandi injurias ipſi in altaris Sacramento inflictas. Nam ad reſpondendum amori Chriſti, jam alia omnia Chriſti feſta

Digitized by Google

inſtituta eſſe; præſertim feſta paſſionis, vulnerum, coronæ ſpineæ, clavorum, &c. & hæc abunde ſufficere. Ad reparandas autem injurias Chriſto in Euchariſtia illatas, ipſam ſolemnitatem Corporis Chriſti, & octavam integram celebrari.

IV.

4°. Gratuito ſupponi feſtum Corporis Chriſti habere pro objecto ipſum Corpus Jeſu: ut eo nimirum exemplo aliunde accerſatur, ſi fieri poteſt, authoritas pro tuendo feſto Cordis Jeſu. Verum quum ſolemnitas Corporis Chriſti celebretur in gratiarum actionem pro beneficio inſtitutionis tanti Sacramenti; dicenda eſt habere pro objecto hanc ipſam inſtitutionem, potius quam Corpus Jeſu: adeoque nullum inde deduci poſſe firmum argumentum pro feſto Cordis. Neque vero plus urgere rationem petitam ex feſtis Crucis, vulnerum ſpineæ coronæ, & ſimilium. 1°. Quia generaliter loquendo, omnia feſta habent pro objecto principali Deum ipſum: ſunt enim inſtituta primario & præcipue vel in laudem Dei ſimpliciter, vel in memoriam & gratiarum actionem beneficiorum ab eo acceptorum. 2°. Quia cum feſta hic memorata, uti dictum eſt, reſolvantur in perſonam Chriſti, horum objectum dici debet ipſa perſona Chriſti, potius quam crux, vulnera, aut ſpinæ: quibus ſane rebus ratio objecti, cultus rationabilis vix convenit.

RE-

Digitized by Google

RESPONSIO.

Quanquam his omnibus argumentis contra cultum Cordis Jeſu ſubtilius quam verius factis, ſolidam reſponſionem prudens quiſque & attentus lector facile eruere poſſit, ex iis quæ jam hoc libello explicata ſunt, ut mox indicabitur; juvabit tamen hoc loco, ſingulis punctis, ſolutionem preſſius & diſtinctius adhibere. Itaque:

I.

Ad primum reſpondemus, negando ſimpliciter cultum ſeu feſtum Cordis Jeſu, quicquam habere diſſimile ab aliis ſeu cultibus, ſeu feſtis jam in Eccleſia receptis. Diſſimilitudo ſiqua ſit, tota eſt in objecto ab aliis diverſo: ſed hæc diſſimilitudo omnibus feſtis communis eſt; habent enim ſingula, objectum proprium ab aliis diverſum, & neceſſario diſſimile. Aliam autem diverſitatem aut diſſimilitudinem in modo ac ratione cultus, quæ ſola culpanda eſſe poteſt, nullam prorſus in hoc cultu Cordis Jeſu agnoſcimus. Id vero quod in probationem adducitur, ſcilicet nullum aliud feſtum partis integralis in ſuppoſito vivente ab Eccleſia celebrari, mera eſt allucinatio: celebratur enim feſtum Corporis & Sanguinis Chriſti; celebratur feſtum Pedum, Manuum, Lateris, in feſto quinque vulnerum; celebrantur in variis locis alia feſta ſimilia; imo celebratur feſtum Nominis, quod certe videtur res minus idonea ad cultum religioſum terminandum. Præterea ſi Cor Chri-

Chriſti vere ex ſe, cultu religioſo dignum eſt; & aliunde voluntas Dei, quoad hoc, ſatis Eccleſiæ nota ſit (quæ duo toto hoc opuſculo demonſtrare contendimus) parum certe refert, quod aliud feſtum ſimile nondum eſſet in Eccleſia conſtitutum; nam ab uno denique initium ſumi neceſſe eſt: ſane quidem quum feſtum Crucis, aut feſtum Nominis Jeſu, primum inſtituta ſunt, nullum tale feſtum prius erat.

Jam vero, doctrina illa quæ affertur de feſtorum reſolutione in perſonam Chriſti, tametſi veritate niteretur, nihil prorſus feſto Sanctiſſimi Cordis noceret: facilis enim ac vera eſſet reſponſio, feſtum Cordis Jeſu reſolvi in feſtum Chriſti amantis. Sed nobis modus ille explicandi non videtur eſſe legitimus: ſi enim admittatur ſaltem univerſaliter, 1°. Quid dicetur de feſto Sanctiſſimi nominis Jeſu? de feſto Sudarii, & ſimilium? Qua ratione feſta illa reſolventur in perſonam Chriſti, melius quam feſtum Cordis? 2°. Doctrina illa æque impetit cultum etiam privatum tam Cordis, quam aliarum partium Sacroſancti Corporis Chriſti: ſiquidem cultus privatus non aliud certe objectum habet, quam cultus publicus; atque adeo uterque in idem prorſus reſolvi debet. Certo autem conſtat, cultum privatum diverſarum partium Corporis Chriſti, eſſe per ſe ſanctum, & a Sanctis univerſaliter uſurpatum. 3°. Qui hanc doctrinam aſtruunt videntur aliunde in errore verſari: dum enim contendunt, feſtum Crucis v. g. reſolvi in Criſtum crucifixum, innuere volunt objectum feſti Crucis, nullo modo eſſe ipſam Crucem; ſed

ſed ſolam perſonam Chriſti; adeo ut ipſi Cruci omnem auferant rationem objecti ejuſdem feſti: quod certe errore non caret, ut paulo poſt videbitur. Hanc autem illorum eſſe mentem, hinc patet, quia finis ab ipſis in his objectionibus intentus, plane eſt, ut perſuadeant Cor Jeſu non eſſe objectum idoneum ad terminandum cultum fidelium, neque poſſe ab Eccleſia in ejus honorem feſtum congruenter inſtitui. Quum autem valde ſe premi ſentiant argumento deſumto ex feſto tum Crucis, tum vulnerum, ac ſimilium, propter rationum parilitatem; neque vis hujus argumenti infringi ullo modo queat, quandiu ipſi Cruci, aut vulneribus ratio idonei objecti cultus religioſi conſtabit; ut hanc a ſe moleſtiam depellerent, adinvenerunt modum illum, ut dicerent feſtum Crucis eſſe feſtum Chriſti crucifixi. Sed nos ſic urgebimus. Quum dicitis feſtum Crucis eſſe feſtum Chriſti crucifixi, vel vultis, objectum ejuſmodi feſti eſſe Chriſtum ſolum, vel Chriſtum ſimul cum Cruce. Primum ſine errore dici non poteſt, ut patebit attendenti, & ex ſequentibus conſtabit. Si ſecundum; ergo jam Crux ipſa habet rationem objecti indiviſe cum Chriſto; & redit vis argumenti pro Corde Jeſu, de quo illud ipſum pari ratione dicemus. 4°. Fatemur ultro omnia feſta ad Chriſtum pertinentia, reſolvi debere in perſonam Chriſti; ſed non illa reſolutione vana, ac mere vocali in objectione propoſita, verum alia magis reali, nimirum quatenus perſona Chriſti eſt principium, ratio, & finis omnis religioſi cultus, rebus Chriſto conjun-

ctis delati. Nam Crux v. g. colitur & adoratur ea præciſe ratione, quia Crux eſt Chriſti conjuncta cum Chriſto, ſanctificata contactu perſonæ Chriſti, reſperſa ſanguine Chriſti. &c. Relatio autem illa ad perſonam Chriſti, nequaquam impedit, quominus cultus vere & immediate deferatur Cruci ipſi; quæ doctrina omnium Theologorum eſſe videtur: ergo idem prorſus dicendum de Corde Chriſti.

II.

Ad ſecundum: In feſto Cordis Jeſu inſtituendo, aut celebrando, nullum plane modum obſervari volumus diverſum ab illo, quem Eccleſia obſervat in feſtis ſupra nominatis; ſive in officio divino ordinando, ſeu in Miſſa propria, aliiſque piis ceremoniis huc pertinentibus. Anſa autem vituperandi quæ ſumitur ex praxi, in qua formulæ orationum diriguntur ad Cor Jeſu, vana eſt. Caret enim hic orandi modus omni reprehenſione: 1°. Quia privatim adhibetur eſtque omnino voluntarius ac liber, & adhibetur in aliis pietatis exercitiis: cuique certe in ea re affectum ſuum ſequi licet. 2°. Quum Cor Jeſu animæ perſonæque Chriſti intime & indiſſolubiliter conjunctum ſit, ſane oratio quæ ad ipſum Cor dirigitur, eodem tempore, eodemque actu, neceſſario dirigitur ad ipſam animam & perſonam indiviſe; ut ſupra, l. 1. c. 4. explicatum eſt: adeoque hic orandi modus nequaquam videri poteſt, hominibus ſaltem attentis, contra rerum naturam, aut rectam rationem. Quod autem

oran-

Digitized by Google

orando, non perſona Chriſti, ſed Cor ipſum appelletur, invocetur, laudetur, id fit piiſſime, ex affectu erga ipſum Cor: quem affectum Chriſto eſſe gratiſſimum ex variis Sanctorum teſtimoniis ac revelationibus a nobis allatis & afferendis liquido conſtat. Certe Eccleſia ipſa orationes & laudes publico ac ſolemni cultu dirigit ad Chriſti Crucem, quamvis de ſe materialem & inanimam. *O Crux ave ſpes unica... auge piis juſtitiam, reiſque dona veniam. O Crux ſplendidior cunctis aſtris, mundo celebris, hominibus multum amabilis, ſanctior univerſis, ſalva præſentem catervam, in tuis hodie laudibus congregatam. O Crux venerabilis, quæ ſalutem attuliſti miſeris, quibus te efferam præconiis, quoniam vitam nobis cœlitem præparaſti. Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis. Hæc eſt arbor digniſſima in paradiſi medio ſituata. Supra omnia ligna cedrorum tu ſola excelſior. Crux præcellenti decore fulgida, &c.* Si ergo ab Eccleſia univerſa ejuſmodi orationes, laudes & præconia ad Crucem ipſam materialem & inanimam diriguntur; quanto magis hic orandi & laudandi modus conveniet Cordi Chriſti? Quæ enim comparatio Crucem inter & Cor Jeſu?

In offic. div. feſti exalt. S. Crucis.

III.

Ad tertium: Ubi noſter hic cultus ſuperfluitatis arguebatur; reſpondemus ſic: 1°. Nullum pietatis officium per ſe ſanctum, ac idoneum ad amorem Chriſti in fidelium cordibus excitandum, & inflammandum,

Digitized by Google

haberi poteſt ſuperfluum: Tale autem eſſe officium erga Cor Jeſu ex toto hocce libello conſtare confidimus. 2°. Habendum præ oculis, hic agi præcipue de Corde Jeſu, in cujus honorem feſtum inſtituendum eſt: nullum autem ſimile feſtum habetur adhuc in Eccleſia; ergo iſtud ſupervacuum non eſt. 3°. Finis duplex hujus pii officii proprius, nimirum reſpondendi amori Chriſti, & reparandi injurias ei in Sacramento inflictas, conſiderari debet ut ratio peculiaris colendi Cordis diviniſſimi; nimirum quatenus reſpicitur, ut eſt amore ardentiſſimum, ſimulque ob ingratum hominum animum afflictiſſimum: quemadmodum fuſe c. 4. l. 1. explicatum eſt. Finis autem ille, ſic contractus ad Cor Jeſu procul dubio non reperitur in aliis feſtis atque ita non eſt ſuperfluus. 4°. Objectum proximum feſtorum in objectione deſignatorum, videlicet paſſionis, vulnerum, coronæ, clavorum, &c. non eſt proprie amor Chriſti, ſed dolores. In feſto autem Cordis Jeſu, amor quo Cor illud ſanctiſſimum ardet eſt objectum proximum feſti, indiviſim cum Corde ipſo; adeo ut affirmari vere poſſit amorem Chriſti erga homines, in hoc feſto propriiſſime ac immediate attingi; quod ſane ad feſti hujus commendationem magna conſideratione dignum eſt. 5°. Inſtitutio feſti Crucis, aut Paſſionis Chriſti, nihil obſtitit quominus poſtea inſtituerentur alia feſta in objectione appellata: cur igitur hæc ipſa obſtare juſte queant, inſtitutioni feſti Cordis Jeſu longe excellentioris. 6°. Certum videtur, finem ſaltem præcipuum inſtitutionis feſti Corporis Chri-

Digitized by Google

Chriſti nunquam fuiſſe, ut injuriæ ei in Sacramento inflictæ reparentur (ut c. 5. l. 1. dictum eſt) neque vero in eo fine comprehendi ullatenus potuerunt injuriæ illæ, quibus in ipſa feſti ſolemnitate, ac durante tota octava plerumque Chriſtus eſt expoſitus: finis autem primarius feſti ſanctiſſimi Cordis eſt hæc ipſa reparatio Cordi amantiſſimo & afflictiſſimo exhibenda: ergo feſtum hoc noſtrum ex nullo capite videri poteſt ſuperfluum.

IV.

Ad quartum: Quæ hîc prolata ſunt circa objectum feſtorum tum Corporis Chriſti, tum Crucis, tum vulnerum & ſimilium, paucis Theologis, niſi vehementer fallimur, probari poterunt. Et quidem quod attinet ad feſtum Corporis Chriſti, rationes ſupra adductæ, c. 1. ſufficienter oſtendunt Corpus Chriſti verum eſſe hujus ſolemnitatis objectum: quod certe vel ex ipſo nomine ab Eccleſia ſolemnitati indito, aperte comprobatur. Vocatur enim hæc ſolemnitas ſimpliciter & ſine addito, *Feſtum Corporis Chriſti*; ergo vere eſt feſtum Corporis Chriſti vel; error & allucinatio eſt in ipſo nomine: quod ſine cauſa urgentiſſima dicere fas non eſt, præſertim quum in omnibus aliis feſtis objectum proprium ex appellatione propria dignoſcatur. Neque propterea a ratione objecti ejuſdem feſti excludi volumus memoriam accepti beneficii, & inſtitutionem Sacramenti: poteſt enim objectum ejuſdem feſti eſſe multiplex. Sed ſane nemo negaverit præcipuum

Digitized by Google

objectum publici cultus in hac celeberrima ſolemnitate eſſe ipſum Sacramentum, quod videlicet tanta pompa ac magnificentia adorandum ubique fidelibus proponitur; quodque tantis gaudiis, lætitiis, ac jubilis, in templis & ſupplicationibus tota Eccleſia proſequitur. Quid eſt autem aliud hoc Sacramentum quam ipſum Corpus & Sanguis Chriſti?

Quod addebatur de objecto feſti crucis, vulnerum, & ſimilium eidem errori obnoxium videtur; ut patebit ex ſequentibus animadverſionibus, quas hîc ex doctrina Theologorum adjicimus, ad ſimiles difficultates quæ naſci poſſunt prævertendas.

Primo: Res quælibet ſacra, etiam corporea, materialis, & inanima, maxime vero illæ quæ ad perſonam Chriſti pertinent, cultu religioſo dignæ ſunt; eoque majori, quo Chriſto ſunt conjunctiores: hinc cultus reliquiis Sanctorum, templis ipſis, Cruci Chriſti, clavis, coronæ ſpineæ, lanceæ, ſudario, & multo magis corpori & ſanguini debitus. Hunc autem cultum Deo gratum eſſe de fide eſt.

Secundo: De re qualibet ſacra, ejuſmodi cultu religioſo digna, feſtum peculiare inſtitui ab Eccleſia poteſt, cujus finis ſit cultum illum dictis rebus publice adhibere; eumque in cordibus fidelium excitare, augere, promovere. Inde feſta Crucis, Sudarii, ſpineæ Coronæ &c. ab Eccleſia inſtituta.

Tertio: Quanquam veriſſimum ſit, Deum finem eſſe principalem ac primarium omnium feſtorum, quæ demum omnia ad ejus honorem primario ordinata ſunt,

ſunt, tanquam authoris omnium bonorum, & univerſæ ſanctitatis, in quem omnis denique cultus ultimo referri debet; tamen hoc non impedit quominus in celebratione feſtorum alia dentur objecta proxima, immediata & ſpecialia, a quibus ipſa feſta denominantur & ſpecificantur. Negari enim non poteſt quin feſta B. Virgini ſacra v. g. aut ſanctis particularibus, ut Petro, Paulo, habeant pro objecto proximo ipſam B. Virginem, ipſum S. Petrum & S. Paulum, in quorum videlicet memoriam celebrantur. Idem prorſus, atque eadem ratione dicendum eſt de rebus ſacris etiam corporeis ac inanimis, ut Cruce, Sudario, &c.

Quarto: Fines primarii in feſtorum inſtitutione varii ſimul eſſe poſſunt; ut cultus Dei, gratiarum actio, memoria beneficii alicujus accepti, &c. Verum cum illis finibus univerſalibus facile conjungitur finis proximus, immediatus, & ſpecialis colendi vel ſanctum aliquem, vel aliam rem ſacram, ut diximus; ſunt enim fines illi inter ſe ſubordinati.

Quinto: Hinc dicendum omnino eſt feſta inſtituta in honorem rerum illarum ſacrarum etiam corporearum, res illas vere reſpicere, eaſque vere pro objecto habere. A qua doctrina ſi diſcedatur, jam nomina feſtis indita falſam habebunt ſignificationem: ſi enim Crux v. g. non eſſet objectum verum feſti ſanctæ Crucis, eo ipſo feſtum Crucis falſo dicitur feſtum Crucis: in errorem inducuntur fideles, uſuſque ipſe Eccleſiæ in celebratione feſtorum fallacia plenus eſt. Idem dicendum de feſto nominis Jeſu, de feſto vulnerum, de feſto

ſto corporis & ſanguinis: nimirum objecta propria illorum feſtorum eſſe ipſum nomen Jeſu, ipſa vulnera, ipſum corpus & ſanguinem. Et certe quum de fide ſit, res illas digniſſimas eſſe cultu, quid obſtare poteſt, quo minus habeantur pro veris objectis feſtorum quibus nomen earum inditum eſt.

Hæc ſi accommodentur feſto Cordis Jeſu, apparebit nullam in hujus feſti inſtitutione majorem eſſe poſſe difficultatem, quam ea quæ eſſe potuit in inſtitutione aliorum feſtorum ad perſonam Chriſti pertinentium: nihil enim omnino petitur circa hoc feſtum Cordis, quod aliis commune non ſit.

OBJECTIO VI.

Supereſt, ut graviſſimæ omnium difficultati ultimo loco faciamus ſatis: quæ quum diverſæ ab aliis, quas hactenus attulimus, ſpeciei ſit, ſolutionem alterius generis, ac difficiliorem requirit: nempe priores illæ ad intellectum pertinent, hæc ad voluntatem; & ſi tollatur hæc una, aliæ ceſſabunt: eſt enim hæc aliarum quaſi radix ac fons. Et quæ tandem illa? nimirum cultus hic noſter pleriſque non arridet, non ſapit, non placet; ſeu id oriatur ex innata quadam repugnantia, ut ſunt diverſa hominum ingenia, diverſa ſtudia, diverſæ ideæ: ſeu ex tentatione ac fraudibus diaboli, quibus viri etiam docti, piique aliquando ſubjacent: ſeu demum ex defectu divini luminis, quod Deus non omnibus æque diſtribuit: ut ut ſit, certum eſt cultum

Cor-

Digitized by Google

Cordis Jeſu pleriſque, ut dictum eſt, non placuiſſe; nec placere. Hinc contentionum fomes; hinc pronitas ad oppugnandum; hinc mira facilitas ad aſſentiendum rationibus contrariis etiam leviſſimis; hinc renixus argumentis faventibus etiam graviſſimis; hinc moroſitas in admittendis reſponſionibus etiam ſolidiſſimis; hinc obſtinatio animi in prejudicio ſemel concepto, retinendo. Certe in illis quibus idem cultus placet, qui eum ſequuntur & amant, nihil ſimile cernitur: non offenduntur, non conqueruntur, non diſceptant, nihil objiciunt, objectiſque vix commoventur. Adeo verum eſt præcipuam intelligendi difficultatem non raro in voluntate reſidere. Verum, hæc quum ita ſint, quæ demum ratio quiſve modus nobis ſuppetere poteſt, hanc difficultatem ſuperandi; quum id efficere divinæ potius videatur eſſe poteſtatis, quam humanæ; Dei nempe ſolius eſt immutare Cor. Fatendum ſane cum iſtis hominibus, non tam agendum argumentis ad intellectum convincendum factis; quam precibus, aliiſque rationibus ad voluntatem flectendam idoneis. Igitur oſores illos cultus Cordis Jeſu oramus & obſecramus, ut animum tantiſper ad ſequentes animadverſiones adjicere, earumque momenta coram Deo ponderare velint.

Conſiderent 1°. Num ad reprobandum cultum quemlibet, præſertim jam a multis receptum & uſurpatum, alicujus roboris ſit hoc argumentum. Pleriſque viris etiam doctis ac piis, non placet, non arridet, non ſapit; ergo rejiciendum. Refelli enim, ſubito poteſt

N argu-

Bayerische Staatsbibliothek München
Digitized by Google

argumento prorſus ſimili. Multis æque piis ac doctis placet, arridet, ſapit; ergo retinendum. Sane reprobantium authoritas, approbantium autoritate ita retunditur, ut vim omnem ac pondus prorſus amittat.

2°. Num viri ſapientis ſit, ex guſtu proprio rem iſtiuſmodi definire velle; quum ſenſus noſtri, in his maxime rebus ſpiritualibus, atque a divino lumine admodum dependentibus, ſint fallaciſſimi.

3°. Optime hæc duo ſtare poſſe ſimul, & quod hoc noſtrum pietatis officium ſolidum ſit, atque ad veram animi ſanctitatem conferat; & quod aliqui tamen eo nec delectentur, nec juventur. Siquidem non una omnibus ad virtutes ſemita eſt; non omnes una ratione ad perfectionem aguntur; non omnes æqualiter omnibus exercitiis delectantur, aut juvantur; alius ſic, juxta Apoſtolum, alius autem ſic. Varia ſunt dona ſpiritus, varii orationis modi, varii ſenſus, variæ exercitationes, variæ praxes; quibus pietas foveri, ac nutriri poteſt, ac ſolet. Quid ergo mirum ſi in cultu Cordis Jeſu, non omnes idem experiantur ac ſentiant?

4°. Quum agitur de rebus ad vitam interiorem ac myſticam pertinentibus, ut hîc fit, vix de illis ſanum ferre judicium eos poſſe, qui in ea vita exercitati non ſunt: neque enim ad hæc diſcernenda ſola ſufficit communis ſcholæ doctrina, niſi accedat peculiare lumen hauſtum tum ex Patribus, tum ex Theologis myſticis, vitæque ſpiritualis magiſtris, tum ex Sanctorum Sanctarumve actis, in quibus rationes illæ modique admirabiles, quibus Spiritus Sanctus ſelectas animas

Digitized by Google

ac puritate eximias ſibi ac Chriſto ſponſo conjungere ſolet, conſpiciuntur; tum denique (quod melius ac deſiderabilius) ex certa viarum illarum interiorum experientia. Porro qui hoc divino lumine carent facile decipiuntur, dum res iſtas ſupernaturales naturali ſenſu metiri volunt. Heu quam multa ſunt ſecreta cœleſtia, quæ doctos ſua ſæpe ſcientia inflatos penitus latent; & humilibus ac ſimplicibus a Deo revelantur! impletur enim, his quoque diebus, illud Chriſti Domini oraculum, a viris illis doctis ſibi nimium præfidentibus nunquam ſatis meditandum. *Confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Ea autem quæ ad excellentiam ac divitias diviniſſimi Cordis Jeſu pertinent, in harum rerum numero reponi certo poſſe, ac debere experientia Sanctorum demonſtrat.

50. Multa ſuperius de Corde Jeſu ex variis Sanctis ac Doctoribus attulimus, aliaque non pauca adhuc adjungemus inferius, ex quibus conſtat Sanctos illos, (inter quos Bernardus & Bonaventura, Gertrudis ac Mechtildis, aliique ejuſmodi numerantur) conſtat inquam illos ſumma reverentia, ſummo amore, affectuque tenerrimo Sacroſanctum Cor Jeſu eſſe complexos. Porro nefas eſt credere Sanctos ejuſmodi inania verba jactaſſe; aut illudere voluiſſe; aut fucum feciſſe: ſentiebant proculdubio intus in corde, quod exterius tanto cum affectu vocibus exprimebant. Nos miſeri (quæ noſtra in ſpiritualibus egeſtas eſt) eadem non experimur, quia luce eadem ac gratia non perfundimur.

Digitized by Google

6°. Denique, Chriſtianos illos cujuſcumque ordinis ſint qui cultum Cordis Jeſu, ſimiliaque pietatis officia contemnenda putant; quique gravioribus, ut ſibi videtur, intenti curis, hæc quaſi levia ſuaque attentione parum digna negligunt ac deſpiciunt, admonebimus: nihil hominibus vere chriſtianis videri debere pretioſum aut magnum, nihil æſtimatione ſua & attentione dignum, præter id quod Deo gratum eſt; quod ad Dei ac Chriſti gloriam confert; quod majorem Chriſti ſcientiam & amorem ingerere poteſt. Hoc ipſum diviniſſimus & amabiliſſimus Redemtor noſter mire expreſſit, his verbis: *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Hoc idem inculcant toties repetitæ in ſcripturis ſacris Spiritus Sancti ſententiæ, vanitatem rerum omnium ptæterquam ſcientiæ Dei, divina plane vi exprimentes: inter quas, hæc, in præſentia animo occurrit, qua nulla animi chriſtiani contemplatio-
Jerem. 9. 23. ne dignior. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, & non glorietur fortis in fortitudine ſua, & non glorietur dives in divitiis ſuis: ſed in hoc glorietur, qui gloriatur, ſcire & noſſe me*. Hæc igitur una vera gloria cenſenda eſt, ſcire & noſſe Deum. Hæc una vera vita ſcire & noſſe Chriſtum. Hinc quicquid aptum eſt ad ingerendam divinam illam ſcientiam, hoc ipſo haberi debet pretioſius, æſtimabilius, optabilius, cunctis aliis rebus humanis. Jam vero pietatis exercitia de quibus tractamus ejuſmodi ſunt, ut ex eorum inſtitutione, neceſſe ſit ſcientiam & amorem Chriſti in ani-

animis efflorеſcere, Deique gloriam vehementer augeri: unde patet quo loco in æſtimatione fidelium, qui vere fideles ſunt, hæc eadem inſtitutio reponi debeat. Atque ut in re noſtra hæreamus, ſtabilito ſemel cultu Sanctiſſimi Cordis Jeſu qualis hocce libello deſcribitur, quis æſtimare queat quam immenſa vis actuum præcipuarum virtutum Jeſum reſpicientium, adorationis, amoris, contritionis, gratiarum, petitionis, &c. inde proditura ſit? Quis numeret infinita opera pia ad hunc eumdem cultum pertinentia; templorum aditiones, voluntarias expiationes, Sacramentorum tum penitentiæ tum Euchariſtiæ multiplicatas receptiones, exercitationes humilitatis, pœnitentiæ, miſericordiæ? His adde gratiarum abundantiam, ex eodem cultu quaſi fonte, tum ad peccatorum converſionem, tum ad juſtorum perfectionem, univerſæque Eccleſiæ ædificationem ac ſplendorem, divina liberalitate manantium? Et hæc quidem, non uno in loco aut civitate aut provincia aut regno, ſed in omnibus orbis chriſtiani partibus; non uno die aut menſe aut anno, ſed futuris in perpetuum ſæculis duratura. Quid autem æſtimatione noſtra attentione noſtra cura noſtra ſtudio ac zelo noſtro dignum eſt, ſi hoc non eſt? Et tamen reperiuntur inter fideles qui hæc frivola ſuaque attentione parum digna judicent; qui bonis hujuſmodi ſpiritualibus, divinis, æternis, Dei ac Chriſti gloriam directe ac proxime ſpectantibus, alia neſcio quæ bona, humana, caduca, miſera præferunt, ſuaque attentione digniora putant. O cæcitas humanæ mentis! O pu-

 dor!

Digitized by Google

dor, O probrum cordis in ſchola Chriſti nutriti & educati!

CAPUT III.

Excellentia cultus Cordis Jeſu ex fine excellentiſſimo declaratur.

DIximus ſuperius excellentiam cujuslibet pietatis officii menſurari debere, Primum, ex rei excellentia quæ colenda proponitur: & hoc quidem punctum duplici ſuperiori capite abſolutum eſt. Tum ex excellentia finis cuilibet officio propoſiti: eſt enim in confeſſo apud omnes eo nobiliorem & excellentiorem actionem neceſſario eſſe, quo finis agentis nobilior & excellentior eſt. Jam vero finis cultui noſtro propoſitus, hic eſt præcipuus, quemadmodum lib. 1. explicatum eſt; ut injuriæ amantiſſimo Cordi ab hominibus ingratis inflictæ, maxime in altaris myſterio, eluantur, ſarciantur, compenſentur. Hujus porro finis excellentia quanta ſit, ut melius intelligi poſſit, duplex omnino adhibenda conſideratio eſt. Altera de amore Jeſu erga homines; altera de hominum erga Jeſum ingrato animo, maxime in Euchariſtiæ ſacramento. Sic enim amorem immenſum Cordis Jeſu cum incredibili hominum duritie comparando, apparebit & quam juſta ſit amantiſſimi Redemtoris querela; & quam æqua poſtulatio ut violatus ejus honor reparetur; & denique quam ſancta & homine chriſtiano digna exhibita

Digitized by Google

hibita idoneis obſequiis & operibus poſtulata reparatio, in qua demum finis intentus poſitus eſt. Ego vero quanquam me imparem tantæ rei explicandæ prorſus ſentio, conabor tamen, quum opus ſuſceptum id exigat, aliquid circa illa delibare, quod ad animos permovendos aliquantum aſpirante gratia conferre poſſit.

De amore Jesu *erga homines aliquid attingitur, quantum ad propoſitum noſtrum ſatis eſt.*

Chriſtus Jeſus immenſam Patris in homines charitatem exprimere volens, omnia paucis his verbis divina plane ſapientia complexus eſt. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Nihil majus, nihil divinius dici potuit. Nos divinam illam ſententiam ipſimet Jeſu accommodemus: nulla aptior, nulla convenientior, incredibili ipſius amori ſignificando. Sic Jeſus dilexit mundum, ut ſemetipſum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quis dilexit? Quos dilexit? Quantum dilexit? Hæc breviter perpendamus. Jeſus Filius Dei Altiſſimi, Patri per omnia æqualis, univerſorum Dominus & conditor, nullius egens ſibique ſe ſolo ſufficientiſſimus ac beatiſſimus; hic homines dilexit, homines inquam natura ſua viliſſimos, Deique dilectione per ſeſe omni ex parte indigniſſimos: dilexit, quum jam ad communes naturæ miſerias innatamque vilitatem, pecca-

peccati etiam fæditatem adjecerant. Jacebant miſeri, infinitis obruti malis, quibus emergere nullo conatu, nullo humano conſilio poſſent: Deo inviſi, diabolo ſubjecti, extorres cœlo, æterniſque ſuppliciis addicti, in pejora quotidie ruentes, cupiditatibus effrenatis ſervientes, ad omnia ſcelera projecti, infinitorumque criminum colluvie ſpurciſſime deformati, Dei majeſtatem violare iramque cœleſtem provocare non ceſſantes: hos homines ita comparatos, tam viles tam fædos tam turpes tam dignos odio Dei contemtuque, Jeſus dilexit; opem ferre miſeris conſtituit, maliſque omnibus quibus premebantur erutos immenſis bonis cumulare geſtivit. Hoc autem conſilium non neceſſitate ulla cogente, non proprio impellente commodo, non ſpe ulla, non precibus cujuſquam adductus, ſed ſola animi magnitudine, ſuoque dumtaxat ſuſtentatus amore ſuſcepit. Jam vero quanto amore dilexit, quam incenſo, quam vehementi, id vero non modo non exprimi verbis, ſed ne cogitatione quidem comprehendi poteſt. Tantopere dilexit ut cæco quodam, ſi ita loqui fas eſt, & impotenti amore accenſus fuiſſe videatur; certe quidem nullum in amore modum tenuit, ſuo nempe honore & commodo, ſua dignitate, ſuiſque demum omnibus rationibus poſthabitis, fecit hominum cauſa quod nemo alius homo pro homine, non ſervus pro domino, non ſubjectus pro Rege, non filius pro parente fecit unquam, facturuſve eſt. Sic dilexit, ut ſeipſum daret: daret, inquam, morte afficiendum ac crucifigendum. Deum infenſum habebant homines:

hinc

Digitized by Google

hinc cæterorum malorum origo: Jeſus ut Patrem placaret, divinamque vindictam a nocentium cervicibus averteret, ſe Patri obtulit debitas hominibus pœnas ipſe luiturus; acceptaque a Patre conditione, ad opus ſe accinxit, remque ita executus eſt, ut orbem univerſum tanti prodigii admiratione defixerit: ſua namque omnia hominum cauſa devovit, opes, gloriam, dignitatem, otium, vitam ipſam, illorum felicitati poſthabuit. Abjectis primum ornamentis omnibus perſonæ ſuæ majeſtati debitis, ſemetipſum exinanivit ſervi formam accipiens: in extrema rerum omnium egeſtate naſci voluit, totamque vitam traduxit in paupertate, vigiliis, laboribus, ærumnis, periculis, perſecutionibus, incommodis denique omnibus quibus infirmitas humana obnoxia eſt: nihil animo ſpectans aliud, quam ut hominum ſaluti conſuleret. Ad hunc unum ſcopum cuncta vitæ diviniſſimæ momenta contulit: ut ne voculam quidem emiſerit, non greſſum ullum fecerit, non lacrymam fuderit, ſuſpiriumve traxerit, niſi hominum gratia & amore. Verum parum fuit vitam omnem ſaluti hominum ſic impendiſſe; majus quidpiam immenſus poſcebat amor: infinitæ caritati aliter ſatisfieri non poterat, quam ſignificatione quadam infinita: majorem autem charitatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Huc amor Jeſu pervenit: animam ſuam pro hominibus poſuit; mortem pro illis oppetiit: at quam mortem? Recole o anima chriſtiana genus mortis; recole vincula, alapas, ſputa, fla-

Digitized by Google

gella, ſpinas, clavos, crucem denique cui Jeſus affixus eſt, & obſtupeſce, Dominum majeſtatis huc hominum amore fuiſſe compulſum. O amorem immenſum! O vim dilectionis incredibilem! O charitatem ſolo Jeſu dignam! Huic porro charitati bona omnia quibus nunc fruimur, aut quæ ſperamus in futurum, accepta referre debemus. Si vivimus, ſi conſervamur incolumes, ſi dæmonum inſidias vitamus, ſi tentationes vincimus, ſi æternis ignibus non cremamur, ſi a Deo diligimur, ſi filii ejus & hæredes nominamur & ſumus: denique ſi felicitatem æternam ſperamus, hæc omnia Jeſu charitati adſcripta debemus.

Quid tanto amori rependere homines debuere.

Age jam, ut ad rem noſtram propius accedamus, quid amantiſſimo Redemtori ad homines iterum venienti & inter ipſos in Euchariſtia commoranti, ſperare ab ipſis licuit obſequii, humanitatis, benevolentiæ, amoris, gratiarum? Quo pacto a fidelibus, poſt tot amoris monimenta, poſt tot ac tanta collata beneficia accipi tractarique debuit, qua pietate, quo ſtudio, quo grati animi ſenſu, quo amoris ardore? Hæc vero quum animo facilius concipi poſſint, quam verbis exprimi; liceat ſermonis imbecillitatem certis parabolis adjuvare. Finge tantiſper animo, ſubjectos rebelles, poſt impiam a rege legitimo eodemque beneficentiſſimo defectionem, ab immani tyranno armis appetitos ac cru-

Digitized by Google

crudeliſſime ſubjugatos, bonis ſpoliatos, omnique malorum genere oppreſſos, juſtiſſimas rebellionis pœnas luere, ſine ope, ſine ſolatio, ſine ſpe. Hoc rerum ſtatu, ſi Regis filius unicus ſortem ingrati populi miſertus, innata clementia, animique magnitudine ductus, opem ferre miſeris cogitaret, conſiliumque ſuſciperet eos in priſtinam libertatem vindicandi; ſi arma ipſe caperet, bellique defungi periculis vellet; ſi pugnare ipſe, corpuſque hoſtium telis objicere non dubitaret: quæ mens demum horum populorum eſſe deberet, quum princeps generoſiſſimus poſt partam periculo ſuo ſanguineque victoriam, repreſſa hoſtium feritate, longeque a regni finibus repulſa, e prælio revertens pulvere conſperſus, ſudore ac cruore madens, in rebellium oculis appareret; veniamque commiſſi ſceleris benigniſſime impertiens, perduelles Patri reconciliaret, priſtiniſque juribus reſtitueret? Quæ gens eſſet tam inculta, tam horrida, tam immanitate fera, quæ hac clementia, his beneficiis, hoc amore non tangeretur, gratumque animum quaqua demum via liceret, oſtendere non geſtiret? Finge iterum, amicum reperiri tam fidelem, tamque alto præditum animo, qui ut amico in præſenti mortis periculo conſtituto opem ferat, mortique imminenti eripiat, certo exitio ſe libens volenſque ipſe objiciat, ac pro amico mortem oppetat. Quid eo caſu ſentire par eſſet eum, qui tam inſignem amoris teſtificationem accepiſſet? Si tibi ipſi, qui hæc legis, ſimile quippiam accideret: ſi te fato quodam adverſaque fortuna, crimine majeſtatis implicitum, certæ addici

morti contingeret; tibique amicus eſſet tam generoſus, qui ut te periculo eriperet, tentatis fruſtra omnibus ſe demum ipſe pro te moriturus offerret: ſi petitionem urgeret, votique demum compos factus, te ipſe vinculis exolveret, eiſdemque inſpectante te onerari ſe pateretur: ſi eum ad ſupplicium tibi deſtinatum rapi videres, ſi ferale pegma hilari vultu tui amore aſcendentem, caputque lictori abſcindendum dantem cerneres: ſi infamem mortem ſubiret lætus, præclare ſecum agi putans, vitæ ſuæ diſpendio tuam ſervare incolumem; ſuumque in te amorem tam illuſtri ſignificatione teſtatum tibi relinquere: quibus tu demum animi ſenſibus, quibus oculis huic ſpectaculo aſſiſteres? Quæ tuæ cogitationes eſſent? Qui cordis affectus? Quæ voces? Quæ lacrymæ? An tu, ſi non ferreo & adamantino pectore es, amici tam fidelis, tam benefici, tam magnanimi obliviſci poſſes, aut de eo unquam cogitare abſque intimo ac tenerrimo grati animi ſenſu?

Cogita jam quid facturus eſſes, ſi contra omnem expectationem, repentino & inopinato quodam miraculo, hunc amicum divina vi a morte redivivum, tibi reddi contingeret. Quo pacto eum ad te venientem exciperes? Quid illius gratia faceres? quid te facere certe par eſſet? Ille vero quid a te, tuoque amore jure ſuo expectare deberet?

Harum parabolarum ad rem noſtram adaptatio, cunctis in promtu eſt, neque noſtro indiget eloquio. Sed heu! quam puſillæ, quam infirmæ ſunt, adductæ comparationes ad Jeſu amorem explicandum! Quam pa-

Digitized by Google

parum aptæ ad exprimendum quid ei ab hominibus debeatur! Nullus unquam Rex pro ſubjectis, nullus amicus pro amico fecit, quæ fingendo narravimus: & ſi feciſſent, nihil niſi homines eſſent, qui pro hominibus ſui ſimilibus paſſi eſſent. Tu ſolus o Jeſu, ad hæc quæ commemoravimus vere præſtanda adduci amore potuiſti; & Deus es. Tu vere Rex ille es potentiſſimus, ac beneficentiſſimus, Rex Regum, & Dominus dominatium, qui ut viles rebelleſque ſubjectos æternis ſuppliciis dignos, ab duriſſima peccati ac Diaboli ſervitute liberares, arma ipſe cepiſti, acerrimeque pro ſalute eorum dimicaſti. Tu eos ab imminenti exitio ſudoribus, periculis, fuſoque ſanguine vindicaſti, & in libertatem filiorum Dei aſſeruiſti. Tu ille es amicus fideliſſimus, immenſo quodam ardens amore, qui ut amicos æternæ addictos morti, e tanta calamitate eriperes morti ipſe te, volens libenſque objeciſti: iratum Patrem oraſti ſupplex, veniam ut peccatoribus largiretur. Ille exorari ſe non eſt paſſus, niſi conditione adjuncta, ut tu pro nocentibus ſatisfaceres, pænaſque lueres illis debitas. At quam tandem ſatisfactionem ac luitionem exegit? Tormenta videlicet tum corporis, tum animæ crudeliſſima, contumelias, opprobria, flagella, ſputa mortem denique Crucis acerbiſſimam. His his impenſis, emenda tibi noſtra ſalus fuit: at te, O amator invictiſſime, tam acerbæ conditiones non abſterruere, non a propoſito dimovere potuere: quicquid injunctum fuit amplexus es, ad plura difficilioraque paratus, ſi fuiſſet opus. Proh ſumme Deus! quid igitur

Digitized by Google

facient homines tui cauſa? Quid facient ut amori tuo reſpondeant, ſeque meritorum tuorum memores, gratoſque exhibeant? Heu tum temporis quum pro nobis tam dira patiebare, o amator dulciſſime, ignotus omnibus, nihil pro tuo illo immenſo amore, præter offenſas, ac ludibria referebas. Verum hodie quum jam a nobis cognoſceris, quis ſis, & qualis ſis: quum jam omnia tua nobis intime perſpecta ſunt, perſonæ dignitas, miſericordia, amor, beneficia, labores, vita, & mors; quid nos demum facere decet, ut meritorum tuorum magnitudini quoquo modo reſpondere poſſimus? O ſi nobis tua iterum frui præſentia liceret! O ſi nobiſcum iterum verſari, iterumque commorari dignarere! Quæ nobis lætitiæ & exultationis materies? Veni, veni dulciſſime & amantiſſime Jeſu, redi ad nos; hanc cæteris tuis beneficiis gratiam adde, ut te ipſo frui, tibique ipſi grates debitas amoriſque ſigna coram rependere poſſimus. Ecquem tandem eligere locum poteris, ubi aut impenſius colare, aut amere vehementius?

Hæc vota quæ quiſque noſtrum toto pectore facturus fuiſſet, Jeſus amoris ſui vi, multo ante prævenit: redivit apud nos ſponte ſua, verſari iterum, iterumque commorari apud homines voluit; verſari inquam & commorari, non jam brevi aliquo annorum ſpatio, ut prius, ſed uſque ad ſæculi conſummationem: non alio certe fine ductus, quam ut ſuo conſtantiſſimo erga nos amori ſatisfaceret, nobiſque pulchram occaſionem præberet, noſtro viciſſim erga ipſum amori faciendi ſatis.

Ne-

Digitized by Google

Neque vero favore illo inexpectato amor Jeſu contentus fuit; majus aliquid & amabilius noſtri cauſa molitus eſt: hoc ſuæ præſentiæ beneficium, alio beneficio cumulavit, quod nos non cupere modo aut ſperare, ſed ne cogitare quidem potuiſſemus: nempe ita nobiſcum eſſe voluit, ut cum unoquoque noſtrum intime conjungi cupiverit: modum autem hujus conjunctionis ſtupendum plane, & ab ipſo ſolo Jeſu excogitandum ac perficiendum invenit, altaris Sacramentum inſtituendo, quo Corpus ſuum & Sanguinem, ſub ſpecie panis & vini in eſcam & potum nobis præbuit; ipſeque in viſcera noſtra deſcendens animas noſtras in vitam æternam alere voluit. Hoc porro amoris prodigio cætera beneficia ita cumulavit, ut infinitam ſuam charitatem, ſuamque omnipotentiam exhauſiſſe penitus videatur.

Ergo quæ ſumma votorum erat, amantiſſimum Jeſum iterum poſſidemus. En apud nos eſt: habitat in medio noſtri, eodem ſemper amore ardens. En adeſt, & eo in ſtatu adeſt, ut nobis longe carior & amabilior eſſe omnino debeat: in hoc enim amoris myſterio ſe totum nobis tanta benignitate tantaque familiaritate tradit, ut curam omnem ſui, ſuarumque rerum nobis ultro committat, penituſque relinquat. Noſtrum erit habitationis illius locum aptum inveſtigare. Noſtrum, templa in quibus reſideat ædificare. Noſtrum, altaria ſuper quæ immolandus pro nobis eſt, erigere. Noſtrum, ſupellectili neceſſaria templa & altaria inſtruere. Demum quicquid opportunum ad cultum, ad ornatum, ad deco-

corem videbitur, ſuppeditare noſtrum erit. Non alios ille miniſtros qui ſibi inſerviant, non alios aulicos, ſocioſve qui ſibi aſſiſtant, ſecumque verſentur, exoptat. Denique in medio noſtri ita eſt, ut pro nobis dumtaxat ibi ſit, ac totus pro nobis ſit: aliorum honores, obſequia, munera reſpuit; a ſolis fidelibus depoſcit & expectat. O felicem igitur populum chriſtianum tanto honore dignatum! Lætare, gens ſuperis acceptiſſima, exulta, triumphos age. En quod cupiebas impletum eſt: vota tua cumulata ſunt. Fruere præſentia illa amantiſſimi Redemtoris: utere facilitate adeundi, inviſendi, colloquendi: vias illas tam multiplices amorem tuum, intimoſque pectoris ſenſus ipſi coram teſtificandi, toto pectore amplectere. Erumpat demum amor ille tuus modis omnibus infirmitati tuæ poſſibilibus; nullumque alium grato animo tuo ac zelo præſcribe limitem, quam quem amantiſſimus Dominus ſuo amori, ſuiſque beneficiis præfinivit.

Ingratus hominum animus expenditur.

Quid vero ad hæc homines? Quid obſequii, quid amoris, quid gratiæ Jeſu Domino retulere? O rem incredibilem! poſt tanta beneficia, amoremque tantum, nihil non modo gratiæ & amoris, Chriſto Jeſu inter homines habitanti a pleriſque repenſum eſt; ut potius odium, injuriaſque ſuſtinere coactus fuerit. Rem hanc tantiſper expendamus, atque amori qui unquam extitit maximo, duritiem quæ eſſe poſſit maximam opponamus.

Digitized by Google

Et vero in quamcumque demum orbis chriſtiani partem oculos conjiciam, occurrunt illico infanda undique ingratiſſimi animi monumenta. Hoc primum, quod magna Chriſtianorum pars in hæreſim lapſa Chriſti præſentiam in Sacramento negavere, amantiſſimumque Dominum inter illos habitantem agnoſcere obfirmato animo renuere. Fecerunt id, quo nihil acerbius amanti contingere poteſt, quum non modo gratia pro beneficio accepto nulla refertur, ſed ipſum etiam beneficium acceptum fuiſſe negatur. Illam porro primam injuriam aliæ infinitæ ſecutæ ſunt, quas commemorare quamquam horret animus, tamen ut aliquid de iis attingamus finis nobis propoſitus omnino exigit. Ergo præſentiæ divini benefactoris ſemel abjecta fide, hæretici cæco quodam furore quaſi perciti, rabieque acti, omnia nefanda contra Jeſum in templis noſtris reſidentem perpetravere. Parum fuit ſacras ædes in quibus habitabat expilare, ſuccendere, a fundamentis diruere, aras evertere, Sacroſancta tabernacula diſturbare, Sacerdotes mactare, ſacra vaſa rumpere, profanare, ſexcentiſque execrandis modis polluere. Parum inquam hoc fuit, ſacrilegas etiam manus in ſacras pixides inferre auſi ſunt; quodque audire refugiunt aures, menſque recordari perhorreſcit, ſacroſanctum Chriſti Corpus in terram per contemtum abjectum, luto & ſordibus conſpurcatum pedibus protrivere, canibuſque ad manducandum objecere. O Jeſu, huccine te coegit amor? tantumne valuit apud te deſiderium manendi nobiſcum? At hæc non ſemel aut iterum, non brevi ali-

quo dierum ſpatio, aut uno dumtaxat in loco commiſſa ſunt; verum ſexcentis in locis, lateque patentibus provinciis ac regnis idem furor graſſatus eſt, ipſaque ſæcula perduravit.

Et hæc quidem ab hæreticis: Catholici vero quid? Certe quum ipſi Jeſum in Euchariſtia præſentem agnoſcant, ſumma omnia ab eis expectanda fuere: & ecce novum ex injuriis modo relatis incentivum amoris. Scilicet quum hoc ineffabile ſacramentum Jeſus inſtituebat, prævidit ſane quid hæreticorum aliorumve hominum furore paſſurus eſſet; hoc, inquam, certo prævidit, nec tamen impeditus aut retardatus eſt, quominus hoc tam inſigne beneficium nobis conferret: nihili ducens tam indigna pati, modo ut eſſe nobiſcum poſſet. O quid igitur expectandum a Catholicis? Certe ſi opes ſuas omnes Jeſu colendi cauſa profundant; ſi de Jeſu dies noctesque cogitent; ſi ab illius præſentia disjungi ſe nunquam permittant; ſi pedibus ejus provoluti, a templis ubi reſidet non diſcedant; ſi coram illo nonniſi proſtrati humique reptantes honoris cauſa conſiſtant; nihil profecto faciant, quod officium adverſus tantum hoſpitem, quod amor in tam benevolum amicum, quod gratus animus erga tam inſignem benefactorem, non exigat. Age ergo Catholicos intueamur, & quo pacto ab illis Jeſus acceptus ſit contemplemur. Infandum dictu! non modo nihil eorum quæ præmiſimus a pleriſque Jeſu cauſa fieri cernimus, ſed ne ipſas quidem communiſſimas amoris & obſequii ſignificationes adhiberi videmus: non modo non profun-

di

di opes ædibus ſacris ornandis, ſed eas omnino neceſſariis ornamentis deſtitui: non modo de Jeſu aſſidue non cogitari, ſed eum prorſus oblivioni tradi: non modo ſingulari eum reverentia &honore non coli, ſed irreverentiis, ſacrilegiis, ac contumeliis affici. Heu quam multæ ſunt ædes ſacræ divina Jeſu præſentia cohoneſtatæ, ruri maxime, & in pagis ac oppidulis; imo etiam in magnis perſæpe civitatibus, ubi patronorum incuria aut avaritia, Jeſus pauperius habitat miſeriuſque, quam habitare ſoleant vel infimæ conditionis cives. Nihil his in ædibus non modo magnificum aut pulchrum, ſed ne concinnum quidem & mundum; omnia vilia, obſoleta, immunda, horrorem potius parere apta, quam pietatem ac reverentiam excitare. Ego quidem, quum mihi iter habenti, aliove caſu, non ſemel in ejuſmodi templa ingredi contigit, templa, inquam, tuguriis, expoſitiſque villis ſimiliora quam ædibus ſacris; quum ruinoſa ædificia conſpexi, tectaque ſtramentaria hiantibus ſæpe rimis diſſuta, imbribus ventiſque pervia, parietes luto paleiſque temere obductos, pavimentum ſordibus horridum; quum aras ſacras vilibus vidi veſtitas pannis, detritis, laceris, quibus ſine dedecore honeſta perſona tegi non poſſet; hæc attonitus contemplans, imo pectore ſuſpirans, dixi: O Jeſu tu ne hîc præſens ades! O Rex gloriæ te ne in hoc tugurio habitare! Inter has ſordes diu noctuque verſari! Hæc de te Chriſtianorum cura! His te laciniis induunt! His tibi vaſis inſerviunt! At ipſi certe apud ſe lautius & mundius habent. O fidem Chriſtianorum ex-

tinctam, qui Deum ſuum ſic negligunt! O infinitam Jeſu patientiam, qui hæc ſuſtinet! Verum ad alia minus ferenda, divinoque Cordi acerbiora tranſeamus, nimirum amantiſſimus Dominus in amoris ſui myſterio latitans, oblivioni prorſus a pleriſque traditur, ſoluſque in templis ſuis, velut ignotus ac peregrinus derelinquitur. Quot enim reperias catholicos, qui nunquam de Jeſu apud eos habitante cogitant, nunquam ad eum officii cauſa accedunt, nunquam viſitatione dignantur: qui non modo dies, hebdomadas, menſes, ſed annos ipſos effluere ſinunt, ſine ulla aut amoris, aut grati animi peculiari ſignificatione. Itur quidem ad templa frequentius, feſtis ſaltem diebus, ſacrificii cauſa: at eo ne ſpiritu illuc fideles confluunt, ut Jeſu Redemtori ſuo debitos honores deferant, gratoſque ſe pro beneficiis acceptis exhibeant? nihil minus. Atque ita contingit ut quum homines inter ſe, parentes, cognatos, amicos, benefactores, Magnates adire ſæpe officii cauſa ſoleant; Jeſus ipſe amicorum fideliſſimus, benefactor munificentiſſimus, parens amantiſſimus, Rex Regum & Dominus dominantium, ſolus in ſuis ædibus deſeratur, ſine amicis, ſine aulicis, ſine cultoribus. Quæ derelictio eo illi acerbior accidere debet, quod urbes noſtras, noſtri dumtaxat gratia, ſolaque utilitatis noſtræ ratione ductus incolit. O ſi ſic cum terreno principe ageretur! ſi ſubjecti, ſi aulici, ſi filii, qui omnia ab ſuo Rege ac patre accepiſſent, ſic cum eo ſe gererent; ita illum negligerent ac contemnerent: quo demum animo id cerneremus?

Ve-

Verum hæc adhuc parva ſunt, ſi cum injuriis quibus Jeſus inter ipſos Catholicos expoſitus eſt, comparentur: irreverentias dico, ſacrilegia, cæteraque peccata in templis committi ſolita; quæ hîc commemorare non eſt animus, præſertim quum cunctis nota ſint. Hoc dixiſſe uno verbo ſufficiat, nullum eſſe tam exiguum principem aut dominum, cui præſenti non major deferatur honos, quam Jeſu in domo ſua a multis defertur. Imo in privatis honeſtarum perſonarum ædibus decentius agi, quam agi plerumque ſoleat in templis; ubi nihil frequentius eſt, quam fideles videre, ipſo etiam ſacrificii tempore, aut ſtantes, aut indecore ſedentes, aut libere & immodeſte colloquentes, oculos circum quaque petulanter verſantes, invicem fabulantes ac ſalutantes; eo denique ſe prorſus modo gerentes, quo in foro aut in profano conſeſſu aſſolet.

Jam quid dicam de acceſſu ad ſacram menſam, ubi Jeſus ipſe ſumitur, nobiſque intime copulatur? Amore ille totus ardens ſe nobis tradit, nos contra ægre ac frigide accedimus; imo bene multi accedere negligunt, cogendique ſunt Eccleſiæ minis, & intentatis æternis ſuppliciis. Alii ſacrilegos amplexus Jeſu dare non horrent. Cæteri ferme omnes ſine amore, ſine ſenſu, ſine præparatione Sacramentum ſuſcipiunt. Ad Miſſæ Sacrificium quod attinet: quo demum pacto, aut in eo celebrando Sacerdotes, aut in audiendo alii fideles ſe habere ſolent. De Sacerdotibus quidem, ſi mores plerorumque, modumque ſacrificandi conſideres, jam Miſſam munus aliquod e popularibus eſſe dicas ad

pecuniam lucrandam utile, quod celeriter & expedite conficere pulchrum ſit. Quam imparati multi accedunt! Quam indecore rem ſacram faciunt! Quam irreverenter ſacroſanctum panem manibus tractant! Panis ille quem ſine ſacro quodam horrore ac fremitu tangi non liceat; heu tangitur, locoque movetur tam irreligioſe, tam præcipitanter, ut non caro Chriſti, ſed vile panis fruſtulum videatur. Cæteri fideles, nihilo ſanctius erga diviniſſimum myſterium afficiuntur: multi intereſſe negligunt; alii nonniſi cum ſatietate ac moleſtia aſſiſtunt. Itaque fit, ut eo ipſo tempore quo Jeſus ſe Patri æterno victimam pro peccatis hominum offert, ipſi homines quum hoc ſciant adeſſe, tamen aut renuant, aut ita negligenter adſint, ut continuis animi vagationibus ad diverſa ſe diſtrahi patiantur.

En igitur (ut tandem ad concluſionem veniamus) En quo pacto Jeſus ad homines rediens, acceptus ab illis eſt: hi honores illi delati: hic amor repenſus: hæ grati animi ſignificationes exhibitæ. Audiant hæc omnes quibus æqui juſtique amor ineſt: quotquot humanitatis ſenſu tanguntur: audiant, & inauditum inhumanitatis prodigium erubeſcant & exhorreſcant. Repetamus ſane quæ toto hoc capite a nobis fuſius dicta ſunt, & in pauca contrahamus, ad pudorem & horrorem acrius, ſi fieri poteſt, excitandum. Jeſus univerſorum conditor, populorumque omnium ſupremus Dominus, ſed Chriſtianorum præcipua quadam ratione Pater & Rex; ille ipſe qui de cœlo illorum gratia deſcendit, vitæque ſuæ momenta ſingula eorum ſaluti & incolumitati

Digitized by Google

tàti conſecravit; qui tormenta crudeliſſima Crucíſque mortem ſuſtinuit, ut eos ex inferorum incendiis eriperet, aditumque in paradiſum reſeraret; ille ipſe Jeſus amoris ſui impetu actus, ut a Chriſtianis ſeparari nunquam poſſet, Sacramentum Corporis ſui inſtituit, mediiſque in urbibus noſtris habitare voluit: ſexcentis nunc locis præſens adeſt, nobis proximus ac vicinus, eodemque ſæpe tecto nobiſcum utens; & tamen Jeſus non amatur, oblivioni datur, negligitur, derelinquitur, contemnitur, injuriis ac contumeliis appetitur. O prodigium! obſtupeſcite cœli ſuper hoc: nihil ſtupore veſtro dignius. Tuque obſtupeſce terra quæ hæc vides. Vos mortales, qui hæc cernitis, fremite indignabundi. Cognoſcant hæc infideles ac barbaræ gentes, & exclamabunt: O populum Chriſtianum immanem prorſus ac ferum! Quam orbis denique partem tam agreſtem tamque horridam incolunt? Sub quo tam duro tamque ahæneo cœlo ſpirant ac vivunt? An cor carneum, ut cæteri populi, an ferreum potius gerunt? Quid enim, amore Dei ſui, & tali quidem tantoque amore eorum duritiem non emolliri? Nullam amoris ſcintillam excitari? Quid, ingratum eſſe poſt tot beneficia: hoccine hominum eſt, an belluarum? O Cor Jeſu ſacratiſſimum, omnium cordium nobiliſſimum, generoſiſſimum, tenerrimum, qui tui eſſe ſenſus debent? Quam acerbus dolor, quum ſic amorem tuum contemni vides? Huccine conatus omnes tui, labores, vigiliæ, tormenta recidere, ut ingratos denique faceres?

Que-

Digitized by Google

Querela Chriſti juſtiſſima: eique ſatisfaciendi neceſſitas.

Et hæc quidem ſunt quæ Jeſum cogebant apud ſponſam illam ſuam, de qua ſuperius dictum eſt, conqueri. *Cor ſuum detegens: vides Cor meum, Cor inquam illud tanto hominum amore ſuccenſum, ut nihil intentatum reliquerit, quo amorem ſuum ſignificaret.* Ego miſeriis hominum permotus, eoſque malis infinitis quibus oppreſſi jacebant eripere cupiens, nullo meo ſuadente commodo, ſed amore ſolo quo illos complector incitatus, e cœlo veni, formam ſervi accepi, memetipſum exinanivi, illiſque me ſimilem per omnia reddidi; corpus humanum indui cunctis infirmitatibus cæteris communibus obnoxium, vitam vixi laboribus ærumniſque plenam; quicquid egeſtas, vigiliæ, fames, ſitis, frigus, æſtus, hominum invidiæ & odia afferre malorum poſſunt, hoc omne illorum gratia ſuſtinui. Parum hoc fuit, gravius quidpiam juſtitia Patris, amorque meus poſcebant: ſanguine litandum fuit, vita prodigenda, ſupplicioque Crucis finienda. Nihil hæc amoris mei vim & impetum retardarunt; corpus vinculis, alapis, ſputis, clavis, ſpinis vexandum dilaniandumque tradidi, fudi ſanguinem, exhauſtæ ſunt venæ: Cruci denique, ego innocens, ego Dominus, ego Deus, pro nocentibus, pro ſervis, pro vilibus creaturis ſum affixus. At poteram certe minori diſpendio eorum ſaluti proſpicere, poteram gutta ſanguinis, poteram lacryma. Verum hoc amoris mei vim immenſam non

ſatis

Digitized by Google

ſatis declaraſſet. Oportuit amorem infinitum, ſigno aliquo amoris immenſo eſſe teſtatum. His omnibus majus aliquid amor meus excogitavit: Corpus meum & Sanguinem hominibus in cibum, potumque tradidi, ut una res quodammodo effici cum illis poſſem. His certe eorum emolliri corda debuere; eoſque gratos futuros poſt tanta beneficia ſperare certe fas erat. Sed O ſpes falſas, inaneſque labores meos! *Horum hominum maxima pars non modo ſe gratos non exhibent; ut me etiam averſentur, injuriiſque ac contumeliis in hoc amoris mei myſterio aſſidue laceſſant: quod eo acerbius accidit, quod a perſonis etiam mihi dicatis hæc pati cogor.* Unum ergo ſupereſt amori meo perfugium, unum ſolatium, in tua nimirum paucorumque fidelitate repoſitum. Vos afflictiſſimi Cordis mei mœrorem abſtergite: inflictas injurias vos compenſate: violatum tot injuriis honorem meum vos, ſi me amatis, ſarcite. Et quidem ſi ſcire cupis quem potiſſimum honorem & cultum Cordi meo adhiberi velim. Accipe: *Abs te peto ut feria ſexta quæ poſt octavam Corporis mei proxima ſequitur, Cordi meo colendo peculiariter ſit dicata: qua die ad ſacram menſam accedendo, injuriæ Cordi meo in altaris myſterio inflictæ, eo maxime tempore quo fidelium venerationi expoſitus ſum, violati honoris reparatione ſarciantur.* Hac Jeſu querela, quid juſtius? Quid concitandis animis potentius? Et ſi quis in nobis remanet ſenſus, ſiqua adverſus amantiſſimum Redemtorem fides ac pietas, an poſſumus his illius vocibus non commoveri, omnique ope non conniti, ut ejus deſiderio ac

Q pe-

petitioni faciamus ſatis? O vos quos æqui amor tangit, vos qui Jeſum aut diligitis aut certe diligere cupitis, quæ veſtræ cogitationes eſſe debent, qui Cordis affectus, quum Jeſum veſtrum prædictis contumeliis expoſitum cernitis, eumque tam amanter conquerentem auditis? At enim non ipſi vos fortaſſe in eum injurii fuiſtis, nullumque tam gravi querelæ locum ipſi dediſtis. Eſto, ſit ita ſane: de vobis nihil Jeſus habeat quod conqueratur. Verum hoc cogitate, hocque vobiſcum reputate, non ſatis eſſe ab injuriis abſtinere; officii plane veſtri eſſe irrogatas ab aliis injurias compenſare, afflictoque Cordi Jeſu peculiari quadam ratione ac cultu, ſolatium ac conſolationem afferre. An vero filio chariſſimo, qui patrem graviſſimis affici injuriis cerneret, ſatis eſſet, ſe patris inimicis non adjungere, ſeque ab inferenda injuria dumtaxat continere? An pietatis potius non eſſet, contumelioſis, totis viribus reſiſtere, patriſque injuriam impedire, ſi poſſet; ſin minus aliqua via damnum illatum reſarcire, honoribuſque extraordinariis patris ignominiam eluere, quantum fas eſſet? An igitur nos minori in Jeſum ſtudio feremur, quam filii ſoleant in parentes, aut in amicos amici? An ego, qui ſi amicum male tractari mei cauſa videam, ſine dolore ferre non poſſum, nec ſine acri deſiderio damnum illius compenſandi; patiar ſcilicet immotus, ſicciſque cernam oculis, Jeſum Salvatorem meum, amicum fideliſſimum patremque amantiſſimum, crudeliſſimis mei cauſa injuriis affici. Hunc ſciam infinitis propter me in amoris ſui myſterio affectum fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe contumeliis, omnique probrorum genere vexatum, flammis traditum, vulneribus confoſſum, pedibuſque impiorum protritum; aliaque omnia perpeſſum, quæ homines perditiſſimi Dæmonum furore afflati excogitare potuere. Hæc ſciam, hæc videbo, hæc recogitare potero, nec commovebor? Et ſine ſenſu doloris remanebo, quaſi ſi hæc nullatenus ad me pertineant, nullaque ego cum Jeſu ratione conjunctus ſim? Me miſerum! Si tam inhumano tamque ferreo pectore ſim: ſi me ſic pietas, ſic humanitas omnis deſerat. Avellatur ſane potius e pectore Cor tantæ vecordiæ capax: mori ſiquidem longe præſtat, quam talis perfidiæ reum effici. Heu! heu! dulciſſime Jeſu, non committam, tua adjutus gratia, ut tantum in me ſcelus reprehendere unquam poſſis. Certum mihi fixumque eſt, me ſacroſancti Cordis tui cultoribus adjungere, tuæque tam juſtæ petitioni ac querelæ ſatisfacere. Tuis igitur poſthac pedibus millies accidens, te in hoc amoris ſacramento ſupplex venerabor: amorem tuum ab ingratis hominibus impie neglectum deflebo, meiſque lacrymis ſacra illa loca in quibus reſides, tot tantiſque flagitiis violata, eluere omni ope conabor. Illam quam poſtulas tam æquam violati honoris reparationem, Cordi tuo ſanctiſſimo humi proſtratus mœrens adhibebo. Denique nihil omittam, quo nefanda in te, amoremque tuum perpetrata compenſare queam.

Hîc jam aliquando mihi quærere liceat: primum, an quidquam eſſe ſanctius poſſit, homineque Chriſtiano dignius his animi affectionibus, quas toto præſen-

Digitized by Google

ti capite excitare conati ſumus? tum, utrum religionis officium, quo id unum ſpectatur, ut pii ejuſmodi ſenſus in animis naſcantur, natique alantur & augeantur, ſolidum ſit, veræque pietati conſonum, dignumque quod ab Eccleſia univerſali recipiatur? Denique an non deceat ejuſmodi pium officium publicum reddi, cujus nimirum ope, Fideles ad tam ſanctos erga Jeſum affectus excitari poſſint? Quemadmodum enim certi dies ad Chriſti Domini paſſionis memoriam celebrandam ab Eccleſia conſecrati ſunt; in quibus opprobria ab amantiſſimo Redemtore pro nobis ſuſcepta, peculiaribus adhibitis honoribus publice compenſantur: ita conſentaneum prorſus erat, certos dies pari ratione decerni, in quibus ſimiliter injuriæ, ab eodem in Altaris myſterio acceptæ ſolemniter quoque ſarcirentur. Quum certum ſit Jeſum in Euchariſtiæ ſacramento inſtituendo, non minorem nobis dilectionem exhibuiſſe, quam quum pro nobis mortuus eſt: nec minora in hoc eodem Sacramento toleraſſe, quam quæ paſſionis tempore toleravit.

Atque hæc demum de excellentia finis hujus SS. cultus erga Cor Jeſu dicta ſufficiant.

CAPUT IV.

Excellentia tum virtutum quas cultus Cordis JESU *complectitur, tum fructus qui ex ejuſdem praxi colligitur.*

HÆc ſunt duo poſteriora capita, unde excellentia cujuslibet pietatis officii certo dignoſci poſſe di-

dictum eſt. His porro explicandis, nihil jam opus erit immorari diutius, quum ex iis omnibus quæ hactenus expoſita ſunt, clariſſime intelligi poſſint. Quod enim pertinet ad virtutes, quas cultus Cordis Jeſu complectitur, liquet eas eſſe perfectiſſimas: ubi enim aut fides, aut charitas, aut religio præclarius perfectiuſve exercentur? Siquidem univerſus cultus in eo demum conſiſtit, ut Dominum Jeſum frequenti adoratione, amore, gratiarum actione, omni denique officio proſequamur, de injuriis illi inflictis doleamus, eiſque quacumque licet via, abolendis ac compenſandis omni conatu ac cura incumbamus: Sacramenta in hunc finem frequentemus: templa adeamus: expiationem voluntariam adhibeamus: preces huc pertinentes ex imo pectore fundamus. His, inquam, actionibus, hís virtutum exercitiis totum hoc erga Cor Jeſu officium continetur, ac circumſcribitur. Sunt autem hæc, ut apparet, non vanæ ceremoniæ, non ſigna vacua exterioris pietatis, non oſtentus vani, oculis hominum perſtringendis, aut auræ populari captandæ accommodati; nihil denique in his reperire eſt quod ulli cupiditati ſervire poſſit; cuncta ſolida ſunt, cuncta interiora, cuncta ſancta, cuncta pietate chriſtiana digniſſima: adeo ut, in eo quidem genere, nihil ſincerius, nihil ſolidius, nihil ſanctius, nihil Deo ac Chriſto Jeſu dignius eſſe poſſe videatur.

Jam ad fructum quod ſpectat ex hoc officio capiendum, excellentiſſimum eſſe convincitur; non ſolum harum virtutum contemplatione, quas modo di-

ximus, quarum videlicet exercitatione animam infinitis gratiis ditari neceſſe eſt; verum duabus præterea de cauſis, quas obiter attingere juvat.

Primum, quia vix fieri poteſt ut quis ſe aſſidue in cultu Cordis Jeſu exerceat, quin brevi totus amantiſſimi Redemtoris amore accendatur. Hic eſt enim hujus officii fructus maxime proprius, ut facile intelligi poteſt, tum ex ipſa officii natura de qua dictum eſt, tum ex uſu & praxi de qua poſtea. Idem vero evincitur animadverſione ſequenti: duplici nimirum via, amorem Jeſu adipiſci omnino poſſumus. Primo Dei mera liberalitate: quum ille ſcilicet vel precibus noſtris exoratus; vel opus aliquod ad ſui gloriam præſtitum munerandi cauſa; amorem illum, munus omnium maximum miſericorditer elargitur. Tum labore noſtro accedente ſemper auxilio gratiæ: quum nimirum ea media adhibemus, quæ natura ſua ad amorem Jeſu in animis procreandum aptiſſima ſunt: Qualia eſſe conſtat in primis, conſideratio amabiliſſimarum Jeſu perfectionum, ejuſdemque in nos amoris ac meritorum recordatio. Jam vero affirmare ſine dubitatione poſſumus, nullum eſſe pietatis officium, quod duplicem hunc amoris Jeſu conſequendi modum luculentius complectatur, quam cultus ſacroſancti Cordis Jeſu. Sive enim divinum hunc amorem procreari velis conſideratione amoris Jeſu erga nos, ejuſdemque beneficiorum; nulli plane officio ejuſmodi conſideratio magis convenit ac propria eſt, quam huic ipſi de quo tractamus: quod ex ſuperioribus duobus capitibus mani-

Digitized by Google

niſeſtum eſt. Sive amor Jeſu fuſis ad Deum precibus obtinendus ſit: nihil cultores Cordis Jeſu ex officio, tam frequenter, tamque acriter petunt, quam amorem Jeſu: hic eſt votorum ſcopus præcipuus: huc cætera omnia referunt. Sive denique ratio habeatur operis Deo grati, quod Deus dono illo pretioſiſſimo muneretur; perſpicuum eſt ex iis quæ toto hoc libello continentur, cultum Cordi Jeſu adhibitum, opus eſſe Chriſto Jeſu gratiſſimum.

Unde ulterior etiam ratio deſumi poteſt, ad oſtendendum officii hujuſce fructum non poſſe non eſſe maximum. Quum enim conſtet ex revelatione illa ſupra memorata, eos qui cultum propoſitum amplectentur, rem gratiſſimam Chriſto Jeſu facturos; quemadmodum ipſe diſertis verbis ſignificavit: dubium eſſe non poteſt, quin eos amantiſſimus Dominus liberaliſſime remuneraturus ſit. Certe promiſſo tenetur, fidemque obligavit ſuam, his verbis: *Spondeo eos omnes qui hoc honore Cor meum afficient, ipſius divini Cordis influxu cœleſtium donorum copia* (quorum præcipuum amor Jeſu eſt) *fore cumulandos*. Verum, ut nulla ſit hæc promiſſio: certe officium erga Cor Jeſu natura ſua ejuſmodi eſt, ut ejus aſſidua exercitatione cuncta impetrare a Jeſu benignitate poſſimus. Quod hac unica conſideratione perſuaderi poteſt. Si tempore paſſionis Chriſti Domini, quum ille ab omnibus derelictus, & in manus inimicorum traditus, tam dira patiebatur; unus aliquis e diſcipulis inventus eſſet tam fidelis qui ſe palam ejus diſcipulum profeſſus eſſet, gloriæque duxiſſet,

Digitized by Google

ſet eum magiſtrum ac Dominum agnoſcere: ſi ab ejus latere non diſcedens, ſuaſque lacrymas cum Jeſu lacrymis miſcens, dolorum ejus & ignominiæ ſocius participeſque fieri voluiſſet; omnique ope Dominum patientem ſublevare conatus eſſet. Quid putas, hanc fidem pietatemque in Corde Jeſu omnium cordium gratiſſimo ac beneficentiſſimo effecturam fuiſſe? Qua demum gratiarum cœleſtium copia, ejuſmodi diſcipulum remuneraturum fuiſſe credendum eſt? Jam vero conſiderandum, ea quæ olim Jeſus paſſionis tempore indigna toleravit, hoc tempore adverſus eumdem in altaris Sacramento latentem quodammodo renovari, uti capite ſuperiori deſcriptum eſt. Hîc enim, a ſuis quoque derelictus, repudiatus, pulſus, contumeliis jactatus, injuriis denique omnibus appetitus fuit; atque etiam num multis in locis appetitur. Hoc igitur ſtatu, ſi aliqui fideles diſcipuli reperiantur, qui Jeſum ſuum tam male habitum contemplantes, intimis ſenſibus commoti, omni ope connitantur, cæterorum negligentiam ac vecordiam; diligentia ſua, honoribus, omnique genere cultus abolere, ſarcire, compenſare: quod aliud demum officii genus eſſe poteſt Chriſto Jeſu acceptius; & quo certius illius voluntatem aut gratiam nobis demereri poſſimus?



F. Dandré inv. Petrus Mazin sculp.

LIBER TERTIUS

De uſu & praxi cultus Cordis Dei JESU.

DUO ſunt actionum genera quibus res quælibet veneratione digna coli poteſt, ac debet. Aliæ interiores ad animum pertinentes: aliæ exteriores, corporiſque propriæ. Actiones animi quæ cultum interiorem conſtituunt, quædam intellectus propriæ ſunt; quædam voluntatis; quædam memoriæ. Ad intellectum ſpectat cognitio rei quæ colenda proponitur; ejuſdemque perfectionum ſeu excellentiæ certa ac juſta æſtimatio. Ad voluntatem vero, affectiones excellentiæ rei convenientes; quales

Digitized by Google

ſunt adoratio, ſummiſſio, admiratio, amor, laus, aliæque ejuſmodi, prout rei dignitas & qualitas exigit. Ad memoriam denique, frequens ejuſdem rei perfectionumque ei propriarum recordatio.

Res in exemplo planior fiet: ſumamus cultum erga B. Virginem Dei Matrem. In quo demum conſiſtere dicendus eſt cultus ille ſuaviſſimus? De interiori loquimur. Res facilis eſt, 1°. Ex parte quidem intellectus, conſiſtit in cognitionibus, quibus prima illa animæ potentia inſtructa & ornata eſſe debet, de perfectionibus & excellentia hujus ſanctiſſimæ Virginis: nimirum quæ ſit ejus dignitas, potentia, bonitas, miſericordia, privilegia, perfectiones, gratiæ. Hæ porro cognitiones ſi deſint, evidens eſt deeſſe plane fundamentum totius cultus. Et vero quotquot Deiparam ſincere & ex animo colunt, hi omni opera ſatagunt ut has cognitiones comparent, & augeant lectione, meditatione, oratione, quo in ſtudio non levem animi conſolationem percipiunt. 2°. Ex parte voluntatis, cultus B. V. conſiſtit in affectionibus ex dicta notitia naſci aptis, quales ſunt veneratio, fiducia, amor, gratus animus, &c. Quæ affectiones, ut naſcuntur ex cognitione perfectionum Deiparæ, ita eidem cognitioni, prout magis aut minus perfecta eſt, æqua proportione reſpondent. 3°. Denique ex parte memoriæ, ille idem cultus perficitur per frequentem recordationem B. Virginis, rerumque ad eam pertinentium; quouſque eo demum perveniatur, ut hæc recordatio frequentiſſima & familiariſſima evadat. Hæc de cultu interiori.

Jam

Digitized by Google

Jam quod attinet ad exteriorem: quum actiones quibus conſtat oculis omnium pateant, cunctis quoque fidelibus notæ ſunt; nec egent peculiari explicatione. Hoc ſolummodo advertere juvat: certas quaſdam actiones ita eſſe proprias & affixas quibuſdam officiis particularibus, ut cæteris accommodari non poſſint: quemadmodum formulæ precationum particulares, litaniæ, corollæ precatoriæ, imagines, confraternitates, &c. Alias vero, quæ quum natura ſua ſint communes, propriæ tamen redduntur officiis particularibus, ex intentione operantis. Tales ſunt Novendialia; Templorum aditiones; Altarium & Icuncularum ornamenta; auditio Miſſarum; Sacramentorum ſuſceptio; Eleemoſinæ; opera penitentiæ, charitatis, humilitatis; &c. uno verbo omnes illæ actiones exteriores ad cultum exteriorem pertinere dicendæ ſunt, quæ cultus interioris hîc & nunc vera ſigna ſunt: undecumque demum hanc ſignificationem habeant. Igitur quum in hocce libro tractandum ſuſcipiamus de uſu ac praxi cultus Cordis Jeſu, omnino neceſſarium eſt, ut de duplici illo genere cultus, interioris videlicet & exterioris, Cordi diviniſſimo proprie convenientis, breviter diſſeramus.

CAPUT I.

De Cultu interiori Cordis JESU.

EX his quæ mox præmiſimus, conſequens eſt ut dicamus, cultum interiorem Cordis Jeſu conſiſtere, ex parte quidem intellectus, in cognitione excel-

Digitized by Google

lentiæ hujus diviniſſimi Cordis. Scilicet quæ ſit illius dignitas, ſanctitas, ſublimitas? Qui gratiarum theſauri in eo reconditi? Quanta pro Dei gloria, hominumque ſalute toleraverit? Quam diviniſſimæ Trinitati charum ſit & acceptum? Quam fidelibus omnibus amabile? Uno verbo quam dignum amore noſtro ac veneratione ſuprema? Ex quibus omnibus enaſci oportet infinitam quamdam æſtimationem hujus ſacratiſſimi Cordis. Hoc primum totius cultus fundamentum eſt. Porro hæc omnia fuſe proſecuti ſumus c. 1. l. 2.

Hæc igitur prima cura ſit ſtudioſorum Cordis Jeſu, ut has cognitiones acquirant, & intellectum applicent ad ea conſideranda, penituſque comprehendenda quæ dicto capite continentur. Quod non nuda lectione; ſed meditatione, ac præſertim oratione, & cultus ipſius exercitatione conſequentur.

Intellectu ita comparato facile ſequentur quæ ad voluntatem pertinent; nimirum affectiones, infinitæ Cordis Jeſu excellentiæ reſpondentes. Supremæ namque illius dignitati ſuprema debetur adoratio. Summis ejuſdem prærogativis ac perfectionibus admiratio, glorificatio, laus. Amori immenſo amor mutuus. Beneficiis ex eo in nos profectis æqua gratiarum actio. Miſericordiæ fiducia. Virtutibus quarum ſedes eſt imitatio. Injuriis quibus violatur violati honoris reparatio. Et ita de cæteris.

Præterea quum nulla ſit res, Deo Patri hoc divino Corde charior: hoc ipſo Corde apud eum utimur, ut omnes noſtras actiones infinitæ ejus majeſtati gratas &

Digitized by Google

& acceptas reddamus: quicquid ſeu agimus, ſeu patimur, actionibus, perpeſſionibusve hujus ſacroſancti Cordis conjungendo. Per Cor Jeſu Deum adoramus, laudamus, amamus, beneficia poſcimus, gratias agimus, divinæ voluntati nos ſubjicimus, veniam delictorum petimus, &c. Denique quod huic pio officio maxime proprium eſt, conſiderantes amorem immenſum quo Cor Jeſu erga homines ardet, ſimulque perpendentes injurias eidem ab ingratis hominibus illatas; & noſmetipſos in hoc ingratorum numero eſſe ſentientes, pudore ſuffundimur, dolore afficimur, veniam ſummiſſime precamur, noſque illi abjicientes juſtam quam requirit expiationem, intimo pectoris ſenſu quoad poſſumus adhibemus. Quem præcipue honorem Cordi ſuo deferri Jeſum maxime cupere, ex tota hujus SS. cultus ratione aperte conſtat.

His ſi adjungatur ex parte memoriæ frequens ac familiaris diviniſſimi Cordis recordatio, ita ut actiones illæ omnes, ſeu exercitia interiora huic colendo propria, in uſum ſæpiſſime deducantur; tunc perfecte & ex omni parte conſtabit cultus interior; & in externum neceſſario diffundetur. Porro afferemus paulo poſt documenta & exercitia virorum ſanctorum, quibus totum hoc quod de cultu interiori breviter hîc attigimus egregie confirmabitur, fuſiuſque explicabitur.

Digitized by Google

CAPUT II.

De cultu exteriori Cordis Dei Jesu.

Quæ pertinent ad cultum exteriorem Cordis Jeſu, nihil diſcrepant ab iis quæ in aliis religionis officiis ab Eccleſia probatis obſervari ſolent. Præcipua capita breviter percurremus.

I.

In primis, maxima ratio habenda eſt eorum, quæ Jeſus ipſe in ſupra memorata revelatione expreſſe præſcripſit. Itaque ſingulis annis, ut in ſimilibus officiis uſuvenit, dies una cultui Cordis Jeſu dedicanda eſt; feſtumque ſacratiſſimi Cordis maxima qua fieri poteſt ſolemnitate ac pietate celebrandum.

Porro diem hanc Dominus ipſe definivit, nempe feriam ſextam octavæ Corporis Chriſti proximam. Illa igitur dies tota in colendo Corde Jeſu conſumenda eſt. Quod ut recte fiat, neceſſe eſt apprime cognoſcere, ſeduloque perpendere quæ ſit hujus feſti ratio? Quod Chriſti in illo inſtituendo conſilium? Quis finis? Quis ſcopus? Qua intentione celebrandum ſit? Quo affectu? Quibus animi ſenſibus? Ad quæ probe intelligenda conducet ea legere, & meditari, quæ cap. 4. l. 1. & cap. 1. & 3. lib. 2. explicata ſunt.

Accedendum ad penitentiæ Sacramentum, in quo, hac quidem die, decet & expedit confiteri ſummo animi dolo-

dolore, quicquid contra Jeſum in Euchariſtia reſidentem per totam vitam peccatum eſt, irreverentiis, ſacrilegiis, negligentia, tepore, &c. Tum Chriſti Corpus ſumendum: quod eo ferventius hac die præſtari convenit, quod hæc ſacra communio ad aliarum defectus compenſandos ordinari debet. Poſt cœleſtes epulas, adhibenda violati honoris expiatio ad ſacroſanctum Cor Jeſu directa, quemadmodum Dominus expreſſis verbis poſtulavit. Hæc autem expiatio aliud nihil eſt, quam affectus animi ex intimis enaſcens præcordiis, quo quis amore ſimul, pudore, & dolore tactus ob injurias amantiſſimo Redemtori ab ingratis hominibus illatas; hunc ſuum amorem, pudorem, ac dolorem Jeſu pedibus abjectus teſtatur, conaturque profundiſſima animi ſummiſſione ac reverentia, offenſas ab aliis, atque a ſemetipſo irrogatas, abolere & quoad fieri poteſt compenſare. Porro hujuſmodi exercitationis exemplum ac formula inferius tradetur.

Præterea eo illo die templa obeunda frequentius, ut cæterorum Chriſtianorum negligentia, qui Jeſu Salvatoris ſui penitus obliti, ad eum nunquam officii cauſa adeunt, aſſiduitate noſtra, hac ſaltem die compenſetur. Eo vero habitu, ea modeſtia, ea reverentia templa frequentanda, ut appareat animum eſſe, irreverentias ibidem admitti ſolitas abolere. Quinquies quoad fieri poterit hac die Jeſus viſitandus eſt. 1°. Eo fine, ut ei gratias habeamus ob immenſum beneficium nobis in tanti Sacramenti inſtitutione præſtitum. 2°. Ut Jeſu itidem gratias referamus, quod toties ſacro ejus cor-

pore

pore in ſacra menſa paſti fuerimus: atque etiam pro cæteris omnibus gratiis in hoc Sacramento acceptis. 3°. Ut violati honoris expiationem Cordi diviniſſimo pro omnibus injuriis ac ſacrilegiis, quibus ab hæreticis, aut infidelibus affectum eſt, adhibeamus. 4°. Ut pro innumeris etiam ac graviſſimis fidelium offenſis faciamus ſatis. 5°. Denique ut Jeſum tot in deſertis locis reſidentem, ubi tam male habet, tam raro viſitatur, tam ex omni parte negligitur, ea loca animo luſtrando, ſuprema adoratione & amore debito proſequamur. Demum preces & orationes in laudem ſacroſancti Cordis conſcriptæ, ut in aliis ejuſmodi piis officiis aſſolet, pro cujuſque affectu, ac commodo recitandæ. Quibus omnibus adjungi debent alia pietatis opera, penitentiæ, charitatis, miſericordiæ, humilitatis, religionis, aliarumque virtutum, quibus in cæteris ſolemnitatibus animus præparari conſuevit, ad gratias recipiendas illis diebus a Deo copioſius infundi ſolitas: quæque amor affatim ſuggeret.

II.

Verum præter illam diem ſolemniorem quæ feſto Cordis ſui ſemel in anno celebrando, conſecratam Jeſus voluit, alia dies quolibet menſe eidem SS. Cordi colendo dicanda ſimiliter eſt: nimirum feria ſexta prima occurrens initio cujuſque menſis. Qua die ſimilia prorſus opera præſtanda erunt quæ ipſo præcipuo feſtivitatis die uſurpanda notavimus. Nempe frequentanda Penitentiæ & Euchariſtiæ ſacramenta; adhibenda violati ho-

honoris expiatio; obeunda Templa; &c. Hæc porro ad praxim ſingulis menſibus deducere, grave videri non poteſt: quum nemo ſit eorum qui pietati dant operam, qui ſæpius in menſe Sacramenta non ſuſcipiat: nihilque vetet quominus feria illa ſexta quam aſſignavimus, ſacro convivio deſtinetur. Certe, ſi feſtum aliquod inſignius in eam diem incideret, huic officio piæ perſonæ non deeſſent. Illa ergo feria ſexta habenda eſt ut dies quædam ſacratior, Cordi Jeſu colendo dedicata, in qua ad divina myſteria accedi, Deo gratiſſimum erit.

III.

Singulis præterea hebdomadis, feria ſexta eidem cultui deſtinari poteſt: qua die ſuperius ſtatuta, vel omnino, vel ex parte pro cujuſque devotione exercenda erunt. Fuere, qui initio, improbare viſi ſunt, certos dies ſacro cultui ſic toto anno definiri: unum diem ſufficere volebant: quumque Jeſus huic feſto celebrando, feriam ſextam poſt octavam Corporis Chriſti deſignaſſet, hac, contentos nos eſſe debere volebant: plures dies addi ſine cauſa. Sed certe parum illi ad rem attendiſſe videntur. Nam 1°. ſolemne hoc eſt aliis omnibus pietatis officiis, ut non tantum ſemel in anno, ſed menſibus præterea ſingulis, atque etiam hebdomadis, dies una his exercendis conſecrata ſit. Sic feria ſexta cujuſvis hebdomadæ, Paſſionis Chriſti memoriæ recolendæ, dicata eſt: & feria quinta inſtitutioni ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Cur ergo in cultu Cordis Jeſu hoc

S im-

Digitized by Google

improbabitur, quod in aliis ſimilibus Eccleſia probat? Præterea, ſi laudabile eſt Deoque gratum, Cor Jeſu ſemel in anno ſolemni ritu coli; quis non videt laudabilius fore, Deoque gratius, ſi cultus ille ſæpius in anno renovetur? Demum, quum Jeſus declarare dignatus ſit, ſibi vehementer acceptum eſſe ut Cor ſuum a fidelibus colatur: quid amplius expectamus, ut ad cultum huic diviniſſimo Cordi adhibendum accendamur; non tantum ſemel in anno, aut menſe, aut hebdomada, ſed diebus etiam ſingulis atque horis, ſi fieri poſſit? Et vero ita ſolent ſinceri cultores Cordis Jeſu: nullam ſiquidem diem prætermittunt, nullam fere horam cultu ſanctiſſimi Cordis vacuam. Sive enim ad Altare ſacrificii cauſa, ſeu ad ſacram Communionem accedunt, ſive Miſſarum ſolemniis interſunt, ſive Templa obeunt, ſeu orant, Cor Jeſu aſſidue cogitant: huic ſeſe ſtrictiſſime conjungunt: eo apud Patrem æternum ſine intermiſſione utuntur, ut acceſſum facilem ad miſericordiæ Thronum inveniant: ſua demum omnia ad Dei gloriam animæque ſalutem ac perfectionem ſpectantia, cum hoc divino Corde, per ipſum, & in ipſo perficiunt. Sed hæc, jam Sanctorum hominum authoritate & exemplis confirmare juvat.

Digitized by Google

CAPUT III.

Variæ praxes Cordi JESU *colendo idoneæ, a Sanctis Viris exercitæ ac traditæ.*

EX dicendis in hoc capite clare patebit, cultum ſacroſancti Cordis Dei Jeſu non eſſe ſæculi hujus novum inventum; ſed olim a Deo piis ac Sanctis viris, iiſque in Eccleſia illuſtrioribus fuiſſe afflatum.

PRAXIS I.

Ex Ludovici Bloſii documentis de Corde JESU.

Bloſius ex ordine S. Benedicti, in rebus ſpiritualibus ac divinis Magiſter omnium conſenſu peritiſſimus, ac vitæ ſanctitate celeberrimus; qui natus anno 1506. pie obiit an. 1566. multis in locis ſuorum operum, Cordis Jeſu cultum & praxim graviſſimis verbis commendat. In ſpeculo ſpirit. c. 7. ſub finem, hæc præcipit. Commenda bona opera & exercitia «
tua ſacratiſſimo atque mellifluo Cordi Jeſu emendan- «
da, perficiendaque. Maxime enim id expetit Cor il- «
lud amantiſſimum, & ſemper paratum eſt imperfe- «
cta tua excellentiſſimo modo perficere. Rurſus in in- «
ſtit. Spirit: c. 9. Aſceta, inquit, opera & exercitia ſua, «
pio mellifluoque Cordi Domini Jeſu, quod divinita- «
tis Cordi inſeparabiliter unitum eſt, & unde omne «

» bonum promanat, emendanda atque perficienda com-
» mendabit. Iterum in farrag. utiliſſ. inſtit. ſub finem, inter illa documenta quæ notatu digna inſcribit, idem
» docet his verbis. Sectator vitæ ſpiritualis, opera &
» exercitia ſua divino Cordi Jeſu Chriſti emendanda
» perficiendaque commendet. Item in ſcriniolo ſpirit.
» Sic Deum Patrem orat: Pater Cœleſtis! ego pro fri-
» gida & miſera cordis mei ariditate, offero tibi fervida
» deſideria, ardentiſſimumque amorem Cordis dilecti
» filii tui Jeſu Chriſti. Denique in articulis vitæ Chri-
» ſti, articulo 23. de Corde Jeſu ita loquitur. Utinam
» hoc Cor ſuaviſſimum, hoc amænum beatitudinis
» gazophilacium ſit mihi in morte ſalus & ſolatium,
» & poſt mortem æternum domicilium. Alia ejuſmodi non pauca, de Corde Jeſu, in operibus ejuſdem Bloſii reperiuntur, ex quibus non obſcure intelligitur, quanti faceret praxim illam toties a ſe inculcatam.

PRAXIS II.

Ex Lanſpergio deſumta.

Joannes Lanſpergius, ob eximiam pietatem juſtus cognominatus, ex ordine Carthuſiano, doctrina & uſu rerum ſpiritualium commendatiſſimus, qui ſub initium ſæculi 1600. floruit, quid de cultu Cordis Jeſu ſentiret, declaravit in eo opuſculo, quod, *pharetra divini amoris Apoſtolicæque perfectionis*, inſcriptum voluit. Ubi de cultu Cordis Jeſu ex inſtituto

Lib. 1. part. 5. initio.

» tractans, hæc habet. Ad venerationem Cordis piiſ-
ſimi

ſimi D. N. Jeſu Chriſti amore & miſericordia exube- «
rantiſſimi, ſtudeas te ipſum excitare, ac ſedula devo- «
tione ipſum frequentare: illud oſculando & mente in- «
troeundo. Per ipſum petenda petas, & exercitia tua offe- «
ras: quia chariſmatum omnium eſt apotheca, & oſtium «
per quod nos ad Deum, & ipſe ad nos accedit. Itaque «
figuram aliquam dominici Cordis... ponas in loco ali- «
quo, per quem ſæpius tranſire debeas, qua ſæpius exerci- «
tii tui, & amoris excitandi in Deum, admonearis... poſſes «
etiam, urgente devotione, internam figuram hanc, id «
eſt Cor Domini Jeſu oſculari, & animo tuo pervadere; «
quaſi verum deificum Cor Domini Jeſu ſub labiis «
habeas oſculandum: in quod Cor tuum imprimere «
geſtias, atque ſpiritum tuum immergere, abſorberi- «
que deſideres: videariſque tibi, ex gratioſo corde ipſius «
attrahere in cor tuum Spiritum ejus, gratiam quoque «
ejus & virtutes, ac prorſus quicquid fuerit ibi ſalutare; «
quod menſuram excedit. His enim omnibus Cor Jeſu «
exuberantiſſime ſcatet. Expedit autem & valde pium «
eſt, Cor Domini Jeſu devote honorare: ad quod in omni «
neceſſitate confugias: unde quoque conſolationem & «
omne auxilium haurias. Nam ubi cunctorum te mor- «
talium corda deſeruerint, ubi impoſuerint tibi: ſecu- «
rus eſto, hoc fideliſſimum Cor te non decipiet, nec «
derelinquet. «

Digitized by Google

PRAXIS III.

Ex P. Alvare de Paz.

P. Jacobus Alvares de Paz e Soc. Jeſu, in via ſpirituali, quam tot excellentiſſimis libris demonſtravit, dux peritiſſimus, vitæque ſanctitate inſignis, quid de cultu Cordis Jeſu ſentiret, expreſſit, cùm in aliis operum ſuorum locis, tum vero præcipue tom. 3. l. 4. part. 2. Exercit. 2, ubi exercitium ad Cor Jeſu ſpecialiter venerandum præſcribens, hæc habet. Cona-
» beris intrare in Cor Domini Jeſu, ipſumque conſi-
» derare quale ſit: ut ad ipſius ſimilitudinem cor tuum
» efformes. Cor iſtud ſanctiſſimum eſt via, per quam
» venimus ad æternam manſionem, quæ eſt Chriſti di-
» vinitas: & oſtium per quod ingredimur ad contem-
» plationem divinitatis; ut ergo poſſis ad contempla-
» tionem & amorem divinitatis aſcendere, in Cor
» iſtud Domini, omnium cordium ſanctiſſimum atque
» mundiſſimum, intenta conſideratione penetrare cura-
» bis; ut ſimile Cor, aſpirando in oratione, & laboran-
» do in actione, habere coneris. Tum, in certa quadam praxi, quam in eodem loco ſubjungit, in hæc
» verba prorumpit. O Salvator hominum Chriſte Je-
» ſu, cujus opus redemtio noſtra eſt: cujus imitatio to-
» ta perfectio eſt; aperi mihi obſecro ſanctiſſimum Cor
» tuum, januam vitæ, & fontem aquæ vivæ, ut per il-
» lud ad tui notitiam ingrediar, & aquam veræ virtutis
» omnem ſitim rerum temporalium extinguentem bibam, &c.

PRA-

Digitized by Google

PRAXIS IV.

S. Gertrudi, a Deo revelata.

Quanto ſtudio & affectu S. Gertrudis diviniſſimum Cor Jeſu, Deo afflante, proſecuta ſit, ſuperius c. 1. l. 2. dictum eſt. Hîc aliquid dictis addendum. Libro 3. inſinuationum ſeu revelationum cap. 25. hæc leguntur. Alia vice, quum Gertrudis ſtuderet orando ſingula verba cum attentione proferre: & in hoc, ex « humana fragilitate ſæpius impediretur: ob eam rem « mœſta, dixit intra ſe: Quis vero ex tali ſtudio pro- « venire fructus poſſit, cui tanta ineſt inſtabilitas? Cujus « mœrorem Dominus non patiens, obtulit ei Cor « ſuum deificatum, dicens: ecce Cor meum dulciſſi- « mum, venerandæ Trinitatis organum, oculis mentis « tuæ objicio, cui omnia quæ per te minus implere ſuffi- « cis, fiducialiter pro te ſupplenda commendabis: & « ſic omnia coram oculis meis apparebunt ſumme per- « fecta... Cor meum deinceps ſemper aderit tibi, ad hoc « ut omnes negligentias tuas qualibet hora pro te ſuppleat. «

Eodem illo lib. 3. c. 28. hæc habentur. Dixit Do- « minus ad Gertrudem: reſpice ad Cor meum: hoc erit « tibi templum. Quære autem in cæteris Corporis mei « partibus, alias quaſi officinas, in quibus vitam degas: « Corpus enim meum erit tibi impoſterum pro clauſtro. « Ad quod illa: Domine, nihil eſt quod quæram amplius « aut eligam, quia tam ſuavem ubertatem in Corde tuo « dulciſſimo (quod dignaris templum meum dicere) in- « veni, ut extra illud nullam quietem admittere poſſim. «

PRA-

Digitized by Google

PRAXIS V.

Venerabili Matri Mariæ de Incarnatione ex ordine ſanctimonialium divæ Urſulæ, Deo revelante, tradita.

Hæc ipſa eſt ſanctimonialis totâ Galliâ vitæ ſanctitate celeberrima, omnibus gratiæ donis mirabiliter inſignita, altera Thereſia dicta, quæ nova prorſus admirabilique vocatione, Dei monitu, ac ſuperiorum permiſſu, invicto animo maria trajiciens, in plagas Canadenſes anno 1640. ſe contulit; ibique Monaſterium feminis barbaris in fide educandis deſtinatum, fundavit. Quo opere, labore ingenti, conſummato, ipſa, barbaris illis feminis inſtituendis, zelo plane apoſtolico, ad ſenium & mortem uſque perſeveravit. Porro hæc eximiis virtutibus adeo excelluit, tot tantiſque cœleſtibus gratiis abundavit, tam ſublimibus a Deo communicationibus ac donis ornata fuit, ut ejus animæ rectores animo reputantes, quantum utilitatis & fructus ex illarum gratiarum cognitione ad Dei gloriam, publicumque Eccleſiæ bonum, aliquando exiſtere poſſet, non dubitaverint idem illi præceptum imponere, quod olim Sanctæ Thereſiæ impoſitum fuiſſe legimus: nimirum ut vitam ipſa ſuam, beneficiaque a Dei bonitate accepta, manu ſua conſcriberet. Paruit illa, ut decebat, vitam ſcripſit ſuam: quæ poſtea, ea mortua, in lucem, cum Doctorum & Superiorum approbationibus, non ſine legentium admiratione

Digitized by Google

tione edita eſt. Eo quippe ſtylo res ſuas conſcripſit, ut facile appareat, (id quod ipſa ſatis innuit) afflante numine, verbaque Spiritu Sancto ſubminiſtrante, opus injunctum perfeciſſe. Neque enim humana mens, rebus quæ his ſcriptis continentur, utpote ab humano ſenſu intelligentiaque remotiſſimis, tam ſublimiter tamque dilucide tractandis, par ullatenus cenſeri poteſt.

Hæc igitur ſanctimonialis, quod ad rem præſentem attinet, Cor Jeſu maximo affectu conſtantiſſime ad mortem uſque venerata eſt: & quidem eo tempore ac ætate, quum de hoc cultu noſtro, utpote nondum cognito, altum in Eccleſia ſilentium tenebatur. Quo pacto autem cœleſti revelatione didicerit Cordi Jeſu cultum adhibere, ipſa in hunc modum refert. lib. 2. c. 10. & iterum l. 3. c. XIII. in additione.

Creſcebat in dies magis ac magis hoc meum vehe- «
mentiſſimum de amplificatione regni Jeſu Chriſti «
deſiderium, precibuſque ardentiſſimis de hoc negotio «
agere apud Patrem æternum non ceſſabam. Accidit «
autem nocte quadam, quum ſuper ea re, more meo, «
cum Patre æterno in oratione tractarem; ut, ſubita in «
animo meo oborta luce, perſpexerim ac ſenſerim, «
me a divina majeſtate æquis auribus non audiri: «
Deumque Patrem, contra ſolitum, meis precibus mi- «
nime tangi. Pupugit acerrime hæc infuſa cognitio «
cor meum, miraque anxietate vexavit: omnia pati «
cupiiſſem, ut id quod in me deerat ad Patris æterni «
cor emolliendum, divina bonitas largiretur; ut ſic de- «

» mum rem, quam enixiſſime petebam æquiſſimamque
» eſſe ſentiebam, obtinere poſſem. Hoc equidem apud me
» interius certo cognoſcebam, preces meas Deo eſſe gra-
» tas; ſed eum tamen ut ſe exorari pateretur, aliquid
» præterea ex me cupere, quo me carere ſentiebam.
» Ego vero me ad illius pedes abjiciens, atque in abyſ-
» ſum vilitatis meæ quantum poteram memet immer-
» gens, optabam vehementiſſimo deſiderio, ut hoc
» ipſum quod mihi deerat, donare ſumma majeſtas di-
» gnaretur; ut exaudiri tandem poſſem. Tum vero
» repente divinæ lucis radium in animam meam illabi
» ſenſi: quem hæc vox ſtatim ſecuta eſt. PETE A
» ME PER COR JESU FILII MEI AMANTISSI-
» MI: PER ILLUD EXAUDIAM TE, ET IMPE-
» TRABIS QUÆ POSCIS. Porro ex illa hora ac
» momento, Spiritus quo anima mea regebatur, huic
» me divino adorandoque Cordi tam arctiſſime con-
» junxit; ut jam nec loqui, nec ſpiritum ducere, niſi
» per illud poſſem. Novas quotidie in hoc diviniſſimo
» Corde Jeſu gratiæ infuſiones experiebar, quas neque
» calamo, neque lingua exprimere fas eſt.

Ex illa die, quotidianum exercitium erga Cor Jeſu uſurpare cœpit: cui nunquam ſe defuiſſe, 30. annorum ſpatio quos ſupervixit, confitetur, in epiſtola quæ lib. 3. ejuſdem vitæ c. 13. in additione refertur, in
» hæc verba: A me petis, ut de quibuſdam pietatis of-
» ficiis mihi familiaribus te participem faciam. Non es
» neſcius, me illa exercere vix poſſe, quæ certis ac defi-
» nitis actionibus continentur. Fatebor tamen ingenue,
unum

unum eſſe præ cæteris, quod ab ipſo Domino acce- «
ptum habeo, in quo triginta jam ferme annos me «
exerceo, erga ſacroſanctum & ſupreme adorandum «
Cor Jeſu. Ratio autem quæ me impulit ad hoc exer- «
citium amplectendum, ſi ſcire cupis, hæc fuit. No- «
cte quadam quum aliquid a Patre æterno maxima «
contentione peterem (Hîc ſummatim repetit quæ mo-
do citata ſunt, tum hæc addit.) Meæ internæ faculta- «
tes omnes jam tunc huic ſacroſancto Cordi tam inti- «
me fuere conjunctæ, ut Patri æterno loqui amplius «
non valerem, niſi per Cor Jeſu. Ab illo tempore dies «
ſingulos veſpere claudo pia ad Cor Jeſu exercitatione: «
cui nunquam me defuiſſe memini, niſi fortaſſe neceſ- «
ſitate compulſa. Et quidem, ſi audire libet, en ferme «
exercitium meum ad Cor Jeſu, & rationem quam te- «
nere ſoleo Patrem æternum alloquens. «

Per Cor Jeſu mei, vitæ meæ, veritatis & viæ, «
ad te accedo O Pater æterne! Per hoc adorandum «
Cor, te adoro pro iis omnibus hominibus qui te «
non adorant: Te amo pro his omnibus qui te non «
amant: te Deum agnoſco pro iis omnibus qui volun- «
tarie excæcati te agnoſcere negligunt. Cupio homi- «
num omnium erga te obligationibus & officiis maje- «
ſtati tuæ per hoc diviniſſimum Cor ſatisfacere. To- «
tum orbem mente circumeo, animas requirens pretio- «
ſo ſponſi mei redemtas ſanguine, ut pro iis per hoc «
ſacroſanctum Cor tibi ſatisfaciam: eas complector, ti- «
bique per Cor Jeſu offero: eorum ad te converſio- «
nem per illud ipſum Cor ſummiſſime peto. Heu! «

„ ne permittas, Jeſum meum ab illis diutius ignorari. „ Fac ut pro illo vivant, qui pro illis omnibus mortuus „ eſt. Cernis equidem, divine Pater, eas nondum cer- „ te vivere. Ah! fac per hoc divinum Cor Jeſu, fac „ obteſtor, ut vivere tandem incipiant. Offero maje- „ ſtati tuæ ſuper hoc ſanctiſſimum Cor N. N. ſervos „ tuos. Peto per divinum ſponſum meum, ut eos ejus „ ſpiritu repleas: utque auſpice eodem illo ſacroſancto „ Corde, tecum eſſe mereantur in æternum. Tum ſer- „ monem dirigens ad verbum ipſum incarnatum, ſic „ ajo. Scis utique dilecte mi, id omne quod Patri tuo „ per divinum Cor tuum dicere cupio: atque hæc omnia „ quum dico Patri tuo, tibi etiam ipſi dico: quia Tu „ in Patre, & Pater in Te eſt. Hæc igitur omnia cum „ illo perfice. En quale ſit meum ad Cor Jeſu exerci- „ tium. Deinde conſiderans, quantum debeam Verbo „ incarnato, in hunc modum orare pergo. O mi divi- „ ne ſponſe, quid tibi rependam pro tuis innumeris in „ me collatis beneficiis: tibi utique gratias agere volo „ per diviniſſimam matrem tuam. Cor ſacroſanctum „ hujus SS. Matris tibi offero, quemadmodum Patri „ æterno tuummet obtuli. Per hoc ſacroſanctum Cor „ Matris tuæ, tanto tui amore ſuccenſum, te amo: hæc „ ſacra ubera quæ ſuxiſti, hunc uterum in quo habita- „ re voluiſti tibi offero, ut pro omnibus acceptis bene- „ ficiis gratias agam; atque etiam pro vitæ meæ emen- „ datione, & animæ meæ ſanctificatione. Tum deni- „ que ad B. Virginem me converto, & quicquid affectus „ ſuggerit fundo.

PRA-

Digitized by Google

PRAXIS VI.

Deducta ex viſione cœleſti habita ab illa Virgine Parodienſi ſupra memorata.

Dum aliarum ſanctarum feminarum viſiones cœleſtes ad Cor Jeſu ſpectantes referimus, omittenda ſane non eſt Virgo illa ſanctimonialis Parodienſis, cujus opera Jeſus uti voluit, ut Cordis ſui diviniſſimi cultum his temporibus excitaret. De quâ quum jam multa ſuperius dixerimus, unum dumtaxat huic loco accommodatum, adjungemus. Hæc igitur ad animæ ſuæ rectorem ſcribens, ſic loquitur: Quod pertinet ad beneficia ſingularia ex Corde Jeſu in me profecta, adeo multa ſunt, ut vix animum inducere poſſim ea ſingillatim enumerare. Obedientiæ porro, quæ me hæc ſcribere cogit, facturam me ſatis exiſtimavi, ſi pauca hæc quæ ſubjicio declararem. Die quodam S. Joannis Euangeliſtæ ſacro, poſtquam ab amantiſſimo Domino gratiam accepiſſem illi propemodum ſimilem, quæ in ultima cœna dilecto diſcipulo contigit: menti meæ Cor illud ſacroſanctum objectum eſt, lucis radios miro ſplendore ſpargens undequaque, cryſtallique inſtar pellucens, in throno qui totus ex igne flammiſque conſtare videbatur veluti ſublime: vulnus lancea factum diſtincte apparebat: ſpinea corona Cor cingebat: Cruxque in ſuperiori parte eminebat. Quæ Dominicæ Paſſionis inſignia ſignificabant (rem ipſo Jeſu declarante) omnia quæ ille pro hominum ſalute paſſus

» eſt, ex amore profluxiſſe. Tum, amantiſſimus Do-
» minus hæc adjecit: cupere ſe vehementer, ab homini-
» bus redamari: ſeque hoc deſiderio excitatum ſtatuiſ-
» ſe Cor ſuum illis manifeſtare, huncque theſaurum
» amoris & miſericordiæ, gratiarumque omnium ad ſa-
» lutem & perfectionem conducentium reſerare: eo fine
» ut quotquot huic ſacroſancto Cordi debitam reveren-
» tiam & amorem adhibere vellent, infinitis quas com-
» plectitur divitiis participes efficerentur. Affirmans præ-
» terea, cultum illum peculiarem Cordi ſuo delatum ſi-
» bi eſſe acceptiſſimum: ac propterea velle ſe, ut ima-
» go Cordis ſui expreſſa coloribus fidelium oculis palam
» exponeretur: quo emolliri eorum durities ſpecie tam
» amabili poſſet. Pollicens inſuper eos omnes qui ejuſmo-
» di imaginem præcipua veneratione colerent, donis cœ-
» leſtibus ex hujus diviniſſimi Cordis plenitudine pro-
» deuntibus, affatim cumulandos.

CAPUT IV.

Appendix de cultu ſanctiſſimi & immaculati Cordis Mariæ *Matris Dei* Jesu.

Conſtituto ſemel in Eccleſia, afflante Spiritu Sancto, cultu ac feſto Cordis Jeſu; conſequens erat ut, ejuſdem Spiritus inſtinctu, conſtitueretur adhuc cultus & feſtum Cordis Mariæ. Hæc porro conſequentia quam juſta ſit, ac divinis conſiliis conſentanea, apparebit ex ſequenti animadverſione; qua capitis hujus

jus initium facere operæ pretium erit. Nulla certe Mariæ glorioſior, nulla ſervis illius jucundior ac gratior accidere poteſt. Scilicet, Chriſtus Jeſus immenſo Matris amore ductus, eam ſibi in rebus omnibus conjunctiſſimam ac ſimillimam eſſe voluit; & quantum licuit effecit, perpetua rerum ſuarum cum illa communicatione. Bona quippe omnia ſibi propria, modo quodam mirabili, cum matre, omni tempore, omni loco, omni rerum ſtatu ita diviſit, ac partitus eſt; ut id omne quod ipſe natura ſua ac proprio jure poſſidet, illud idem Mater ipſa, filii gratia ac communicatione poſſideat; quantum naturæ creatæ fragilitas patitur. Prærogativas dico, qualitates, nomina, titulos, privilegia, virtutes, perfectiones, divitias, gloriam, potentiam, imperium, ac denique, quod hic peculiariter intendimus, honores omnes ab Eccleſia delatos. Rem hanc, hominum ſane & Angelorum attentione & admiratione digniſſimam, atque ad finem a nobis intentum, ut videbitur, accommodatam, paulo attentius perpendamus. Oculos itaque mentis, ſi placet, in Mariam convertamus: hancque ipſius cum filio indiſſolubilem conjunctionem, primo, ante ſæcula condita inſpiciamus. Nimirum in decretis divinæ Providentiæ: cujus primum ac præcipuum opus, Jeſus ipſe utique fuit, ſimul cum Virgine Matre. Hæc, ab æterno ante omnem creaturam, ſimul cum filio præcognita, præelecta, prædeſtinata. Hæc, cum filio cauſa finalis ſaltem ſecundaria productionis rerum omnium: nam omnia propter Filium & propter Matrem ſimul,

con-

Digitized by Google

condita eſſe, indicant cuncta illa Sapientiæ loca, quæ cùm a Patribus, tum ab Eccleſia Mariæ conſtanter
Eccli. 24. adaptantur. *Prodivi primogenita ante omnem creatu-*
Proverb. 8. *ram. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum... ab Æterno ordinata ſum... nondum erant Abyſſi & ego jam concepta eram.... quando præparabat cœlos aderam.* (nimirum ut cauſa finalis.) *Cum eo eram cuncta componens. &c.*

Mirum ſane accidere debet, quod iſta divinæ Sapientiæ oracula, Verbum æternum proprie reſpicientia; Mariæ, ab ipſa veritatis magiſtra Eccleſia, palam ac publice accommodentur: præſertim quum ejuſmodi publica accommodatio, non ſine peculiari Spiritus ſancti Eccleſiam aſſidue dirigentis inſpiratione, facta fuiſſe credenda ſit. Quid vero Spiritus ſanctus, quid Eccleſia ſignificare voluere, dum eiſdem præciſe coloribus ac lineamentis Matrem adumbrarunt, quibus Filius a divina ſapientia in Scripturis effingitur: niſi hanc quam dicimus admirabilem Filii cum Matre conjunctionem, ac ſimilitudinem in omnibus tum creationis operibus, tum redemtionis myſteriis: communem quodammodo utrique tribuentes poteſtatem, ac dominationem ſuper omnes creaturas; communemque influxum gratiarum ad ſalutem & perfectionem conducentium?

Jam ſi eamdem ſanctiſſimam Virginem poſt rerum productionem conſiderare pergas, conjunctionem illam ſeu ſimilitudinem cum Filio, ab ipſo ſtatim mundi exordio, ac deinceps in toto veteri teſtamen-

Digitized by Google

mento expreſſam perpetuo reperies: in promiſſionibus Patriarchis a Deo factis: in oraculis Prophetarum: in figuris ac ſymbolis antiquæ legis. In his enim pene omnibus Mariam invenies cum filio promiſſam, prænunciatam, figuratam.

Verum hæc conjunctio nuſquam admirabilior apparuit, quam in lege nova: in ipſa videlicet rerum prædictarum ac promiſſarum executione. Hîc velim conſideres Verbi incarnati myſteria omnia, Incarnationis, Nativitatis, Infantiæ. &c. in omnibus ac ſingulis Matrem ita cum Filio junctam reperies, ut nihil eſſe conjunctius poſſit. In Incarnatione, Verbum divinum ſe in Matris viſceribus menſes novem ita condidit, ut rem unam & eamdem, juxta humanum loquendi morem, cum illa quodammodo conſtituere viſus ſit. Infantiam totam inter brachia Matris tranſegit, virgineo ſinu perpetuo fotus, affixuſque ſacris uberibus. Vitam privatam cum Matre 30. ipſos annos conſumſit, eodem tecto, eadem menſa, iiſdem bonis, eadem fortuna utens: imo Matris imperio, filiorum more, ſubditus & obediens. Ecquæ major aut magis intima conjunctio eſſe, aut etiam fingi poſſit? Similem plane reperire eſt in aliis omnibus Chriſti ſeu prædicantis, ſeu patientis, ſeu reſurgentis myſteriis. Etenim labores omnes ſuos, dolores, opprobria, gaudia, ita filius matri communicavit; ut omnia ſibi cum illa eſſe communia, ſemper & ubique voluerit, & oſtenderit.

Sed ad majora tranſeamus: hanc Mariæ cum Filio aſſimilationem contemplemur in virtutibus, perfe-

V ctio-

Digitized by Google

ctionibus, prærogativis, nominibus, titulis, qualitatibus, privilegiis, poteſtate, imperio, gloria, ac demum in honoribus ab Eccleſia utrique delatis. Et primo quidem in virtutibus. Jeſum itaque ex una parte conſidera, hominum omnium humillimum, mitiſſimum, patientiſſimum, obedientiſſimum, caſtiſſimum, innocentiſſimum, charitate ac miſericordia pleniſſimum, denique ſanctiſſimum: ex alia Mariam conſpice Filio in eiſdem virtutibus ita ſimilem, ut ipſa quoque homines omnes humilitate, manſuetudine, patientia, obedientia, caſtitate, innocentia, charitate, miſericordia, ſanctitate, infinito quodam intervallo vincat ac ſuperet.

2°. In titulis ac qualitatibus. Vide quam exacte reſpondeant Matris qualitates ac tituli, qualitatibus ac titulis Filii. Jeſus Rex noſter: Maria Regina noſtra. Jeſus Dominus noſter: Maria Domina noſtra. Jeſus advocatus & mediator noſter: Maria advocata ac mediatrix noſtra. Jeſus Pater noſter: Maria Mater noſtra. Jeſus ſpes noſtra, vita noſtra, refugium noſtrum, auxilium & ſolatium noſtrum: Maria ſpes noſtra, vita noſtra, dulcedo noſtra, refugium, ſolatium, & auxilium noſtrum. &c.

3°. In prærogativis ac privilegiis. Jeſus natura impeccabilis: Maria impeccabilis gratia. Jeſus omni peccato tum originali tum actuali jure proprio immunis: Maria immunitate eadem ſingulari privilegio gaudens. Jeſus author gratiæ: Maria Mater gratiæ. Jeſus miſericordiæ Pater: Maria miſericordiæ Mater. Jeſus virgo: Maria virgo. Jeſus in ſepulchro incorruptus:

ptus: Maria eadem poſt mortem prærogativa donata. Jeſus a mortuis tertia die reſurgens: Maria eodem dierum ſpatio ipſa quoque a mortuis rediviva. Jeſus in cœlum corpore & anima aſcendens: Maria eodem modo in cœlos aſſumta. Jeſus ad dexteram Patris ſedens: Maria ad dexteram Filii collocata. Jeſu omnis poteſtas a Patre data: Mariæ omnis quoque a Filio potentia conceſſa. Pater gloriam omnem ſuam & imperium cum Filio diviſit: Filius hanc ipſam gloriam & imperium Matri ſecum voluit eſſe communia.

4°. Denique in honoribus ab Eccleſia Jeſu ac Mariæ delatis: quod ad rem hujuſce capitis propriam proxime pertinet. Scilicet nullum eſt obſequii aut officii genus ab Eccleſia ad honorem Filii inſtitutum, cui ſimile ad Matrem venerandam inductum non reperiatur. Orbem terrarum mentis oculis perluſtra, & cum debita admiratione animique voluptate recognoſce, nullam eſſe mundi partem, ubi Jeſu nomen cognitum ac prædicatum ſit; quin ibidem Mariæ nomen ſimul cum Filii nomine annunciatum quoque fuerit. Nullam eſſe gentem quæ Jeſum Dei Filium agnoverit; quin Mariam indiviſim Dei Matrem confeſſa, ac venerata ſit. Templum nullum Jeſu conſecratum fuiſſe; in quo monumentum aliquod ad Mariæ gloriam conſtitutum non inveniatur. Neminem in Eccleſia extitiſſe, qui amore Jeſu ſingulariter arſerit; quin ardore ſimili erga Mariam incenſus fuerit: quod omnium Sanctorum exempla declarant. Ut omnino dicere liceat, Jeſum neque coli, neque amari voluiſſe

Digitized by Google

ſine perpetuo Matris conſortio. Cerne, ut Mariæ nomen in ore fidelium, a nomine Jeſu inſeparabile ſit. Ut Matris præconia cum Filii laudibus quotidie in divinis officiis miſceantur & confundantur. Ut myſteria omnia vitæ Chriſti, ab incarnatione incipiendo uſque ad Aſcenſionem, totidem ſolemnitatibus ab Eccleſia celebrentur: & quomodo idem honor, cunctis myſteriis vitæ ſanctiſſimæ Matris, a Conceptione ad Aſſumtionem, ſimiliter deferatur. Nullam demum in Eccleſia exoriri novam feſtivitatem, nullum officium, aut exercitium ad honorem & cultum Filii; quin ſimilis continuo feſtivitas, officium, aut exercitium ad honorem & cultum Matris excitetur, & inducatur: exemplo ſint, feſtivitates Nominis Jeſu: Nominis Mariæ. Gaudiorum Jeſu: gaudiorum Mariæ. Excellentiarum Jeſu: Excellentiarum Mariæ. Dolorum & Paſſionis Jeſu: Dolorum & Paſſionis Mariæ. Quod in aliis ſimilibus celebritatibus, & exercitiis, conſtanter & abſque variatione in Eccleſia factitatum, attentus quiſque lector reperiet. Ergo, ut tandem id quod intendimus, quodque initio hujuſce capitis aſſeruimus, concludamus: ſemel inſtituto cultu ac feſto Cordis Jeſu, conſequens erat juxta conſuetam Spiritus ſancti in Eccleſia gubernanda Providentiam, ut ſimilis cultus ſeu feſtum ad honorem Cordis Mariæ inſtitueretur.

Et vero ita factum eſſe gaudemus: jam enim ſuaviſſimus ille Cordis Mariæ cultus, totâ Europâ una cum cultu Cordis Jeſu propagatus eſt. Imo ita rem Jeſus diſpoſuit, ut primum templorum omnium, in ſuimet Cor-

Cordis honorem excitatum (quod fuit Conſtantiis caſtris in Normannia in ſeminario Epiſcopali) illud idem in honorem Cordis Mariæ ſimul dedicatum ſit: atque uno eodemque momento, utrique ſanctiſſimo Cordi ſimul & indiviſim honos adhiberi cœperit. Namque ibidem, in amborum honorem, feſtum ſolemni pompa per octiduum celebratum eſt: conſtitutaque confraternitas ſacris Cordibus aſſidue colendis deſtinata: quam Clemens X. Sum. Pont. brevi Indulgentiarum decoravit. an. 1674. die 4. Octob. Pontif. 5. Clemens IX. eumdem favorem jam impertierat, anno 1668. 28. April. Abbatiæ regiæ S. Cæſarii in civitate Arelatenſi: in qua ſingulis annis, Cordis Mariæ feſtum ſolemni ritu celebratur. Ex eo vero tempore, ſanctiſſimus ac ſuaviſſimus cultus in aliis plurimis civitatibus, Provinciis, ac Regnis dilatatus eſt; in Gallia, Belgio, Germania, Polonia, Bohemia, Lituania. In Eccleſiis tum ſæcularibus, tum regularibus virorum ac mulierum: ut patebit ex indice Brevium Indulgentiarum, variis confraternitatibus ſub illo ſacro nomine conſtitutis, a ſummis Pontificibus conceſſorum: quem ſub finem ſecundæ partis exhibebimus. Demum hoc loco omittendum non eſt; ordinem S. Benedicti in Gallia, officium divinum ad honorem Cordis Mariæ proprium ac peculiare concinnaſſe, ſub ritu 2. claſſ. 8. Februarii recitandum: quemadmodum de Corde Jeſu ſupra retulimus. Quod, ex additamento Breviarii hujus Ordinis proprii, Pariſiis apud Petrum de Bats via Jacobea edito, certiſſime conſtat.

Digitized by Google

Jam ſi rationibus agendum ſit, ad perſuadendum quanta ſit hujuſce cultus erga Cor Mariæ ſoliditas, æquitas, ſuavitas, utilitas, ſanctitas, non aliis certe utemur argumentis, quam illis ipſis quæ ſuperius attulimus, quum de Corde Jeſu diſſeruimus. Etenim ubi a Corde Jeſu diſceſſeris, quid demum reperies aut ſanctius, aut dulcius, aut nobilius, aut ſublimius, quam Cor Mariæ? Quod quum ſimillimum ſit Cordi Jeſu; quicquid de hujus excellentia dictum eſt, c. 1. l. 2. Cordi Mariæ accommodatum, ejus quoque excellentiam commendabunt. Sive enim hanc excellentiam metiri velis ex dignitate perſonæ: ſive ex perfectione animæ, cui Cor conjunctum eſt: ſive ex gratiis infuſis: ſive ex virtutibus, quarum ſedes eſt atque origo: ſive ex functione, ad quam factum deſtinatumque eſt, nimirum ut amore Jeſu ineffabili, indeſinenter ac in æternum arderet: ſive demum ex gloria, quam ſuis affectionibus Deo creat: evidens eſt, nihil exiſtere inter puras creaturas, ſeu in Cœlo, ſeu in terra, hoc virgineo corde perfectius, pretioſius, ſanctius, excellentius, Deo & Jeſu Chriſto gratius. His adde nihil eſſe noſtri amantius, aut in nos beneficentius. Agitur enim de Corde Matris noſtræ, Dominæ noſtræ, Reginæ noſtræ, Advocatæ noſtræ, Auxilii noſtri, Refugii noſtri, Conſolationis noſtræ. Agitur de Corde amore noſtri gladio doloris transfixo, cunctoſque Cordis Jeſu dolores pro noſtra ſalute ſuſceptos, affatim participante. Hæc ſi quis attente conſideraverit, ac luce divina perfuſus perpenderit, ſentiet profecto fatebiturque,

Digitized by Google

que, nihil eſſe veneratione, & amore noſtro dignius, ſanctiſſimo Corde Mariæ. O ſi venter qui Jeſum portavit beatus eſt: Si beata ubera quæ lactaverunt, ac proinde veneratione digniſſima: Quid amabo, dicendum de Corde, quod amavit?

Cogita nunc, ſi Pater æternus in cultu Cordis Filii ſui, ut ſupra vidimus, tantopere ſibi complacet: dubitari non poſſe, quin ei gratiſſimus etiam accidat cultus Cordis Mariæ: ob mutuam utriuſque ſanctiſſimi Cordis conformitatem. De Jeſu vero, quis dubitet venerationem Cordi ſanctiſſimæ ac dilectiſſimæ Matris adhibitam, ipſi debere eſſe gratiſſimam: quum in eo ſacroſancto Corde amore ſui ineffabiliter incenſo, ſuper omnia creata ſuaviſſime conquieſcat?

Neque deſunt ad hæc confirmanda, exempla Sanctorum; imo etiam divinæ revelationes. In operibus B. Mechtildis, de cujus eximia ſanctitate ſupra diximus, hæc habentur. lib. 1. c. 54. Poſt hæc datum eſt ei ſalutare Cor Virginis glorioſæ, in his ſeptem articulis, in quibus nobis utiliſſimum fuit præ omnibus cordibus, poſt Chriſtum: & 1°. In deſiderio quod præ omnibus Patriarchis & Prophetis maxime habuit ad Chriſti humanitatem. 2°. In amore, quia per amorem ardentiſſimum & humillimum Mater Dei eſt effecta. 3°. In dulciſſima pietate, qua tam affectuoſe parvulum Jeſum enutrivit. 4°. In ſtudioſa conſervatione verborum Chriſti. 5°. In exemplo patientiæ paſſionis Chriſti. 6°. In ſedula oratione & deſiderio pro Eccleſia. 7°. Quod quotidie proficit in cœlo apud ſan-

Edit. Venet. 1558.

ſanctiſſimam Trinitatem noſtra deſideria promovere.

In revelationibus S. Gertrudis hæc de Corde Mariæ leguntur. lib. 4. c. 3. Videbatur blandus ille ac floridus puellulus (Jeſus) æterni Patris Filius unicus, Cor Matris Virginis cum ſumma voluptate ſugere. Quo dabatur intelligi, quod ſicut Chriſti humanitas virgineo lacte nutriebatur: ita ejus divinitas ſuaviſſime in hoc innocentiſſimo & amantiſſimo Corde conquieſcebat, eoque frui delectabatur.

Eodem lib. 4. c. 12. hæc referuntur. Tempore Matutini dum cantaretur *Ave Maria* viſum eſt illi (Gertrudi) tres quaſi rivulos prorumpere, unum ex Patre æterno, alterum ex Filio, tertium ex Spiritu Sancto, qui Cor Virginis Matris penetrarunt: ex quo deinde egredientes, cum vehementi impetu, unde primo proceſſerant, revertebantur. Quo influxu ſanctiſſimæ Trinitatis in beatam Virginem ſignificabatur, eam poſt Patrem eſſe potentiſſimam, poſt Filium ſapientiſſimam, poſt Spiritum ſanctum benigniſſimam.

Vidimus ſupra, venerabilem illam Matrem Mariam de Incarnatione, Dei donis, ac virtutibus eximiis ornatiſſimam, ſolitam eſſe, Cor Mariæ a Corde Jeſu in ſuo cultu nunquam disjungere; ſed utrumque ſimul, inſtinctu divino, venerari: utens apud Jeſum Corde Mariæ, eadem ratione, qua Corde Jeſu apud Patrem æternum uti conſueverat. Fuit mos B. Hermanni, Ordinis S. Dominici, ſingulis diebus Cor Mariæ ſalutare, ejuſque in honorem ſalutat. Angelicam recitare. Denique Virgo illa Parodienſis, de qua toties mentio fa-

Digitized by Google

facta eſt, Cordis Jeſu ſtudioſiſſima; ſimili prorſus affectu Cor Mariæ complectebatur. Hinc haud dubie P. Claud. la Colombiere ſuum erga Cor Mariæ ſtudium hauſit: ut patet ex oratione, quam ad ſacroſancta Corda Jeſu & Mariæ, in exercitiorum ſuorum diario conſcripſit.

Nos itaque his exemplis atque rationibus adducti, cultum ſacroſancti Cordis Mariæ, a cultu diviniſſimi Cordis Jeſu ne ſeparemus; Cor utrumque ſanctiſſimum æque ac ſuaviſſimum intimis præcordiis complectamur, veneremur, diligamus: utrique nos totos tradamus & conſecremus. Adeamus ad Patrem æternum per Cor Jeſu: ad Jeſum vero ipſum per Cor Mariæ. Per Cor Jeſu reddamus Deo Patri quæ infinitæ illius majeſtati, juſtitiæ, miſericordiæ debemus. Per Cor Mariæ reddamus Filio, quæ infinitæ illius dignitati, clementiæ, beneficentiæ, benevolentiæ & amori immenſo debemus. Omnia a Patre æterno impetrabimus per Cor Jeſu: a Jeſu ipſo per Cor Mariæ cuncta pariter conſequemur.

CAPUT ULTIMUM

Exercitia ad cultum Cordium JESU *&* MARIÆ *pertinentia.*

QUod in aliis omnibus pietatis officiis conſuetum eſt, in hoc certe non omittendum: ut pias quaſdam orationes, precationeſque in honorem Cordium Jeſu ac Mariæ adjungamus. Quan-

quam enim in cultu noſtro, affectum animi ſequi præſtet, quam formulæ cuipiam ſcriptæ ſcrupuloſius adhærere: tamen ejuſmodi formulas ad exemplum & imitationem apponere conſultum ſemper viſum eſt.

Exercitium laudis & adorationis ad Cor Jesu.

O Cor Jeſu diviniſſimum, hominum atque Angelorum adoratione digniſſimum! Tu, æterno Verbo indiſſolubili nexu conjunctum. Tu, ſummi Dei verum Cor: ipſo Deo dignum: Dei ſanctitate ſanctum. Divinæ bonitatis, charitatis, miſericordiæ vere particeps: cujus omnes affectiones & ſenſus infinitæ Dei majeſtati condignas eſſe neceſſe eſt. O Cor ineffabile ac vere incomprehenſibile, infinitis laudibus infinitiſque obſequiis merito proſequendum! Tu, virtutum omnium origo. Tu, donis omnibus cœleſtibus cumulatiſſime ditatum. Tu, bonorum omnium fons inexhauſtus. Tu, æternæ & increatæ charitatis digniſſima ſedes. Tu, ſola victima divinæ juſtitiæ digna: iræ divinæ placandæ ſola potens ac ſufficiens. Tu unum, amore divinæ bonitatis ipſa digno, arſiſti: in te uno demum ſanctiſſima Trinitas ſuper omnia ſibi complacuit. Tu, Eccleſiæ neceſſitatibus mira diſpenſatione providens, charitate multorum refrigeſcente, eam hoc tanto munere ditare voluiſti, ut amoris theſauros in te reconditos, in eos qui ſe tibi devovere vellent, effunderes. O me fortunatum! Quem tua licet indignum miſericordia harum tamen divitiarum partici-

pem

pem eſſe voluiſti: cognitionem tuorum mirabilium infundendo, meque ad cultum tuum alliciendo. Ad te igitur ſupplex accedo, O Cor millies adorandum! Tu, me, juſtiſſimum laudis & adorationis tributum tibi debitum, deferre conantem adjuva: atque in devotorum tuorum numerum adſcribi ardenter cupientem admitte. Ecce infinitam tuam dignitatem & excellentiam pronus agnoſco. Te quam poſſum demiſſiſſime veneror & proſtratus adoro. Verum quum plane ſentiam, te, vilibus affectionibus meis, pro dignitate honorari neutiquam poſſe; ut impotentiæ meæ quoquomodo & quoad licet ſuppleam, laudes & honores tibi ab omnibus Angelis & Sanctis in cœlo delatos offero. Majus etiam aliquid, ac te dignius deferre audeo: videlicet Cor immaculatum Mariæ, quod unum ad te colendum præ omnibus cæteris aptiſſimum eſt. Affectiones ergo meas omnes hujus ſanctiſſimi Cordis affectionibus conjungo: hocque fretus adjutorio ac ſocietate me tibi totum offero, meaque omnia tuæ gloriæ penitus conſecro. Tu vota clemens exaudi, ac perfice. Amen.

Exercitium amoris ad Cor JESU.

O Cor amantiſſimum Jeſu, adorandis Filii Dei perfectionibus, amabiliſſimas Filii hominis perfectiones ineffabili modo conjungens! Tu, cordium omnium nobiliſſimum, generoſiſſimum, latiſſimum, liberaliſſimum, magnificentiſſimum; ſimulque mitiſſimum,

humillimum, puriſſimum, innocentiſſimum, patientiſſimum, miſericordia exuberantiſſimum, denique ardentiſſima erga homines charitate pleniſſimum. Tu, Cor Redemtoris noſtri, Benefactoris noſtri, Amici noſtri, Fratris noſtri, Patris noſtri, Sponſi animarum noſtrarum. Tu, immaculatæ Virginis Matris noſtræ puriſſimo ſanguine formatum: Tu, principium vitæ humanæ amantiſſimi Servatoris. Tu, cauſa & origo pretioſi illius Sanguinis quo redemti ſumus. Tu, verus noſtrum omnium amator, juſtos ſimul & peccatores ineffabili charitate complectens, fons perennis miſericordiæ. Tu, amore noſtri, grandi vulnere lancea ſauciatum. Tu, refugium animarum ſanctarum. Tu, grata columbæ requies. Tu, peccatorum noſtrorum innocens victima, Dei juſtitiæ pro noſtra ſalute immenſis doloribus immolata. Ecquæ igitur res exiſtere poteſt, amore noſtro ac gratiis te dignius? Accipe ergo, O Cor ſanctiſſimum, ſuaviſſimum, dulciſſimum, amabiliſſimum, accipe quos offero intimos cordis mei ſenſus, eoſque te dignos effice. Tibi gratias immenſas ago pro tua in me & in omnes homines dilectione, innumeriſque in nos collatis beneficiis. Me tibi arctiſſime conjungo: te toto cordis affectu, tenerrimoque præcordiorum ſenſu complector, & amo. Me tibi totum devoveo, meaque omnia tibi committo. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, tibi amor, tibi imperium cordium in æternum. Amen.

Invo-

Digitized by Google

Invocatio ad Cor JESU.

O Cor Jeſu, cordium omnium dominator legitime, imo & unice! Tu, corda noſtra tuæ illi tam juſtæ dominationi penitus ſubjice, ac jure tuo tota poſſide. Ingrata etiam atque rebellia clementer & potenter tibi ſervire compelle. Imperium illud tuum ſanctiſſimum, æquiſſimum, ſuaviſſimum in ea conſtanter exerce. Fac ut in rebus omnibus voluntati tuæ ſubjecta, a te nuſquam ac nullatenus diſcrepent. Obſecro etiam te, O Cor ſanctiſſimum, cordium omnium exemplar perfectiſſimum, ut corda noſtra tibi ſimilia, humilitate, manſuetudine, patientia, charitate, reddere digneris. Tu terreſtres quibus premuntur cupiditates, cœleſtibus tuis affectionibus reprime, expelle, reſtingue: nutantia confirma: egentia dita: ad res infimas prona erige: inclinata ſubleva: dura emolli: immunda purifica: frigida, igne illo quo ardes inflamma: imperfecta eorum benigne perfice: demum talia redde, ut te amare, te colere, te imitari valeant, & in æternum te poſſideant. Amen.

Pro injuriis Cordi JESU *inflictis voluntaria expiatio ad Cor* JESU.

O Cor Jeſu, amore hominum ardentiſſimum, ſimulque ob ſpretum amorem tuum afflictiſſimum! Nihil a te olim dum in terris ageres prætermiſſum eſt, viribus etiam exhauſtis penitus atque conſumtis, quo

 hunc

hunc tuum immenſum amorem certiſſimis ac ſtupendis ſignis teſtatum relinqueres: neque tamen tibi, tunc temporis quidquam ab ingratis hominibus præter injurias, repenſum eſt. Tu, eodem in nos amore etiamnum in Euchariſtia flagras: non ignotum ut olim, ſed plane cognitum, nobiſque vicinum ac proximum, nec propterea humanius in hoc myſterio a multis amori tuo reſpondetur. Quæ tuæ ergo cogitationes eſſe debent, qui ſenſus, quum hos homines a quibus omnia reverentiæ & amoris argumenta expectare jure tuo debebas; in tantum ſe tibi reverentes ac gratos non exhibere cernis, ut etiam injuriis contumeliiſque te in hoc amoris ſacramento quotidie laceſſant? His ego injuriis & contumeliis vehementer commotus, tibi amantiſſimo & afflictiſſimo Cordi ſupplex accido, veniamque ſummiſſime precor. Ingrati animi vitium quo memetipſum reum agnoſco, injuriaſque amori tuo a memetipſo inflictas, deteſtor & abominor. Aliorum quoque hominum peccata ac ſacrilegia in te commiſſa odi, & execror. Violatum honorem tuum hac mea ſummiſſione ac voluntaria expiatione quoad licet reſarcire cupio. Utinam & lacrymis & ſanguine, omnia in te perpetrata eluere & abolere penitus poſſem! Utinam novo quodam & inuſitato honoris ac ſummiſſionis genere, tot irreverentias, convicia, ſacrilegia compenſare liceret! O quam præclare mecum agi putarem, ſi tam juſta de cauſa vitam profundere poſſem! Veniam igitur, O Cor Jeſu dulciſſimum mihi propitius indulge, propoſitumque animo conceptum gra-

Digitized by Google

gratia tua confirma : fixum namque mihi ratumque eſt, viribus omnibus eniti, ut nulla ex parte honori tibi debito in poſterum deſim : firmum eſt irreverentias priſtinas, ſumma reverentia : negligentiam, diligentia : oblivionem tui, frequenti memoria compenſare. Denique nihil omittere, quod ad amorem meum gratumque animum teſtificandum, abolendaque priora peccata conducere arbitrabor. Hoc ſtatuo, hoc firmiſſime decerno, gratiaque tua adjutus me effecturum confido. Amen.

Oblatio ſui ſuarumque rerum ad Cor JESU.

P. Claud. la Colombiere de quo ſupra, hujus exercitii author eſt, in quo nihil immutandum cenſuimus. Porro oblationis cauſas in hunc modum Vir Dei præmittit.

Fieri debet hæc oblatio ad honorem Cordis Jeſu, quod virtutum omnium ſedes eſt, & gratiarum divinarum fons, animarumque Sanctarum perfugium. Virtutes autem ob quas Cor illud ſacroſanctum coli debet, hæ ſunt præcipuæ. Amor in Patrem ardentiſſimus, cum ſumma veneratione ac ſummiſſione conjunctus. Patientia in malis tolerandis infinita. Dolor de peccatis immenſus; pro quibus videlicet juſtitiæ divinæ ſatisfacere onus ultro in ſe ſuſceperat. Fiducia dilectiſſimi Filii propria, pudori ac verecundiæ maximi peccatoris conſociata. Commiſeratio erga homines tenerrima, &, miſeriis noſtris nonobſtantibus, charitas in nos & amor ardentiſſimus. Denique in mediis hiſce affe-

affectionibus tam variis ac diverſis, tamque vehementibus, ut augeri nullo pacto poſſent, (quippe quæ omnes ſummum perfectionis gradum attigiſſent.) Pax tamen ſumma & tranquillitas, orta ſcilicet ex conformitate cum divina voluntate tam omni ex parte perfecta, ut quicquid vel zelo ipſius vel amori, vel alteri cuilibet ex prædictis affectionibus contrarium accideret, quantumcumque demum illud eſſet, eo ne leviſſime quidem pertubaretur. In eodem hodie ſtatu verſatur etiamnum Cor illud ſanctiſſimum: in primiſque ſummo hominum amore flagrat, tametſi ejus amori homines nequaquam reſpondeant, nihilque præter contemtum incredibilemque duritiem rependant. Ardet Jeſus amore noſtri, neque redamatur tamen; imo amor illius ne agnoſcitur quidem: nempe hominibus ea dona reſpuentibus ac dedignantibus, quibus Jeſus amorem ſuum teſtificari ac declarare ſolet, ac cuperet. Ego vero, O Cor Jeſu mei dilectiſſimi! Cor adoratione & amore meo digniſſimum! tot ac tantas injurias in te commiſſas, ſarciendi eluendique deſiderio inflammatus, utque ingrati animi vitium quantum in me eſt fugiam, Cor meum cum omnibus ſuis affectionibus, ac me denique totum tibi penitus offero tradoque. Teſtor hoc eſſe purum ac ſincerum deſiderium meum, ut ex hac ipſa hora ac momento, mei, mearumque rationum penitus obliviſcar: ut ſublatis omnibus impedimentis in ſacroſanctum Cor tuum, quod mihi ſingulari miſericordia reſeraſti, introire, ibique cum fidelibus ſervis tuis, vivus ac moriens habitare queam: er-

ergo amore tui totus incenſus, huic diviniſſimo Cordi libens offero meritum omne, omnemque ſatisfaciendi vim, quæ ineſſe poterunt tum Miſſæ ſacrificiis, tum orationibus, tum operibus pœnitentiæ, humilitatis, obedientiæ, cæterarumque virtutum omnium, quæ toto vitæ meæ tempore ad extremum uſque ſpiritum facturus ſum. Hæc omnia non ſolum in laudem & honorem Cordis Jeſu fieri volo, ſed præterea enixe & ſummiſſe precor, ut perfectam horum omnium donationem, quam eidem ſanctiſſimo Cordi facio, admittere non dedignetur: ita ut de iis omnibus diſponere pro arbitrio poſſit; ea, cui voluerit attribuendo, aut in quemcumque finem ei placuerit deſtinando. Atque quum jam animabus in purgatorio detentis conceſſerim, quicquid in actionibus meis ſatisfactorium eſſe poteſt: cupio ut hoc ipſum animabus illis ſecundum Cordis Jeſu beneplacitum impendatur. Porro quum ejuſmodi donatio nullatenus impeditura ſit, quominus Miſſæ ſacrificia, cæteraſque orationes offerre poſſim, prout obedientia aut charitas quandoque exigent; tunc, quum alienis bonis, atque ad Cor Jeſu pertinentibus uſurus ſim, animus eſt, ut omnia virtutum opera, quæ tum temporis exercere continget, Cordi Jeſu tanquam bona ipſi propria, dicata & conſecrata maneant. O Cor ſanctiſſimum, viam obſecro edoce, quam inire debeam, ut mei penitus oblitus, amoris tui puritatem, cujus mihi deſiderium infudiſti, conſequi valeam. Incendor equidem vehementi tibi placendi deſiderio: at ſentio, me quod cupio nequaquam

Digitized by Google

aſſequi poſſe ſine ingenti auxilio, quod tu ſolum præſtare potes. Perfice igitur in me, O Cor ſanctiſſimum, quicquid tibi acceptum eſt tuæque voluntati conforme. Sentio equidem repugnare me ac reſiſtere; ſed nollem certe, niſi me fallit animus: tuum eſt præſtare omnia, atque perficere: tibi uni ſanctitatis meæ (ſi adipiſci tandem contingat) gloria debebitur: neque ego alio fine ad ſanctitatem aſpirare deinceps volo, niſi ut tu demum lauderis, ac glorificeris. Amen.

Exercitium ad Cor Mariæ.

O Maria, Mater Dei auguſtiſſima, hanc veniam ſervulo tuo clemens indulge, ut mihi liceat ſelectis illis famulis tuis conjungi, qui peculiari cultu & ſtudio Cor tuum immaculatum proſequuntur: ut ipſe quoque gratiarum, huic pietatis officio tibi ac Filio tuo gratiſſimo, affixarum, particeps effici merear.

O Cor Mariæ, omnipotentiſſimæ Dei manus opus perfectiſſimum. Cor ſanctitate, puritate, nobilitate, ſublimitate, Dei Matre dignum: ſimulque Redemtoris Matre, miſericordia, humilitate, charitate, manſuetudine, digniſſimum. Tu, fons inexhauſtus bonitatis, dulcedinis, beneficentiæ, commiſerationis. Tu, virtutum omnium perfectiſſimarum ac puriſſimarum exemplar. Tu, Cordis Jeſu imago quam ſimillima. Tu, flammis amoris divini ſuper omnia Seraphim indeſinenter & ineffabiliter ardes. Tu, gloriæ Dei plus ſervis affectionibus tuis vel leviſſimis, quam alii Sancti con-

Digitized by Google

conferre poſſint cunctis operibus ſuis maxime arduis & heroicis. Tu, ſedes pacis. In te, juſtitia & miſericordia primum oſculatæ ſunt. In te, concordia inter cœlum & terram tractari, fædusque inter Deum & hominem iniri cœpit. Tu, homines omnes incenſo ac tenerrimo amore complecteris. Tu, illorum miſeriis materno ſemper affectu tangeris. Tu, ſemper felicitatis noſtræ deſideriis exarſiſti. Tu, dolores immenſos pro ſalute noſtra pertuliſti. Ergo, O Cor dulciſſimum, amantiſſimum, ſanctiſſimum, tot capitibus veneratione mea, amore, ac fiducia digniſſimum, obſequia, quæ amore tui incenſus tibi ſupplex defero, ſolita clementia admitte. Te, ſumma qua poſſum ſummiſſione revereor. Maximas tibi gratias ago, quod miſeriis meis, pietate pluſquam materna commotum, pios in me tam ſæpe miſericordiæ tuæ effectus effuderis; tamque multis beneficiis ex illo bonitatis theſauro depromtis, affeceris. Ego me hodie devotis tuis, qui in laudibus tuis, cultu & amore delectantur, cupidiſſime adjungo. Scilicet a divino quo reguntur ſpiritu edocti didicerunt, te certam eſſe viam, qua tuto ac recta ad Jeſum pervenitur: tuaque potiſſimum opera nos uti debere, ut officia quæcumque Jeſu debita, per te ſolvamus & impleamus. Per te Jeſus adorandus eſt: per te amandus: per te laudandus, ac benedicendus: per te rogandus: per te placandus: per te omnia noſtra ei offerenda, dicanda, conſecranda: ut ea demum ratione in omnibus, per te ipſum, imbecillitati noſtræ ſubveniamus, atque egeſtati noſtræ divitiis tuis

Digitized by Google

provideamus, ac ſuppleamus. Eſto igitur, O Cor virgineum, auguſtiſſimum, amabiliſſimum, eſto ex hora hac, ad ultimum uſque vitæ ſpiritum, venerationis meæ & amoris mei objectum quotidianum, ac perpetuum. Tu via eris, qua & ego ad Jeſum accedam, & ipſius miſericordia ad me veniet. Tu, refugium meum in neceſſitatibus, & conſolatio in tribulationibus. Tu, ſpeculum quod aſſidue contemplabor. Tu, ſchola ſacra in qua Jeſu magiſtri mei lectiones audiam. Te docente, divina illius effata, conſilia, virtutes ediſcam. Tu veram ac perfectam exercendarum virtutum rationem monſtrabis. Te duce, te ſuadente, te excitante ſtudebo ſectari puritatem, humilitatem, manſuetudinem, charitatem, patientiam, mundi rerumque creatarum contemtum, ſed maxime amorem Jeſu Dei ac Redemtoris mei Filii tui. Has ego virtutes per te fidenter petam & impetrabo. O verus miſericordiæ thronus! cor meum peccatis inquinatum, inordinatiſque cupiditatibus agitatum, tibi præſentare audeo, tuo conſpectu licet indignum, oro, ne contemnas; ſed tibi oblatum ac dicatum purifica, ſanctifica, a rebus terreſtribus avoca, acerrimo peccatorum ſuorum dolore tranſverbera, tuo demum, ac Filii tui unigeniti Jeſu Chriſti amore inflamma: denique tibi ſimillimum redde, ut tibi in Paradiſo conjunctum, tecum amare Deum, Deoque frui, æternum poſſit. Amen.

PRE-

Digitized by Google

PRECATIONES,

PIIQUE AFFECTUS

Ad Sacroſancta Corda JESU *&* MARIÆ.

COROLLA PRECATORIA

Ad honorem Sacroſancti Cordis Dei JESU.

Continet hæc corolla globulos majores quinque, minores vero triginta tres, ſecundum numerum annorum, ac vulnerum Chriſti. Initio corollæ oratio ſequens dicenda eſt.

Anima Chriſti ſanctifica me.
Cor Chriſti accende me.
Corpus Chriſti ſalva me.
Sanguis Chriſti inebria me.
Aqua lateris Chriſti lava me.
Paſſio Chriſti conforta me.
O bone Jeſu exaudi me.
Intra tua vulnera abſconde me.
Ne permittas me ſeparari a te.
Ab hoſte maligno defende me.
In hora mortis meæ voca me.
Et jube me venire ad te,
Ut cum Sanctis tuis laudem te.
In ſæcula ſæculorum. Amen.

Ante quemlibet globulum majorem, dicitur oratio ſequens.

Digitized by Google

Dulciſſime Jesu, fac cor meum ſecundum Cor tuum.

Ad globulum quemlibet majorem, dicitur.

Adoramus te Chriſte, in horto afflictiſſime, in Euchariſtia etiamnum ab ingratis hominibus deſpecte. Tu ſolus Sanctus, Tu ſolus Dominus, Tu ſolus Altiſſimus Jesu.

Ad globulos minores, dicitur.

Adoro te Cor Jeſu ſacratiſſimum, divino amore quo ardes, accende cor meum.

In fine recitatur ſemel Pater & Ave, *cum oratione ſequenti.*

Oratio.

Domine Jeſu, qui ineffabili Cordis tui amoris miraculo, te totum nobis in cibum in Altaris ſacramento tradere dignatus es: concede, ut qui injurias ac ſacrilegia ab ingratis mortalibus adverſum te in hoc ſacro myſterio commiſſa, toto animo deteſtamur ac plangimus: ipſius ſacroſancti Cordis accendamur affectibus: & dignis in æternum laudibus, ejuſdem diviniſſimi Cordis miſericordiam proſequamur.

COROLLA PRECATORIA

Ad honorem ſanctiſſimi Cordis Mariæ.

Continet hæc corolla globulos majores ſeptem, minores 33. *ſecundum numerum dolorum B. Virginis, & annorum quos cum Filio unigenito divina & ineffabili ſocietate vixit. Initium ſumit ab oratione ſequenti.*

Ani-

Digitized by Google

Anima Mariæ ſanctifica me.
Cor Mariæ amore Jeſu accende me.
Pedes Mariæ dirigite me.
Manus Mariæ ſuſcipite me.
Oculi Mariæ reſpicite me.
Aures Mariæ exaudite me.
Os Mariæ intercede pro me.
Corpus Mariæ purifica me.
Paſſio Mariæ conforta me.
O Maria exaudi me.
Intra tua viſcera admitte me.
Ne permittas me ſeparari a te.
Ab hoſte maligno defende me.
In hora mortis meæ protege me.
Et jube me venire ad te.
Ut cum Sanctis Dei Filii tui laudem te.
In ſæcula ſæculorum, Amen.

Ante quemlibet globulum majorem, dici debet.

Dulciſſima Maria, fac cor meum ſecundum Cor Jeſu.

Ad globulum quemlibet majorem dicitur ſalut. Angel.

Ave Maria, gratia plena, &c.

Ad globulos minores, dicitur.

Cor Mariæ immaculatum, amore Jeſu quo ardes inflamma cor noſtrum.

In fine recitatur Oratio ſequens.

Oratio.

Sanctiſſime Spiritus, qui omnia gratiæ tuæ chariſmata, in uno Mariæ Virginis Corde mirabiliter congregaſti, & illud divinitatis tuæ dignum habitaculum effe-

effeciſti: concede propitius, ut in illo ſanctiſſimo ac ſuaviſſimo ſponſæ tuæ Corde, tutiſſimum refugium, nunc & in hora mortis, invenire poſſimus. Per Dominum noſtrum.

PII AFFECTUS
AD COR JESU.

Cor Jeſu verbo Dei ſubſtantialiter unitum. Divino amore quo ardes, inflamma cor meum.

Cor Jeſu Dei majeſtate dignum. Divino amore quo ardes, inflamma cor meum.

Cor Jeſu Dei ſanctitate ſanctum.
Cor Jeſu Dei bonitate bonum.
Cor Jeſu adoratione Deo debita adorandum.
Cor Jeſu amore Deo digno amandum.
Cor Jeſu ineffabile.
Cor Jeſu incomprehenſibile.
Cor Jeſu Patris æterni templum digniſſimum.
Cor Jeſu verum ac proprium Spiritus Sancti habitaculum.
Cor Jeſu ſanctiſſimæ Trinitatis ſanctuarium.
Cor Jeſu charitatis æternæ digniſſima ſedes.
Cor Jeſu in quo habitat omnis plenitudo divinitatis.
Cor Jeſu in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ.
Cor Jeſu theſaurus nunquam deficiens.
Cor Jeſu dives in omnes qui invocant te.

Divino amore quo ardes, inflamma cor meum.

Cor

Cor Jeſu de cujus plenitudine omnes nos acce-
pimus.
Cor Jeſu pax & reconciliatio noſtra.
Cor Jeſu fons aquæ ſalientis in vitam æternam.
Cor Jeſu puteus aquarum viventium.
Cor Jeſu principium & origo virtutum omnium.
Cor Jeſu in quo ſibi Pater bene complacuit.
Cor Jeſu hoſtia vivens, ſancta, Deo placens.
Cor Jeſu propitiatio pro peccatis noſtris.
Cor Jeſu amaritudine repletum propter nos.
Cor Jeſu ſaturatum opprobriis.
Cor Jeſu attritum propter ſcelera noſtra.
Cor Jeſu uſque ad mortem Crucis obediens fa-
ctum.
Cor Jeſu lancea perforatum.
Cor Jeſu fons totius conſolationis.
Cor Jeſu ſolatium peregrinantis animæ.
Cor Jeſu refugium noſtrum in die tribulationis.
Cor Jeſu ſalus in te ſperantium.
Cor Jeſu ſpes in te morientium.
Cor Jeſu cultorum tuorum dulce præſidium.
Cor Jeſu deliciæ Sanctorum omnium.

Divino amore quo ardes, inflamma cor meum.

℣. Jeſu mitis & humilis corde. ℟. Fac cor meum ſecundum Cor tuum.

Oratio.

Domine Jeſu Chriſte, qui ineffabiles Cordis tui divitias, Eccleſiæ tuæ novo beneficio aperire dignatus es: concede, ut hujus ſacratiſſimi Cordis amori reſpondere, & injurias eidem afflictiſſimo Cordi ab in-

ingratis hominibus illatas, dignis obſequiis compenſare valeamus. Per eundem Dominum.

PII AFFECTUS
AD COR MARIÆ.

Cor Mariæ ab origine immaculatum. Amore Jeſu quo ardes accende cor meum.

Cor Mariæ gratia plenum. Amore Jeſu quo ardes accende cor meum.

Cor Mariæ inter omnia corda benedictum.

Cor Mariæ ſanctiſſimæ Trinitatis ſacrarium.

Cor Mariæ Cordi Jeſu ſimillimum.

Cor Mariæ in quo Jeſus ſibi bene complacuit.

Cor Mariæ humilitatis abyſſus.

Cor Mariæ ſedes miſericordiæ.

Cor Mariæ divini amoris incendium.

Cor Mariæ bonitatis Oceanus.

Cor Mariæ puritatis & innocentiæ miraculum.

Cor Mariæ ſpeculum omnium divinarum perfectionum.

Cor Mariæ primum omnium virginitatis voto conſecratum.

Cor Mariæ iu quo ſanguis Jeſu pretium Redemtionis noſtræ formatus eſt.

Cor Mariæ deſideriis tuis mundi ſalutem accelerans.

Cor Mariæ gratiam peccatoribus impetrans.

Cor Mariæ verba Jeſu ac geſta fideliſſime conſervans.

Amore Jeſu quo ardes accende cor meum.

Cor

Cor Mariæ doloris gladio transfixum.
Cor Mariæ in paſſione Chriſti afflictiſſimum.
Cor Mariæ Chriſto crucifixo cruci confixum.
Cor Mariæ mortuo Jeſu mœrore conſepultum.
Cor Mariæ Jeſu reſurgente, gaudio redivivum.
Cor Mariæ in aſcenſione Jeſu ineffabili dulcedine delibutum.
Cor Mariæ in deſcenſu Spiritus ſancti nova gratiarum plenitudine cumulatum.
Cor Mariæ conſolatio afflictorum.
Cor Mariæ peccatorum refugium.
Cor Mariæ cultorum tuorum ſpes ac dulce præſidium.
Cor Mariæ agonizantium auxilium.
Cor Mariæ Angelorum ac Sanctorum omnium jubilus.

Amore Jeſu quo ardes accende cor meum.

℣. Maria immaculata, mitiſſima & humillima.
℞. Fac cor meum ſecundum Cor Jeſu.

Oratio.

Clementiſſime Deus, qui ad peccatorum ſalutem miſerorumque perfugium, Cor ſanctiſſimum & immaculatum Mariæ, divino Cordi Filii ſui Jeſu Chriſti, charitate ac miſericordia ſimillimum eſſe voluiſti: concede, ut qui hujus dulciſſimi & amantiſſimi Cordis memoriam agimus, ejuſdem meritis, ſecundum Cor Jeſu inveniri mereamur. Per eundem Dominum.

Digitized by Google

ASPIRATIONES SACRÆ
(ad exemplum propoſitæ.)

Ad Cor ſanctiſſimum Jesu.

I.

O Cor diviniſſimum, ſuprema Angelorum & hominum adoratione digniſſimum, adoro te: laudo te: glorifico te. Fac, obteſtor, ut tua illa divina & infinita excellentia, animum meum, te illuminante perfundat, & debita admiratione defigat.

II.

O Cor amabiliſſimum, infinito amore dignum, amo te: toto cordis affectu complector te: deoſculor te: me tibi, obſecro, arctiſſime & inſeparabiliter conjunge.

III.

O Cor ſanctiſſimum, fons perennis ſanctitatis, virtutibus tuis cœleſtibus, terreſtre cor meum immuta, conſecra, ſanctifica.

IV.

O Cor gratiarum omnium theſaurus indeficiens, divinis tuis muneribus, miſerum & egentiſſimum cor meum ſubleva, dita, cumula.

V.

O Rex cordium, dominator legitime imo & unice omnium cordium, ſubjice imperio illo tuo divi-

vi-

Digitized by Google

viniſſimo ac ſuaviſſimo, etiam rebelle cor meum.

VI.

O Cor æternæ charitatis ſedes digniſſima, divino amore quo ardes inflamma cor meum.

VII.

O Cor Jeſu Patri æterno infinite gratum, me, tuis meritis, majeſtati ejus acceptum conſtitue: mea omnia tu perfice, atque divinis aſpectibus digna redde.

Ad Cor ſanctiſſimum MARIÆ.

I.

Cor Mariæ, Cordi Jeſu ſimillimum, fac cor meum ſecundum Cor Jeſu.

II.

Cor Mariæ, amore Jeſu ardentiſſimum, amore illo quo ardes incende cor meum.

III.

Cor Mariæ immaculatum, cordis mei maculas abſterge, eique puritatem tuam infunde.

IV.

O Cor dulciſſimum Matris meæ, eſto refugium meum in die tribulationis, & in hora mortis meæ. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE CULTU
SACROSANCTI CORDIS
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.
PARS II.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE VITA
VEN. MAT. MARGARITÆ MARIÆ ALACOQUE
Ordinis a Viſitatione B. V. Mariæ nuncupati,

Fundatore S. Franciſco Saleſio.

AD LECTOREM
MONITIO.

UT omnibus conſtare poſſit, ea quæ hîc de vita Ven. Matris Margaritæ Mariæ Alacoque atteximus, ipſius Margaritæ genuinum eſſe opus, de cujus veritate nemini vel minimum ſuboriri dubium poſſit, operæ pretium duximus, teſtimonium authenticum Sanctimonialium Monaſterii Parodienſis a Viſitatione B. M. V. prætermittere.

Illæ itaque dum ad nos Exemplum, manu unius ex ipſis, ex autographo deſcriptum tranſmiſerunt, hujus Exempli veritatem ac ſinceritatem in hunc modum teſtantur, adjectis ut fit ſubſcriptionibus, appoſitoque Monaſterii ſigillo.

Nos infraſcriptæ Superior, & Officiales Monaſterii Parodienſis a Viſitatione B. V. M. in comitatu Caroloenſi, totius Communitatis noſtræ nomine, certum facimus & atteſtamur, ſcripturam iſtam, verum

Digitized by Google

ac ſincerum eſſe exemplum, Vitæ Sororis noſtræ Margaritæ Mariæ Alacoque, ipſiuſmet manu conſcriptæ, cujus authographum in Monaſterio noſtro aſſervamus, ex quo Exemplum iſtud exſcripſimus. In cujus rei fidem omnes ſubſcripſimus die 20. Auguſti 1724.

Soror Anna Elizabeth de la Garde Marzac, Superior.
Soror Anna Alexia de Mareſchalle, Aſſiſtens.
Soror Maria Catharina du Chailloux, Conſiliaria.
Soror Joan. Fran. Chalon, Conſiliaria.
Soror Maria Helena Coing. Conſiliaria.

✠ *Locus Sigilli*.

Ipſa vero Superior in litteris ſeparatis ad nos eodem tempore Miſſis, hæc adjungit: En vitam Sororis noſtræ Margaritæ, fideliter ex autographo quod penes nos eſt, deſcriptam. Quod autographum jam munitum & inſignitum eſt ſubſcriptione, ac nota propria commiſſarii deputati ab Illuſtriſſ. DD. De Dromenil, tunc Auguſtodunenſi, nunc Virdunenſi Epiſcopo; necnon ab Illuſtriſſ. Epiſcopo Sueſſionenſi, tunc Vicario Generali, hujuſque Monaſterii Superiore. Qui ipſe Vicarius Generalis acta præparatoria, ad informationem juridicam de vita, moribus, & miraculis iſtius Dei famulæ requiſita, inſtruxerat. Hæc, vitæ ſuæ acta, pluries, jubentibus ipſius animæ rectoribus, conſcripſerat. Verum, illis Parodio abeuntibus, quæ ſcripſerat, flammis abſumebat. Iſtud vero Exemplum quod ſupereſt, ideo conſervatum habemus, quia juſſa eſt, ne conſumeret. Sed finitum

tum non eſt, quia priuſquam finiretur, abſceſſit animæ Rector a quo pendebat. Tunc vero illa ſcribere ceſſavit, opuſque imperfectum, quale habemus, reliquit.

Hæc de Exempli ad nos tranſmiſſi veritate.

Jam quod attinet ad translationis fidelitatem, ea approbatoribus hujus opuſculi examinanda tradita eſt. Noſque cum omni fiducia & aſſeveratione atteſtamur, ad verſionis ſinceritatem & accurationem nihil prorſus deſiderari poſſe.

Accipe nunc inſigne omnique fide ac reverentia digniſſimum teſtimonium Illuſtriſſimi Epiſcopi Sueſſionenſis (celebris illius in Gallia fidei ac Eccleſiæ defenſoris) de ejuſdem ven. Mat. Margaritæ vitæ Sanctimonia, in Epiſtola ſequenti contentum: ex qua etiam intelliges, quid doctiſſimus ac ſapientiſſimus Præſul de cultus ſanctiſſimi Cordis Jeſu præſtantia ſentiat.

EPISTOLA

Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Epiſcopi Sueſſionenſis ad Authorem hujuſce libelli ſcripta, de vitæ Sanctimonia venerab. Mat. Margaritæ Mariæ Alacoque, Ordinis Viſit. B. V. Mariæ.

JE benis Dieu, mon Reverend Pere, de ce que vous employez vôtre ſejour dans la Capitale du monde chrêtien à y faire	*DEum Opt. Max. laudo, Reverende Pater, quod in urbe chriſtiani orbis Capite dum hodie commoraris, operam tuam*

 con-

connoître la devotion au Cœur ſacré de Nôtre-Seigneur. J'eſtime cette devotion pour avoir vû de mes yeux, & touché pour ainſi dire au doigt les merveilles que Dieu a operé par elle & à ſon occaſion. Dans le tems que j'étois Grand Vicaire d'Autun reſidant à Moulins en Bourbonnois, j'étois en même tems Superieur particulier du Monaſtere des Filles de la Viſitation Sainte Marie établi à Paray le Monial en Charolois; & dans pluſieurs viſites que j'ai faites de ce Monaſtere j'ai eû occaſion d'y être inſtruit du merite, & de la reputation qu'a laiſſée la venerable Mere Marie Marguerite Alacoque Religieuſe de cette Maiſon, morte depuis pluſieurs années en odeur de ſainteté. C'eſt de cette Fille dont Dieu s'eſt ſervi pour inſpirer

confers, ad pietatem erga Sacroſanctum Cor Domini noſtri ibidem illuſtrandam. Ego certe hoc pium Religionis officium plurimi facio, quippe qui meis oculis vidi, ac pene manibus contrectavi quæ per illud & ejus cauſa, Deus mirabiliter operatus eſt. Nam quando Auguſtodunenſis Epiſcopi Vicarius fui, quum Molinis agerem, ſimul præeram Monaſterio Virginum quæ de Viſitatione Sanctæ Mariæ nuncupatur, poſito Parodii in comitatu Caroloenſi. Quumque illuc frequenter adire contigerit, copiam habui penitus cognoſcendi de venerabili Matre Maria Margarita Alacoque ejuſdem Monaſterii Sanctimoniali, quæ ibidem ante plures annos obierat magna cum laude Sanctitatis, quanta ſcilicet fuerit eminentia virtutis, & qualem de ſe opinionem reliquerit. Hæc

ſpirer la devotion au Cœur de Nôtre-Seigneur, & Elle l'a plus accreditée par ſes vertus & par les prodiges de ſa vie, que par ſes paroles. Ce qui m'a rendu plus facile à croire tout ce qui m'a été raconté d'Elle dans ce lieu, ç'a été la ſainteté éminente que j'ai trouvé dans les filles qu'elle avoit formée à la pieté, tandis qu'elle étoit Maîtreſſe des Novices de ce Couvent. J. C. nous dit qu'on connoît les arbres par les fruits: j'ai cru par ces fruits de ſainteté & de vertu juger de l'heroiſme de la pieté de celle qui avoit ſi bien appris aux autres à ſervir Dieu avec une ferveur admirable. J'ai vû en même tems qu'elle eſt la religion des peuples de ce pays-là pour la memoire de cette ſainte Fille, leur empreſſement à rechercher comme des Reliques precieuſes

autem illa eſt, cujus opera Deus uti voluit ad inſinuandam humanis cordibus pietatem erga Cor Jeſu; quæque hanc ipſam pietatem fecit multo quam verbis, virtutum ſuarum magnitudine, ac totius vitæ prodigiis celebratiorem. Et me quidem, ut iis quæ de hac virgine referri audiebam, haud ægre fidem haberem, præcipue movit ſpectata multarum virginum ſanctitas, quas illa informaverat ad pietatem, quum Novitiarum ibi curam gereret. Nam, affirmante Domino Jeſu Ccriſto, arbores ex fructibus cognoſci: ex iis Sanctimoniæ fructibus credidi poſſe certum judicium fieri de excellentia pietatis ejus, quæ alias docuerat eo charitatis ardore in Dei famulatu tam mirabiliter efferveſcere. Sed & illud eodem tempore perſpexi, quanta omnes in iiſdem locis,

cieuſes ce qui lui a appartenu, leur confiance en ſon interceſſion, leur concours à ſon tombeau. Ils lui rendroient volontiers les honneurs publics qu'on rend aux Saints canoniſez, ſi le Saint Siege leur en accordoit la permiſſion. Dieu favoriſe ſouvent leur pieté par des graces ſingulieres & miraculeuſes. Dans le tems que j'ai frequenté ce pays-là j'ai ouy raconter beaucoup de miracles operez par les merites de cette vertueuſe Fille: j'en ai vû pluſieurs aſſez bien circonſtanciez pour attirer la croyance: cependant je crus par prudence ne devoir pas me preſſer d'en examiner juridiquement la certitude. Mais il y en eut un ſi marqué, ſi éclatant, ſi ſubit, que je crûs devoir le verifier dans toutes les regles, afin qu'on put rendre

ejus ſanctæ Virginis memoriam, veneratione colant: quo ſtudio particulas quaſque rerum ad eam quoquomodo pertinentium, perinde ac cujuſpiam Beatorum lipſana undecumque conquirant: quantum fiduciæ ponant in ejus patrocinio; & qua demum ad tumulum ipſius frequentia confluant: procul dubio, ſi per Apoſtolicam Sedem liceret, honores debitos iis qui Sanctorum Catalogo inſcripti ſunt, eidem ſumma ſua voluntate delaturi. Et quidem huic tantæ pietati beneficia prorſus ſingularia, nec citra miraculum, non raro rependit Deus. Quandiu ibi frequens fui, multa ejuſmodi memorari miracula audiebam, quæ per ejus invocationem effecta dicebantur. quorum non pauca tot videbam inſignita notis, ut fidem mereri poſſent: nihilominus prudenter me facturum credidi, ſi de eorumdem certi-

Digitized by Google

rendre gloire à Dieu d'un tel prodige, s'il étoit tel qu'il me le fut mandé. Je laiſſai cependant paſſer ſix mois avant que de me tranſporter ſur les lieux, pour laiſſer aux eſprits le loiſir de ſe raſſoir, pour ainſi dire, & de meurir leur jugement ſur les apparences de ce miracle. Je me tranſportai enfin à Paroy, & apres un examen fait avec circonſpection & avec la ſage defiance, ſi j'oſe me ſervir de ce terme, qu'on doit apporter à ces ſortes de verifications, je trouvai le prodige ſi averé que je crûs devoir le conſtater par une procedure juridique. C'étoit une Religieuſe de la Maiſon reduite à l'extremité qui avoit été guerie ſubitement par l'impoſition d'une chemiſe qui avoit été depoſée ſur le tombeau de la venerable de-

tudine non continuò ex formula juris inquirerem. Sed demum quiddam contigit in hoc genere miraculorum tam inſigne ac luculentum, idemque tam repentinum, ut mihi viſum ſit, legitimam de illo quæſtionem inſtitui oportere: Quo, ſi quemadmodum referebatur factum eſſe conſtaret, debita authori Deo gloria rependeretur. Totos tamen ſex menſes locum ubi contigerat adire diſtuli, ut ſpatium darem iis, quorum mentes prima miraculi ſpecies pepulerat, confirmandi ſeſe, ſuumque de ea teſtimonium, ad quandam quaſi judicii maturitatem perducendi. Sed tandem Parodium profectus, quum quæſtionem habuiſſem quam accurate & (quod decet in ejuſmodi cauſis) cunctabundus ac pene diffidenter, prodigii veritas adeo ad liquidum perducta eſt, ut mei muneris eſſe duxerim, ſe-

funte

Digitized by Google

funte. Ce qu'il y avoit de remarquable dans cette gueriſon, c'eſt que la Religieuſe n'avoit conſenti à l'invocation de la venerable Mere Marie Marguerite, que par complaiſance, & elle l'avoit fait ſans foi, ſans confiance, ſans eſperance même de guerir, c'eſt ce qu'elle a declaré elle-même dans ſa depoſition. Elle avoit la moitié du corps paralitique : elle étoit agitée par des convulſions horribles : Elle étoit reduite à une foibleſſe ſi grande qu'on avoit peine à la tirer de ſon lit pour l'accommoder, & on n'oſoit le faire que tous les huit jours. Il y avoit ſix ſemaines que les Medecins laſſez ne lui faiſoient plus aucun remede. En moins de demie-heure cette fille paſſa de cet étrange état à une ſanté parfaite : elle

cundum eam juridicam ſententiam ferre. Res acciderat in una Sanctimonialium ejuſdem, quod ſupradixi, Monaſterii Parodienſis, quæ quum eſſet in extremis conſtituta, repente convaluit ſimul ac ei applicata fuit interula, quam antea ſuperpoſuerant tumulo vener. Margaritæ. In hac vero curatione præcipue notabatur (quod ſuo deinde juridico teſtimonio ægra confirmavit) ipſam nimirum non niſi ut morem aliis gereret, cum iis ad invocandam venerabilem matrem conſenſiſſe: & id nulla fide, atque omnino ſine fiducia & ſpe revaleſcendi. Porro genus ipſum ægritudinis ſic habebat. Corpus dimidia parte paraliſi diſſolutum, horrendæ convulſiones, ac imbecillitas tanta, ut ægram lecto movēre vel tantum ejus componendi cauſa, ſine magno illius incommodo non poſſent: atque ideo

ſe

ſe leva ſeule, s'habilla de même, marcha ſans bâton, & vint à l'Egliſe remercier Dieu. Tous ces faits ſont prouvez par la dépoſition juridique d'un nombre de témoins non ſuſpects : entre les autres ſont celles de trois Medecins & un Chirurgien qui tous avoient vûs la Religieuſe dans ſa maladie, & qui ſont convenus que ſa gueriſon étoit un miracle évident. Un d'entre eux declare dans ſa depoſition, qu'il étoit autrefois de la Religion P. R. & que nonobſtant ſon abjuration, il avoit conſervé beaucoup d'incredulité pour les miracles, mais que celui-ci lui paroiſſoit ſi clair & ſi marqué qu'il ne trouvoit pas lieu à le revoquer en doute.

Ce qui m'a été conté

nec frequentius auderent quam octava quaque die. Itaque Medici diu fruſtra fatigati, jam ſex totas hebdomadas nullum illi curationis genus adhibebant. Et Hæc tamen, ex rebus adeo comploratis, minus dimidio horæ revocata ad omnimodam valetudinem, ſuis illico viribus ſurgit, induitur ipſa per ſe, & ſine baculo ſuis ingreſſa pedibus in Eccleſiam pergit, debitas Deo gratias actura. Facta hæc ſingula comprobantur legitima teſtificatione multorum, quorum fides nemini ſuſpecta ſit. Inter hos præcipuum obtinent locum Chirurgus unus, & Medici tres, qui eamdem Sanctimonialem ægrotantem inviſerant, & qui unanimi conſenſu confirmarunt, curationem ipſius luculentum eſſe miraculum. Quidam etiam ex ipſis in ſuo teſtimonio fatetur, ſe olim ſectæ Calvinianæ fuiſſe, &

Digitized by Google

de la ſainteté heroique de la venerable Mere ce que j'ai leû de ſes lettres, de ſes memoires, & des monumens que ſes Superieurs ont laiſſé par écrit de ſes Vertus, m'a paru auſſi miraculeux & plus inſtructif que ces gueriſons prodigieuſes. C'eſt pourquoi craignant que le ſouvenir ne s'en perdît par le laps des tems, je crûs devoir faire une verification juridique de tous les monumens qui nous reſtoient de cette vertueuſe fille, & une enquête pareille de tout ce dont on pouvoit avoir une connoiſſance certaine. Dans le tems que je me preparois à faire cette procedure, je fus appellé à l'Evêché de Soiſſons: alors je fus obligé de commettre un autre à ma place, ſelon le pouvoir que j'en avois receu de Mon-

licet hanc ejuraverit, id tamen ex illa retinuiſſe, ut difficillime miraculis fidem habeat, affirmatque hoc ſibi viſum eſſe tam inſigne ac manifeſtum ut de eo nullam inveniret cauſam dubitandi.

Cæterum quæ mihi narrata ſunt de heroica ſanctitate vener. Matris Margaritæ, quæque legi tum in ipſius epiſtolis, ac commentariis, tum in monumentis, quæ de ejuſdem virtutibus moderatores ejus ſcripta reliquerant ea mihi viſa ſunt tantumdem admirationis, ac amplius utilitatis ad legentium inſtitutionem habere, quam prodigia curationum. Quocirca veritus, ne eorum memoria lapſu temporum interiret, quicquid adhuc ſupereſſet de tam egregiæ virginis monumentis, id ut publicis actis conſtet curandum cenſui: parique cura, publica inquirendum authoritate de omnibus, per quæ

Monſeig. l'Evêque d'Autun. Ce fut le Reverend Pere De Benſiere Prieur de la Maiſon de Paroy de la Congregation de Cluny qui fut chargé de cette commiſſion. Il s'en eſt acquitté avec zele & avec ſoin, & j'ai entre les mains copie du procez verbal qu'il a dreſſé, & des depoſitions des témoins la plûpart témoins oculaires, qui ſont un detail des vertus de cette ſainte fille, de ſes pratiques heroiques, des preuves de ſon humilité, des miracles que Dieu a fait à ſon occaſion, du Don de prophetie qu'elle paroît avoir eu, de la perſuaſion où eſt le public de ſa ſainteté & de la veneration qu'on a pour ſa memoire. Ce procez verbal me ſervira infiniment à aſſurer le recit de ſa vie, auquel j'avois

eadem notior fieri, ac plenius cognoſci poſſit. Verum quum ad hec accingerer, renunciatus Sueſſionenſium Epiſcopus, coactus ſum operæ meæ Vicarium quærere, cui, pro facultate ad id mihi conceſſa per Epiſcopum Auguſtodunenſem, acta illa conficiendi mandatum darem. Accepit autem R.P. De Benſiere Cluniacenſium Prior in domicilio Parodienſi, idemque ſtudioſe pariter ac diligenter executus eſt. Et jam præ manibus habeo Exemplum actorum quæ confecit, in quibus habentur teſtimonia multorum, qui ſuis ipſi oculis viderant, quæ teſtantur. Et hi ſunt qui virtutes vener. illius virginæxplicant ſingillatim, praxeſque heroicas recenſent, ac præſertim propriæ demiſſionis exempla; addunt & miracula, Donumque prophetiæ quo videtur illa minime caruiſſe. Poſtremo commune judicium de

deſſein il y a long-tems de travailler. Je l'avois même commencé, lorſque des beſoins plus preſſans de l'Egliſe m'ont obligé d'employer ma plume à d'autres choſes. Mais aujourd'hui que je crois avoir detruit toutes les foibles défenſes des Janſeniſtes, & avoir epuiſé toutes les matieres qui pouvoient être traitées utilement pour ſoutenir l'authorité ſainte de la Bulle *Unigenitus*, j'eſpere trouver bientôt du loiſir pour achever cette vie, qui ſervira beaucoup à l'edification des fideles. Ce ſera un grand bien pour eux de voir ce que Dieu a fait pour confirmer une devotion qui doit être chere à tous ceux qui ont un cœur capable d'eprouver & d'aimer ce que le Cœur de Jeſus-Chriſt a reſſenti de

ſanctitate ejuſdem, atque unà venerationem, quacum in hominum memoria floret. His ego actis, pluſquam dicere poſſum, juvabor ad vitam ejus enarrandam, cujus hiſtoriam dudum antea ſcribere meditabar; atque etiam cœperam, quum me præſentior Eccleſiæ neceſſitas ad aliam ſcribendi materiam avocavit. Nunc vero quando mihi jam videor, cuncta Janſeniſtarum propugnacula nihil habentia firmitatis evertiſſe, atque in medium protuliſſe quæcumque utiliter afferri poterant, ad aſſerendam ſacram Conſtitutionis Unigenitus *authoritatem: ſpero me brevi tantum otii habiturum, quantum ſit opus, ut, quod jam diu cogito, illius virginis vitam perficiam. Quæ quidem ad pietatem fidelium inflammandam non mediocriter proderit: nam inter cætera, magno ſuo bono cognoſcent, quam*

ten-

tendreſſe & de bonté pour nous.

Voila, mon Reverend Pere ce que j'ai crû devoir vous mander pour rendre gloire à Dieu, & hommage à la verité, en même tems que je repondois à vos demandes. Vous pouvez faire de ma lettre l'uſage que vous trouverez à propos, & la communiquer aux perſonnes à qui elle pourroit être utile. J'atteſterois juridiquement, s'il étoit neceſſaire, tout ce que j'ai eu l'honneur de vous dire touchant la ſervante de Dieu, dont vous voulez faire connoître le merite. Je ſuis, Mon Reverend Pere, Vôtre tres-humble & tres-obéiſſant ſerviteur,

✠ *J. Joſeph*
Evêque de Soiſſons.

Soiſſons ce 4. Avril 1724.

multa divinitus effecta ſint, ad confirmandum officium religionis erga Cor Jeſu. Quod certe acceptiſſimum eſſe debet iis omnibus quorum corda capacia ſunt excipiendi, amandique vim charitatis, quæ ſacrum Jeſu Chriſti Cor, ſui in nos amoris vehementia, colliqueſecit.

Hæc ſunt, R. Pater, quæ ad quæſtiones a te mihi propoſitas reſcribenda cenſui, ut gloriam Deo & veritati teſtimonium darem. Tu vero meis hiſce litteris uteris, ut voles, eaſque communicabis, quibus utiles fore judicaveris. Quantum enim in me eſt, paratus ſum, ſi opus fuerit, juridica etiam ratione hæc omnia teſtificari quæ ad te perſcripſi pertinentia ad hanc ancillam Dei, cujus tibi propoſitum eſt eminentiam oſtendere. Tuus humill. ac obſequentiſſ. ſervus.

✠ Joſephus *Ep. Sueſſionen.*

Sueſſionibus die 4. *April. an.* 1724.

EXEM-

EXEMPLUM MIRACULI Authentici Meritis venerab. Mat. Margaritæ Mariæ Alacoque a Deo impetratum, de quo in præcedenti Epiſtola mentio facta eſt.

Totius rei geſtæ acta integra, & ex formula juris authentica habemus præ manibus: ſed quia longiora ſunt, ut brevitati conſulamus, in pauca, quantum licuit, contrahenda cenſuimus.

Coram Nobis Joanne Joſepho Languet, Presbytero, Doctore & Socio Sorbonico, &c. Vicario Generali Illuſt. ac Rerend. D.D. Caroli Franciſci d'Hallencour de Dromenil Epiſcopi Auguſtodunenſis &c. Die 9. Auguſti anni 1713. in curſu Viſitationis noſtræ Monaſterii Sanctimonialium a Viſitatione B. V. M. in Civitate Parodienſi conſtituti, Præſentes fuere perſonaliter Venerabiles Mater Soror *Anna Elizabeth de la Garde*, dicti Monaſterii Superior. Soror *Franciſca Roſalia Verchere*, Aſſiſtens. Soror *Joanna Maria Comtois*. *Perona Rozalia de Farge*. *Anna Alexia Guinet de Marechalles*, ejuſdem Monaſterii Conſiliariæ, univerſam communitatem repræſentantes: Quæ nobis expoſuere, jam a viginti tribus circiter annis, Sororem Margaritam Mariam Alacoque hujuſce Monaſterii Sanctimonialem, mortem in hoc ipſo Monaſterio obiiſſe cum opinione eximiæ Sanctitatis, quippe quæ vitam in exercitio heroicarum virtutum tranſegerat: ita ut, dum adhuc viveret, illius Sanctimonia palam cognita, ac populi etiam ſuffragiis prædicata fuerit. Verum

rum poſt illius mortem, famam illam Sanctitatis longe fuiſſe illuſtriorem, ob gratias extraordinarias, ejuſdem interceſſione a Deo acceptas. Inter cæteras autem ejuſmodi gratias, Sororem Claudiam Angelicam de Moulins in dicto Monaſterio Chriſto conſecratam, annum agens vigeſimum, morbo quo laborabat ſanatam fuiſſe ratione quadam mirabili ac repentina .... quæ nonniſi evidenti miracnlo tribui poteſt... Quas ob cauſas a nobis ſupplices poſtulavere, ut teſtimonia jurata tam dictæ Sororis Claudiæ Angelicæ, quam Medicorum, aliarumque perſonarum, quibus morbi natura, ac modus ſanationis cognita ſunt, audire, auditaque in acta referre dignaremur.

Itaque Nos Vicarius Generalis, earum ſupplicationibus inclinati, elegimus in ſcribam Magiſt. Jacobum Godin, atque ad Examen Teſtium juratorum progreſſi ſumus.

Prima omnium comparuit Soror Claudia Angelica des Moulins, quæ poſt juramentum, de veritate dicenda, præſtitum, teſtata eſt: ſe die 18. Nov. anni 1712. repentinis acutiſque arreptam ac perculſam eſſe per duos dies Coli cruciatibus: Tum ſuperveniſſe ſibi in latus dextrum paralyſim tantam, ut nec uti brachio dextro aut ipſum movere, aut in crus inniti liceret: Totum corporis latus dextrum ita caruiſſe ſenſu, ut quamvis vellicata, punctaque ſæpius, nihil unquam perceperit: Toto trium menſium ſpatio decubuiſſe, dumque componendus eſſet lectulus, in alium fuiſſe aſportandam, quod toto illo tempore ſtare non poſſet etiam innixa bacu-

Digitized by Google

baculis, ac nec ſedere propter nervorum contractiones, & trepidationes, quæ afflicto in latere excitabantur. Vocatum Medicum nihil non tentaſſe, quo ſolatium ferret: non venæ parcitum inciſionibus, non medicinalibus cucurbitis, non vino vomitorio; ſed hæc omninò fruſtra. Medicos alios, Chirurgos, & Pharmacopolas adeo arte ſua & cura non mulſiſſe malum, ut potius ægreſcere medendo videretur. Octavo circiter die ab ineunte morbo, digitos manus contractos, & compreſſos invicem ſeſe in volam inflexiſſe; ita ut in priorem illos ac naturalem ſitum reſtituere magna vi non ſemel ac fruſtra tentatum fuerit: Dextri pedis articulos ſimiliter verſus calcem contractos eſſe: Audiviſſe ſe non ſemel Medicos dictitantes non adeſſe curationis ſpem, licet ſibi ægræ rem, ut erat, diſſimulare conarentur. Jam elapſum fuiſse menſem unum abſque adhibito ullo Medicinæ genere, quando ſanata eſt. Ex deſperata ſanatione motam eſse Sororem Peroniam Roſaliam de Farge in eodem Monaſterio Deo addictam, ut teſtificanti mentem injiceret venerabilis Sororis Mariæ Margaritæ Alacoque opem implorandi; ad quod teſtificans ipſa minime propendebat: Inductam nihilominus fuiſse, conſilio dictæ Sororis, ad preces novendiales cum eadem incipiendas, quibus dictæ venerabilis defunctæ opem apud Deum comprecaretur pro recuperanda valetudine: In eum finem recitaſse orationem quamdam cum ſubjectis ſibi aliquot precibus; & quidem, ut fatetur ipſa, nihil ex ope illa ſperando pro ſanatione, quippe quæ fidem abrogaret

garet

garet miraculis, quæ vulgo narrantur, & fabulas plerumque exiſtimaret. Horis ſerotinis hujus diei, qua ad memoratas preces inducta eſt, nempe 17. Februarii illius anni, allatam ſibi fuiſse ſubuculam, quæ feretrum contigerat, ubi venerabilis Sororis Oſsa aſservantur in dicti Monaſterii conditorio. Allatam ſubuculam a Sorore Peronia Roſalia ſe noluiſse induere, ſed diſtuliſse in craſtinum, quod nec fidem, nec ſpem in venerabili Sorore reponeret: Attamen paſſam eſſe, ut ad pedem afflictum ſuum admoverentur ejuſdem Vener. Sororis ſacræ quædam Reliquiæ; id quod ex fide minus, quam ut aliarum obſequeretur voluntati factum eſt: Sequentem noctem, præter ſolitum, tranſegiſſe inquietam, ſomnō ſæpius intermiſſo; ita ut continuis vix horæ aliquot quadrantibus quietem ceperit: In ſomnis vero ſibi viſum eſſe induere ſubuculam, & ex eo ſaneſcere: Sæpius idem eadem nocte recurriſſe ſomnium, ſeu fere quoties ſomnus recurreret. Quum autem ſomnia hæc fiduciam excitaſſent, qua carebat ante; ubi primum adfuere Sorores, quæ valetudinario, in quo degebat, præpoſitæ erant, rogaviſſe enixe præberi ſibi ſubuculam pridie allatam: Quam quum accepiſſet a Sorore Maria Virginea de Martiniere, altera ex valetudinario præpoſitis, eademque juvante induiſſet, quieti ſe iterum tradidiſſe, ac poſt horæ quadrantem frigoris aliquid ſenſiſſe in manibus, paulo poſt, tremorem in membris omnibus Paralyſi laborantibus, ac ſuavem denique calorem; ex quibus valere ſe conjecit. Eventum ut mirata eſt, & gratam ſe Deo præbere voluit, flectere genua tentaſſe

Digitized by Google

ſuper lectulum, innixam brachio prius inerti, & manu cujus digiti ſitum ſuum connaturalem reſumſerant; ſed quum genu nequiret inniti, recubuiſſe; nec niſi poſt horæ quadrantem ullum tentaſſe motum, orta enim ex principio ſanationis turbatio cogitationem omnem abſtulerat, donec poſt horæ quadrantem accedens Soror Maria Chriſtina de Morande, ut ægræ aſſideret ac ſerviret, rogavit quaſi per jocum num ſanata fuiſſet, quippe quæ fiduciâ & ipſa carebat: Tum teſtificantem fidenter reſpondiſſe, utique ſana facta ſum; & oſtendiſſe manum qua libere utebatur: Commotam vero rei novitate Sororem feſtine adiiſſe antiſtitam, ut moneret quod contigerat. Interea teſtificantem, quum remanſiſſet ſola, e lecto ſurgere, veſteſque induere ſuas cogitaſſe, id quod ſine cujuſpiam opera facile præſtitit, pede ſcilicet in proprium ſitum reducto, quin advertiſſet uti ita factum erat. Audito miraculo accurriſſe Antiſtitam cum multis Sororibus; & ipſam veſtes, uti cœperat, induere, ſolam ſine fulmento incedere perrexiſſe, Chorum adiiſſe, in crure tantum recens ſanato imbecillitatis aliquid expertam, quum per ſcalas deſcenderet, ideoque Sororis unius uſam auxilio; At reliquo diei illius tempore multum inceſſiſſe pergentem quocumque vocaretur, idque libere ac ſine adminiculo. Quum tamen ſupereſſet difficultatis aliquid in flectendo genu quando per ſcalas aſcendebat, deſcendebatque, aut ſe provolvebat ad orandum, optaſſe, ut pro impetranda reliquæ hujus infirmitatis liberatione, ſacrum de paſſione quinquies fieret in honorem ſacri Jeſu Chriſti Cordis, cujus cul-

tus

Digitized by Google

tus per venerabilem Sororem Margaritam Mariam Alacoque inductus ac promotus eſt: Facienda illa quamprimum, ſuſcepiſſe Sacerdotem, & diſtuliſſe tamen ad dies 15. per quos teſtificans ſolitam infirmitatem paſſa eſt: Incœpto tandem primo, de quinque, ſacro, non leve ſolatium ſenſiſſe, ac poſt duos treſve dies ita convaluiſſe prorſus, ut nihil infirmitatis reliquum fuerit. Ab eo tempore ad hodiernum uſque diem incedere ſe, ambulare, aſcendere, deſcendere, ac cuicumque arduo operi liceret, ut antea, vacare. Quum ſæpius res, multæ operæ & laboris, ſuſceperit, ut de ſanatione ſua conſtaret, ſibi compertum fieri repentinam adeo curationem Dei omnipotentis eſſe miraculum, quod Venerabili Margaritæ Mariæ acceptum refert. Se juxta conſcientiæ teſtimonium, juxtaque veritatem ita teſtari apud nos, ſicut ſi proxime ſiſtenda foret, apud Deum teſtaretur.

Lectis his coram ipſa teſtificante, vera illa eſſe confirmavit; adjecitque dum ſanationis tempore, tremorem ac ſuavem calorem ſenſit, tunc nec ſudorem, nec convulſionem, aut dolorem adfuiſſe... ac nobiſcum, & cum ſcriba noſtro nomen ſuum propria manu ſubſcripſit ut ſequitur: *Soror Claudia Angelica de Moulins. Abbas Languet. J. Godin.*

In iiſdem actis poſtea referuntur plurima teſtimonia tum Cappellani Monaſterii, tum Sanctimonialium rei geſtæ teſtium oculatarum, eamdem ſanationem miraculi plenam reſpicientia, quæ nos brevitati ergo prætermittimus, contenti tria dumtaxat teſtimonia in hacce cauſa eſ-

ſen-

ſentialia, duorum videlicet Medicorum, uniuſque Chirurgi perſtringere.

Hi tres poſtquam morbi (quo Monialis, de qua in teſtimonio mox adducto dictum eſt, tenebatur) naturam ſymptomata, effectus, cæteraque adjuncta, ut ſolent, deſcripſerunt, & explicarunt. In hunc modum teſtimonium jurati concludunt.

D. Guill. Billet, in Academia Monſpeſſulana Medicinæ Doctor... affirmavit minime dubitare ſe quin hæc ſanatio verum ſit miraculum, quanquam ex naturali animi propenſione difficile adducatur, ut aliquid miraculo fieri credat, perſuaſus nimirum ejuſmodi gratias rariſſime a Deo concedi.

D. Franciſc. Thovant in Academia Monſpeſſul. Medicinæ Doctor ... Quum nullatenus poſſit tam ſubitam morbi prædicti ſanationem ulli cauſæ naturali attribuere, cogitur ut fateatur, Miraculo a Dei omnipotentia factam eſſe: neque ſuper ea re ullum animo ſuo dubium hæret. Quod religioſe ſecundum conſcientiam ſuam affirmat & teſtatur.

D. Abel Gabriel Decamps Chirurgus inter peritos juratos cooptatus... minime dubitat, quin ſanatio adeo contraria tum experientiæ, tum curſui talium morborum ordinario, verum ſit miraculum. Sola autem veritatis evidentia coactum, adduci ſe potuiſſe ait, ut id affirmaret: addens ſuum in ea re teſtimonium, eo gravius eſſe debere, quod in Calviniana hæreſi olim educatus, vi antiquorum præjudiciorum, animo magis alieno ſit ad fidem miraculis adhibendam.

EXEM-

Digitized by Google



Carolus Natoyr inv. Petrus Mariny ſculp.

EXEMPLUM

Fideliter exſcriptum ex iis, quæ juſſu patris ſui ſpiritualis ſcripſit de vita ſua vener. Mater Margarita Alacoque ordinis B. V. Mariæ a Viſitatione nuncupati.

Mirabitur fortaſſe Lector, in hujuſce ſcripti translatione, ſtili negligentiam: verum ſcire debet, id conſulto a fidiſſimo interprete factum eſſe; qui religioni ducens, exemplum exhibere ab autographo vel in re leviſſima diſcrepans, ſcrupuloſius forte adhæſit verbis ac locutioni iſtius ſervæ Dei: quæ ſic loqui incipit.

I. *Scribere incipit obedientia cogente.*

TUi igitur unius intuitu, O mi Deus, hæc ſcribendi onus ab obedientia mihi impoſitum ſubeo, veniam petens, quod ab eo abhorrentem me præbuerim. Verum, ut tibi compertum eſt uni, quam graviter ab hoc onere ſuſcipiendo abhorream: ita tu potes unus mihi robur impertiri,

Digitized by Google

ut hac in re me ipſa vincam, quum hoc obedientiæ præſcriptum acceperim, tanquam a te profectum, qui hoc ipſo pœnas a me repetere voluiſti nimiarum, quas adhibueram, cautionum; ut ſatisfacerem gravi illi, quam ſemper experta ſum, animi propenſioni, ad meipſam in perpetua rerum creatarum oblivione ſepeliendam. Et quodam die quum promiſſa elicuiſſem ab iis, qui meo huic deſiderio obſecundare poterant; quumque ea omnia, quæ, facta per obedientiam poteſtate, ſcripſeram, igne abſumſiſſem, ea, quæ ſequuntur, ſcribere juſſa ſum. Fac, O ſummum bonum meum, ut nihil ſcribam, niſi quod ad majorem tui gloriam ſpectet, mihique graviſſimum meimet pudorem incutiat.

II. *Prima pueritia.* Quantum tibi debeo, O mi amor unice, quod me a prima pueritia præveneris, non ſecus ac Dominus & poſſeſſor Cor meum occupans; quamvis tibi reſtituram cognoſceres. Ut primum me ipſa cognoſcere per ætatem potui, peccati deformitatem oſtendiſti animæ meæ, ex quo tantus illius horror infixus eſt cordi meo, ut vel minima labes mihi inſtar eſſet intolerabilis ſupplicii, & ad præfervidam infantiæ indolem in me compeſcendam, ſat erat dixiſſe, offenſum iri Deum. Hæc vox vel incitatam me ſubſtinebat in lubrico, & ab eo, quod facere cupiebam, retrahebat. Aſſidue urgeri me ſentiebam ad has voces proferendas, quid rei hoc eſſet ignara: O mi Deus, voveo perpetuam tibi caſtitatem, meamque puritatem tibi conſecro. Haſque ipſas voces aliquando protuli intra illud temporis ſpatium, quod

quod interfluit inter utramque actionem ſacram, qua Sacerdos & Hoſtiam & Sanguinem ſacroſanctum populo ad venerationem exhibet in Miſſæ ſacrificio, cui ſolebam intereſſe nudis nixa genibus, quantumcumque frigus ſæviret. Nec magis vim hujus vocis (voveo) quam hujus alterius (caſtitas) animo percipiebam. At eo tantum mens mea ferebatur, ut in alicujus ſilvæ receſſum me abderem, quod ne fieret obſtabat nihil, niſi quod timerem ne illic in homines aliquos incurrerem.

III. *Patrocinium B. Virginis.*

Beata V. Maria maximam mei curam ſemper geſſit. Ad eam in quovis diſcrimine, tanquam ad ſolemne perfugium meum adibam, ejuſque ope graviſſima pericula effugi. Ad Filium ejus Chriſtum Dominum recta pergere non audebam; ſed ad ipſam ſanctiſſimam Matrem me conferebam ſemper, cui roſarii coronam offerebam nudis genibus humi poſitis, aut toties flexo genu cum terræ oſculo, quoties *Ave Maria* pronuntiarem.

IV. *Patre orbatur.*

Patre orbata ſum adhuc puellula, & quum nulla domi, præter me, proles eſſet, niſi maſcula, quumque mea mater liberorum ſuorum, qui omnino quinque erant, tutrix facta, raro admodum ſe contineret domi; hinc factum eſt, ut ad annum uſque ætatis octavum circiter cum dimidio a famulis & ruſticanis educarer. Deinde tradita ſum educanda religioſis cujuſdam Monaſterii virginibus, ubi ad ſacram Euchariſtiam ſuſcipiendam promota ſum circa annum ætatis nonum. Hæcque Corporis Chriſti communio pue- *Primæ Communionis effectus.* rilia gaudia omnia, animique oblectamenta uſque

 adeo

adeo amara mihi effecit, ut jam nullum eſſet, quod non faſtidirem, eorum licet conquirendorum avidiſſima. Verum quoties una cum puellis æqualibus meis aliquid voluptatis capere parabam, toties ſenſus aliquis intimus inde me retrahebat; & in aliquem domus angulum ſevocatam non ante patiebatur quietam eſſe, quam ſibi obſecuta eſſem; ac deinde me impellebat ad orandum non aliter ferme quam humi proſtratam, aut nudis nixam genibus, aut genu ſubinde flectentem; dummodo tamen nullus eſt teſtis: at mihi incredibile quoddam ſupplicii genus accidebat quum ab aliquo forte deprehenderer.

V. *Vitæ religioſæ ſtudium.* Magno ſtudio incendebar ea faciendi quæ a virginibus illis Deo dicatis fieri videbam, quum omnes, meo judicio, ſanctæ eſſent, & putabam, ſi religioſam vitam amplecterer, ſanctam me non ſecus ac illas factum iri. Hæc cogitatio tantum in me accendit religioſæ vitæ deſiderium, ut nihil ſpirarem aliud. Quanquam non ea ſolitudine, quæ meo deſiderio ſatis eſſet, adſtrictæ mihi videbantur illæ, quibuſcum degebam religioſæ virgines. At quod nullas alias cognoſcerem, ipſarum inſtitutum mihi amplectendum eſſe arbitrabar.

VI. *Gravi morbo tentatur, quo, facta Deo promiſſione, liberatur.* Verum morbo correpta fui tam gravi, ut totum circiter quadriennium non ambulaverim, ac vix oſſibus mea pellis hæreret. Quam ob cauſam duos tantum annos in hoc monaſterio relicta fui: nec meo morbo medicinam aliter invenire licuit, quam concepto erga beatam Virginem voto, ſi mihi ipſa ſani-

Digitized by Google

nitatem redderet, in ejus filiarum numerum aliquando me adſcriptum iri. Quod votum vix emiſeram, quum ſanitatem adepta ſum, ſimulque novam protectionem beatiſſimæ Virginis, quæ me habens pro ſua, tanto cum imperio domina facta eſt cordis mei, ut me tanquam ſibi dedicatam gubernaret, ea quæ peccabam redarguens, & Dei mei voluntatem facere me docens: ac mihi inter recitandum roſarium noſtrum aliquando ſedenti obtulit illa ſeſe beatiſſima Mater, & objurgationem adhibuit in hæc verba, quæ nulla unquam oblivio delevit ex animo meo, licet admodum tenera tunc ætate eſſem: *Miror, mea filia, quod mihi tam negligenter ſervias*. Hæc verba tam graviter affecerunt animum meum, ut in omne vitæ tempus mihi profuerint. Confirmata ex morbo, animum prorſus contuli, ad quærendam in deguſtando libertatis fructu oblectationem: de eo, quod promiſeram, præſtando parum ſollicita. At illud, O mi Deus, tunc neſciebam, quod mihi deinde compertum plane feciſti; poſtquam ſcilicet tuum ſacratiſſimum Cor tantis cum doloribus in Calvariæ monte me peperiſſet, vitam illic a te mihi datam non alio ſuſtentari poſſe, quam Crucis alimento, quæ mihi pro delicatiſſimo ferculo futura eſſet. Quod quomodo contigerit jam narrabo.

VII. *Vanis oblectationibus dum indulgere vult, afflictione revocatur.*

Ut primum recuperatæ valetudinis fructus guſtavi, converti me ad vanitatem & creatarum rerum amorem; mihimet blandiens falſoque perſuadens, tenerum erga me matris & fratrum meorum ani-

mum liberam mihi poteſtatem facere levia mihi nonnulla oblectamenta comparandi, captando, quantum liberet, otio. Mihi plane monſtraſti, O mi Deus, longe me a meis rationibus abeſſe, quas mecum ipſa ſubduxeram, juxta eam, qua ad voluptatem trahebar, nativam animi propenſionem; non vero juxta placitum conſiliorum tuorum, quæ a meis longe aliena reperi. Quum enim mea mater, eam, quam domi habebat, autoriratem exuiſſet, & in alios quoſdam tranſtuliſſet, tantum exinde in nos imperii ſibi arrogarunt, ut nec ego nec illa duriorem unquam ſervitutem expertæ fuerimus. Non hæc eo ſcriptura ſum, quo velim haſce perſonas carpere; aut judicare, eas mihi moleſtiam exhibendo peccaſſe: noli ſinere, mi Deus, ut hæreat hæc in me cogitatio, ſed fac, ut in eas tantum intuear, tanquam in inſtrumenta, quibus ad tuam ſanctam exequendam voluntatem uſus es. Jam ergo nulla penes nos erat relicta poteſtas domi, nec facere quidquam, illorum hominum injuſſu audebamus. Bellum erat aſſiduum, & omnia tam arcte clavi ſervabantur, ut ne congrua quidem indumenta reperirem, quibus operta pergerem ad ſanctum Miſſæ ſacrificium, niſi & calanticas & veſtes alicunde mutuas ſumerem. Tum vero ſentire cœpi, quam gravi premerer jugo ſervitutis, cui me quidem ita totam mancipabam, ut nec domo exirem, nec facerem quidquam, niſi obtenta a tribus facultate. Ex eo tempore omnes affectus mei in id converſi ſunt, ut ſolatium omne meum, voluptatem

omnem

Digitized by Google

omnem in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento quærerem. Verum, quum in pago degerem procul ab æde ſacra poſito, illuc ire non poteram, niſi tribus illis perſonis annuentibus, fiebatque ut alia facultatem concedente negaret alia; ex qua repulſa conceptum dolorem quum ſæpe teſtarer lacrymis, increpabar eo nomine, quaſi voluiſſem ad condictum locum ac tempus, juvenem aliquem adire, cujus blanditiis carere me ægre ferrem, audiendæ Miſſæ aut ſanctiſſimi Sacramenti benedictionis accipiendæ deſiderium obtendens. Ego vero mihi conſcia cordis mei, quod ita ab his, quæ mihi exprobrabantur, abhorrebat, ut corpus meum millies in fruſta diſcerpi facilius, quam mihi tales cogitationes injici, paſſura fuiſſem: non habens tunc aliud perfugium, quam aliquem domus hortive, aut ſtabuli ſecretiorem locum, ubi poſitis humi genibus cor meum per lacrymas coram Deo meo effundere mihi liceret, implorata piæ Matris meæ beatiſſimæ Virginis ope, in qua repoſitam ſpem omnem habebam: illic dies integros exigebam, omni cibo prorſus, ac potu abſtinens. Hoc vero poſtremum mihi familiare erat; & nonnunquam ruſticani pauperculi paulum lactis, aut fructuum ſub veſperam, commiſerationis ſenſu ducti mihi porrigebant. Ac deinde quum repeterem domum, tantus me timor invadebat, tanta trepidatio, ut mihi ipſa viderer non alia eſſe, quam criminis alicujus rea, cui ſententia audienda eſſet ſuæ damnationis: et me feliciorem arbitrata eſſem, ſi emendicato pane veſcendum, quam ſi in his anguſtiis vivendum

dum

Digitized by Google

dum foret; quum ſæpe ne panem quidem ſumere e menſa auderem. Nam ex quo pedem referebam domum, gravius mihi bellum denuntiabatur, quod curam omiſiſſem familiæ, reique domeſticæ harum dilectarum perſonarum de quibus dixi, tam beneficarum animæ meæ: & ne verbi quidem unius proferendi poteſtate facta, domeſticas operas una cum famulis peragebam; quibus expletis noctes agebam, non ſecus ac diem exegeram fundendis lacrymis coram imagine Domini mei crucifixi, qui oſtendit mihi, haud perſpicienti tamen quid ageret, ſe velle cor meum in ſuam penitus poteſtatem redigere; & velle ſe illud in omnibus efficere vitæ ſuæ patienti conſentaneum; ideoque velle ſe præſentem ſe ſiſtere animæ meæ, ut me induceret ad agendum eo modo, quo agebat ipſe in mediis illis duriſſimis cruciatibus, quos mihi ex amore mei ſe pertuliſſe monſtrabat: quæ cogitatio ex eo tempore tam alte deſcendit in animum meum, ut dolores meos ne temporis quidem puncto intermitti optaſſem.

VIII. *Chriſti patientis aſſidua præſentia.*

Exinde enim Dominus mihi aſſidue præſens aderat, aut Crucifixi imaginem, aut illam quæ *Ecce homo* inſcribitur effigiem referens, ſuamque crucem bajulans; quod mihi tantum impreſſit commiſerationis ſenſum, tantumque ærumnarum amorem, ut quicquid paterer, leve mihi videri cœperit, præ illo, quo ardebam, patiendi deſiderio, ut meo Jeſu patienti quam ſimillima efficerer: ac mœrebam, quod manus illæ, quæ ad me percutiendam aliquando attolle-

Digitized by Google

lebantur, ſuſtinerentur in ipſo ſuo impetu, & ſuam in me aſperitatem omnem non effunderent. Equidem aſſiduo urgebar ſtudio cujuſvis obſequii, officiique exhibendi erga veros illos amicos animæ meæ, quæ pro illis ultro victimam ſe feciſſet, quum mihi nihil eſſet jucundius, quam illis benefacere, & de illis quicquid boni poteram dicere. Verum mihi nihil adſcribendum eſt eorum, quæ tunc a me facta nunc ſcribo, & repugnante admodum natura ſcribam; ſed ſupremo domino meo, qui meam voluntatem prorſus occupaverat, & per quem mihi ne licebat quidem querelam, aut murmur edere, nec levem commotionis ſenſum adverſus illas perſonas admittere. Imo non patiebatur dominus meus, ut ſinerem vicem meam doleri, nonnullave commiſerationis ſignificatione levari, dicebatque ſe hujus patientiæ exemplum dediſſe, & volebat, ut ſiquando non poſſem efficere, ne quis ea de re apud me verba faceret, excuſarem illos, & culpam in me contra reſidere dicerem: quum peccatis meis (quod vere ita ſe habet) longe graviora deberentur.

Verum in illa ſumma vi, quam patior hiſce ſcribendis, quæ ſemper ſilentio obvolveram, tanta cura tantiſque cautionibus adhibitis, ne in poſterum evulgarentur; conata etiam omnem horum imaginem e memoria mea expungere, id totum relinquendo in amantiſſimi Domini mei memoria, apud ipſum de hac mea, quam ſentio repugnantem & adverſantem, natura conqueſta ſum; verum hoc ejus reſponſum audivi: IX.

Nova in bis ſcribendis repugnantia, porro ut pergat Chriſtus jubet.

perge filia mea, perge, renitaris ne, an non, nihil intereſt ad voluntatem meam, quam impleri omnino oportet. Atenim, quí poſſim, O mi Deus, in eorum redire memoriam, quæ ex quo geſta ſunt, anni jam fluxere plus viginti quinque? an neſcis patris mei cœleſtis æternam me eſſe memoriam, ex qua nihil unquam excidit, & in qua tum præteritum, tum futurum perinde ſunt ac præſens? Omni igitur abjecto timore ſcribe quicquid ego tibi dictabo, pollicitus gratiæ meæ, qua perfundatur, unctionem, ut hinc major in me gloria redundet. Primum id a te fieri volo ad oſtendendum tibi, me ludere in iis fruſtrandis curis, ac cautionibus, quas a te adhiberi paſſus ſum, ut occultares affluentes gratiarum divitias, quas in pauperculam, qualis es tu, & abjectam famulam meam effundere mihi complacitum fuit; quarum gratiarum recordationem intermittere nunquam debes, ut illarum aſſiduas mihi grates referas. Deinde id a te fieri volo, ut docearis has tibi gratias adſcribere te non debere, nec parcam eſſe illarum cum aliis communicandarum; quandoquidem volui, ut mihi cor tuum canalis vice fungeretur, per quem hæc dona cœleſtia, juxta propoſitum meum, in animas transfunderem, quarum multæ, hocce beneficio, e perditionis barathro revocabuntur, ut tibi poſthac oſtendam. Tertia eſt cauſa cur id a te fieri volo, ut ſcilicet notum faciam me eſſe veritatem æternam, nec poſſe mentiri, in promiſſiſque ſervandis fidelem eſſe, ac gratias, quas tibi contuli, cujuſvis examinis & proba-

bationis patientes eſſe. Quibus auditis vocibus, tantum mihi roboris acceſſiſſe ſenſi, ut magno licet timore angar, ne cujuſvis in oculos hæc ſcripta incurrant, cœptum tamen ſcribendi laborem, quovis meo incommodo, perſequi deliberatum mihi ſit atque decretum, ut ſupremi Domini mei voluntas impleatur.

X. *Ex Matris afflictione & ægritudine, dolore acerbo tangitur.*

Erat illa mihi crux una ex omnibus graviſſima, quod matris meæ cruces allevare non poſſem, quas ferre multo mihi gravius erat, quam meas; quanquam id ipſi non afferebam ſolatii, ut vel unum ea de re verbum apud me facere poſſet, ne ea voluptate, quam inter colloquendum de noſtris incommodis, animo caperemus, Deus offenderetur. Tum vero quum illa morbis conflictaretur, ſummo afficiebar dolore; levibus enim, quæ poteram præbere, obſequiis & curis prorſus relicta, non parum capiebat incommodi; ex eo quod obſerata omnia reperienti mihi, neceſſe erat vel ipſa ova, & alia id genus ægrotantibus neceſſaria emendicare: qui cruciatus erat non levis ingenio meo timido. Huc accedebat, quod agerem cum ruſticanis, qui plura me docebant, quam audire voluiſſem. Et quum aliquando illius capiti eryſipelas ſuccreviſſet in horrendum tumorem, ruborem, ac duritiem, cui medicina facta eſt nulla, niſi quod illi e vena ſanguis emiſſus per vulgarem, qui illac tranſibat, e pago quodam chirurgum; is mihi dixit, non poſſe illam, niſi miraculum interveniret, ex hoc morbo emergere, mea unius ope & cura: nec ha-

Digitized by Google

bebám ad quem confugerem aut adirem, niſi conſuetum aſylum meum Beatiſſimam Virginem, & ſupremum Dominum meum, apud quem unum conquerebar, ut aſſiduas quibus mergebar ærumnas lenirem; inter quas, quum aliud acciperem nihil, quam irriſiones, accuſationes, & injurias, neſciebam quid perfugii quærerem. Quum igitur ad ſanctiſſimum Miſſæ ſacrificium perrexiſſem ſacro Dominicæ Circumciſioni die Dominum rogatura, ut ipſe per ſeſe medicus, & medicina eſſet languenti matri meæ, meque quid mihi facto opus eſſet, doceret; tanta id clementia præſtitit, ut domum reverſa genam matris apertam, & hiantem repererim quantum vola patet in latitudinem, idque intolerabili cum fœtore, ut nemo propius accedere ſuſtineret. Curare vulnera neſciebam, eorumque ne aſpectum quidem aut contactum ferre poteram, antequam huic curando manus adhibui, omnibus aliis deſtituta, præterquam divinæ providentiæ medicamentis. Ex eo vulnere multas carnes putridas quotidie reſecabam: verum tanto animi robore confirmari me ſentiebam, tantaque fiducia in bonitate ſupremi Domini mei, quem ſemper animo præſentem meo, intueri mihi videbar, ut denique brevi temporis ſpatio, præter omnem humanæ ſpei probabilitatem, mater mea ſanitati reddita fuerit: toto autem morborum illorum tempore lecto ferme & ſomno abſtinebam, nec alimento utebar niſi exiguo, dies totos ſæpe abſque omni cibo peragens: at me ſolabatur Dominus ac magiſter meus, & perfecta meæ

vo-

Digitized by Google

voluntatis ad ſuam ſanctam voluntatem accommodatione reficiebat; quum eorum omnium, quæ mihi acciderent, unum illum authorem agnoſcerem, ſicque alloquerer: O ſupreme Domine mi, niſi tu velles, id minime accideret; ſed tibi gratias ago, quod ita fieri permittas, ut me tibi ſimilem efficias.

Inter hæc omnia tanto impetu ad orationem trahi me ſentiebam, ut multum animo angerer, quod neque ſcirem, neque poſſem addiſcere quo pacto orandum eſſet, omnibus plane carens hominum ſpiritualium colloquiis. Atque de oratione unum erat quod ſcirem, nempe illud ipſum orationis nomen, quæ vox mira quadam dulcedine cor meum ad ſe alliciebat. Implorata ope divini magiſtri mei, ab ipſo didici quem modum a me in orando teneri cuperet; quod mihi in omne vitæ meæ tempus utile fuit. Ad ſuos pedes provolvi me jubebat cum intimo proprii nihili ſenſu, ad poſcendam ab ipſo veniam eorum omnium, quæcumque adverſus ipſum peccaveram; tum præmiſſa divini illius Numinis adoratione, meam illi orationem offerebam, quomodo ad illam peragendam progrediendum eſſet neſcia. Deinde ſe ipſe mihi exhibebat præſentem in illo myſterio, in quo conſiderari a me volebat; meamque mentem ſic occupabat, meas omnes potentias in ſeipſo abſorptas tenens, ut nullam animi evagationem paterer; at illius amandi ſtudio cor meum conſumi ſe ſentiret: quod me inſatiabili afficiebat deſiderio, & ſacram Euchariſtiam accipiendi, & adverſa patiendi. Verum quomodo huic

XI. *Orationis ei ſtudium infunditur.*

Digitized by Google

orationi neceſſarium tempus reperirem neſciebam; quum aliud mihi non ſuppeteret quam nocturnum, ex quo quantum poteram ſpatii ſuffurabar. Et quamvis hæc occupatio mihi delicias afferret ſupra quam verbis exprimere poſſum ſuaves, hanc pro oratione non habebam, aſſidueque ad orationis exercitium urgeri me ſentiebam: pollicebarque Domino, ut primum orare me docuiſſet, in eo opere quicquid mihi liceret temporis me collocaturam. Nihilominus ipſius Domini bonitas, in ea, quam dixi, animi occupatione adeo me defixam tenebat, ut inde faſtidium contraxerim illarum, quæ voce perficiuntur, precationum, quas coram ſanctiſſimo Sacramento perſolvere non poteram.

XII. *Erga ſanctiſſimum Sacramentum ardens affectus.*

Ibi tam profundam animi attentionem experiebar, ut nunquam ullum ibi manendi tædium mihi obreperet. Imo dies ipſos, & noctes totas illic ultro exegiſſem omni cibo prorſus & potu carens, neque id quod faciebam ſciens, niſi quod in ipſius divino conſpectu inſtar ardentis cerei conſumebar, amorem ipſi pro amore redditura: nec poteram in primo templi aditu conſiſtere, ad ſanctiſſimum Sacramentum, quantuſcumque inde pudoris ſenſus mihi in animo naſceretur, quam proxime poteram accedebam: eas ſolas felices, earum conditionem æmulatione dignam putabam, quæ ſacram Euchariſtiam frequenter ſumebant, quæve libera poteſtate gaudebant perſtandi coram ſanctiſſimo Sacramento. Etſi, ut verum fatear, tempus ibi a me male admodum collocabatur, & Chriſtus nihil a me niſi

Digitized by Google

niſi inuſtam honori ſuo labem, ut opinor, accipiebat. Supra dictarum perſonarum benevolentiam mihi conciliare conabar, ut aliquod temporis ſpatium ad ſanctiſſimum Sacramentum adeundum mihi concederent. In pœnam meorum peccatorum accidebat, ut natalitia Chriſti Domini nocte dormire non poſſem, & parochus in ſacro ad plebem præconio palam ſignificabat, qui ſomnum nondum cepiſſent, iis illa nocte communicandum non eſſe: ego vero quæ dormire non potueram, ad ſacram menſam non audebam accedere. Itaque hic dies lætitiæ, dies mihi erat lacrymarum, quas habebam pro cibo omnique oblectamento.

Nempe enim magnis me criminibus obſtrinxeram; uno ſcilicet dierum genialium, ut aliquarum quibuscum verſabar puellarum voluntati indulgerem, perſonato vultu veſtem mutaveram; quod mihi, toto vitæ meæ tempore, doloris & lacrymarum materies fuit: non ſecus ac culpa, quam admittebam vanis ornamentis induendis ex eodem ſtudio obſequendi voluntati ſupra dictarum perſonarum, quibus uſus eſt Deus tanquam juſtitiæ ſuæ inſtrumentis ad puniendas injurias, quas ipſi mea peccata intulerunt; quanquam piæ erant illæ perſonæ, nulliuſque peccati conſciæ ſibi erant in iis omnibus quæ erga nos facta ſunt. Neque vero illas ego alicujus culpæ vinculo teneri putabam, quum ita Dei mei voluntas eſſet, neque ullam a me propterea malam gratiam inierant. Sed heu! Domine mi, miſerere infirmitatis meæ in ſummo illo dolore ac pudore, quem mihi hæc ſcribenti tam acriter incutis, quod

Digitized by Google

tamdiu, ne hæc ipſa ſcriberem quæ ſcribo, repugnaverim. Confirma me Deus, ne hîc opprimar graviſſima id mihi merito exprobantis conſcientiæ meæ voce. Ita plane ſpondeo, opitulante gratia tua, me tibi nunquam reſtituram; etiamſi oportuerit me ſanguinem profundere, & in omnium contemtum venire & omnem inferorum furorem adverſus me armare, ad ultionem ſumendam de contrariis voluntati tuæ conatibus meis, quorum veniam a te ſupplex poſco, necnon fortitudinem id quod a me perfici cupis perficiendi, quantumcumque repugnans ab eo me abſterreat privatus mei ipſius amor.

XIII. *Agitur ut in matrimonio collocetur; inde pugnæ & dolores animi graviſſimi.*

Ut igitur incœptum perſequar; creſcebant una cum ætate cruces meæ; nam Diabolus locupletes ſuſcitabat procos, qui me ſibi peterent in ſponſam, idque multis erat cauſa domum noſtram frequentandi, quos alloqui mihi neceſſe erat, quod mihi ſupplicii loco erat non exigui. Ex hac enim parte urgebant me conſanguinei, ac mater imprimis aſſidue flens, mihique inculcans nullam ſibi niſi in me ſupereſſe ſpem emergendi è miſeria, quum ſibi polliceretur apud me perfugium, ſtatim atque nuptui tradita forem: ex alia parte Deus tam acriter inſtabat cordi meo, ut ejus perſequendi nullum finem faceret. Semper enim mihi obverſabatur ante oculos votum a me emiſſum, quod ſi violarem, horrendas pœnas datura eſſem. Tenerum amorem quo matrem meam complectebar, adhibebat adverſus me malus Dæmon, jugiter mihi ob mentis oculos ponens quas illa lacrymas funderet, meque, ſi

ſi religioſum ſtatum amplecterer, cauſam fore cur animi dolore enecaretur, cujus mortis rationem Deo redditura eſſem; nam in curis & obſequiis meis ſpem ſuam habebat plane collocatam mater. Id me tormento intolerabili cruciabat; ſic enim illa me diligebat & ego ipſam, ut vivere ſine mutuo conſpectu non poſſemus: alia ex parte religioſæ vitæ deſiderium urebat me aſſidue, necnon meus impuritatis horror. Hæc omnia martyrii quoddam genus mihi infligebant; neque enim ullo quietis intervallo reficiebar, effundebarque in lacrymas, neminem habens cui has cordis anguſtias aperirem, neque quid conſilii caperem ſciebam. Tandem tenera, qua matrem proſequebar, amicitia potiores apud animum meum partes obtinere cœpit, mihique venit in mentem, quum hoc votum a me adhuc puellula emiſſum eſſet, fore ut eximi facile poſſem illius vinculo, quod contraxeram non ſatis intelligens quid rei hoc eſſet quod facerem. Præterea admodum abhorrebam ab injiciendis libertati meæ vinculis, mecum ipſa reputans mihi jam non fore liberum jejuniis, eleemoſynis, ac piis verberationibus pro arbitrio deditam eſſe; ac vitam religioſam tantum ſanctitatis in ſuis cultoribus exigere, ut mihi ad illam ſanctitatem pervenire futurum eſſet impoſſibile: atque adeo fore, ut in eo vitæ genere æternis ſuppliciis digna fierem. Incipiebam me inferre in hominum cœtus & colloquia, & ad ipſis placendum me ornare curioſius, quantum in me eſſet, animum oblectare ſatagens. At tu, Deus meus, qui ſolus aderas teſtis gravium meo-

Digitized by Google

rum & diuturnorum certaminum, quibus victa millies ſuccubuiſſem, niſi tua me bonitas & miſericordia extraordinario roboraſſet auxilio, longe alia de me conſilia iniens, quam quæ apud me ipſa volvebam, plane oſtendiſti cordi meo & tunc, & aliis ſæpe temporibus, durum ipſi fore ac graviſſimum, contra potentem amoris tui ſtimulum calcitrare: quanquam mea me infidelitas & malitia eo adduxit, ut ad illi reſiſtendum, & ejus omnes in me motus extinguendos vim omnem & induſtriam adhiberem, ſed fruſtra; nam mediis in congreſſibus hominum, & in ipſis oblectationibus, tam ardentes in me ſagittas intorquebat, ut cor meum, omni ex parte transfigerent, & conſumerent; ac dolor qui me urebat hærere me ſtupenti ſimilem cogeret. Nec ſatis id erat ad ingratum cor meum a ſuis avocandum nugis: ſentiebam me quaſi ligari & magna vi quaſi vinculis trahi, tantoque impetu, ut tandem facere non poſſem quin ſequerer eum, qui me in abditum quempiam locum vocabat, ubi me objurgabat acriter; nam zelator erat miſeri cordis mei, quod horrendas patiebatur perſecutiones: hîc poſtquam ab eo veniam in faciem procidens poſtularam, aſperis diuturniſque verberibus eo impellente, in me ipſa ſæviebam; tum non ſecus ac antea revolvebar ad priores vanitates, ac priorem reſiſtendi facilitatem: et veſperi cum maledicta illa Satanæ inſignia deponerem, illa dico vana ornamenta, ejus malitiæ inſtrumenta, ſe mihi offerebat ſupremus Dominus meus, qualis erat in myſterio flagellationis totus deformatus, mirum quantum ex-

pro-

Digitized by Google

probrans mihi, meis vanitatibus ſe eo redactum eſſe, meque jacturam facere temporis adeo pretioſi, cujus ſeveram rationem in morte ipſi redditura eſſem; ſe proditionibus a me ac perſecutionibus excipi, poſt tot mihi data indicia amoris ſui, illiuſque deſiderii, quo ardebat, ut ipſi ſimilis efficerer. Quæ omnia tam alte deſcendebant in animum meum, tamque acerbas cordi meo plagas inferebant, ut amare flerem. Et ſane mihi eſſet admodum dictu difficile quid tunc paterer, quidve tunc experiretur animus meus, quod ignara tunc eſſem, quid eſſet vita ſpiritualis, de qua nullum documentum acceperam, nec ab ullo quicquam audieram; de ea nihil ſciens, aliud, quam quod ſupremus Magiſter meus me docebat, quodque ut facerem ſua quadam amica vi compellebat.

Ut vero a me ipſa pœnas qualeſcumque repeterem injuriarum, quibus ipſum afficiebam, & ad illam quam in me expetebat, cum ipſo ſimilitudinem reformarer; dolorem, quo premebar, levatura, miſerum hocce flagitioſumque corpus nodoſis vinciebam funibus, tamque arcte conſtringebam, vix ut ſpirare poſſet & cibum ſumere: idque genus pœnæ tam diuturnum patiebar, ut funes veluti depreſſi penituſque defixi eſſent in carnem, quæ ſupercreſcens efficiebat, ut niſi magna vi acerboque cum dolore revelli funes poſſent: quod item eveniebat in catenulis, quibus brachia ſic vinciebam, ut illas nonniſi cum avulſis carnis fruſtulis exuerem. Tum cubabam in aſſere, aut in baculis cuſpidatim nodoſis, ex quibus lectum mihi ſter- XIV. *Corporis macerationes acerbiſſimæ.*

Digitized by Google

nebam; tum verberabam me flagris, aliquid remedii conquirens meis interioribus pugnis ac doloribus, præ quibus quicquid tolerabam extrinſecus, licet omnes ignominiæ, & illatæ mihi, de quibus ſupradixi, moleſtiæ perſeverarent jugiter, & augerentur potius quam remitterent, hæc, inquam, omnia nonniſi refrigerationis loco mihi erant præ interioribus pœnis meis, quas ut tacita ferrem, & juxta boni magiſtri mei documentum ſilentio tegerem, tantam mihi vim faciebam, ut earum nihil, ullo prodiret externo indicio, niſi quod palleſcere & maceſcere deprehendebar. Timor, quo angebar, Deum meum offendendi, gravius adhuc quam cætera omnia me excruciabat; tam gravia enim & perpetua mihi videbantur eſſe peccata mea, ut mirarer quod mihi terra non dehiſceret, & ſepeliendæ tam indignæ peccatrici inferorum abyſſos non aperiret. Peccata mea quotidie lubens ſacramentali confeſſione expiaſſem; & id tamen nonniſi raro mihi licebat. Qui Sacerdotem in ſacro tribunali diu occupatum detinerent, eos ego pro Sanctis habebam, longe abſimiles a me eſſe exiſtimans, quæ culpas meas accuſare neſcirem. Id mihi ingentem lacrymarum vim eliciebat. Exactis aliquot annis inter has omnes pœnas & pugnas, aliaque incommoda, nullo aliunde accepto ſolatio quam a Salvatore meo Jeſu Chriſto, qui ſe meum ipſe moderatorem fecerat, vitæ religioſæ deſiderium denuo in corde meo tam vehementer exarſit, ut illam quovis oblato incommodo amplecti apud me ſtatuerim. Sed hei mihi! rurſum non potuit illud propoſitum perfici maturius,

quam

Digitized by Google

quam poſt quadriennium, quo temporis intervallo undique mihi congeminatæ ſunt pœnæ, congeminata certamina; adeoque feci, ut mihi ipſa pœnitentias congeminarem, quantum per ſupremum magiſtrum meum licebat.

Longe enim aliam vitæ rationem me inire docuit, virtutum pulchritudinem mihi oſtendens, ac trium præſertim votorum, paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, quibus exercendis virtutibus animam fieri ſanctam mihi dicebat, idque dicebat mihi, quia inter orandum ab ipſo petebam, ut me ſanctam efficeret. Quumque alium ferme librum non legerem, quam eum, qui Sanctorum vitas perſequitur, hunc aperiendo mecum ipſa dicebam, quærenda mihi eſt una præ cæteris imitatu facilis vita, ut poſſim, eamdem tenendo, quam illa ſancta tenuit, viam, ſanctitatem, quam adepta eſt, aſſequi. Illud autem me angebat præcipue, quod viderem tam crebris a me culpis Deum offendi, quem a Sanctis non quemadmodum a me offenſum fuiſſe putabam, aut, ſi quis certe offendiſſet, perpetua deinde in pœnitentia vixiſſe; quod mihi magna ſuſcipiendarum pœnitentiarum injiciebat deſideria. At ſupremus Magiſter meus tantum mihi incutiebat timorem propriæ voluntatis faciendæ, ut jam tum putarem, quicquid facere poſſem, ipſi acceptum non fore, niſi ex amore & obedientia facerem. Neutrum vero quomodo in praxim redigere oporteret ſciebam, putabamque mihi crimini verti, quum dicerem a me diligi Deum meum, quod opera mea dictis repugnantia cernerem. Ipſum orabam, ut ad id faciendum

XV. Pulchritudo virtutum ei demonſtratur.

Digitized by Google

me perduceret, quod a me fieri vellet ad ipſi placendum, & amorem ſignificandum, quod in hunc modum præſtitit. Tantum mihi amoris impreſſit erga pauperes, ut nulla jam alia quam ipſorum conſuetudine frui ultro optaſſem; tamque tenero me commovebat commiſerationis ſenſu ob illorum miſeriam, ut ſi penes me fuiſſet, nihil mihi reliqui feciſſem, & quum mihi pecunia erat ad manum, hanc pauperibus puerulis elargiebar, ut ii ad me cathechiſmum preceſque addiſcendi cauſa allicerentur. Quo fiebat, ut me, quocunque irem, ſequerentur; quorum tanta nonnunquam turba confluebat, ut hiberno tempore quonam eos exciperem loco non haberem, præterquam in amplo cubiculo, in quo admittebam omnes, unde aliquando expellebamur. Id mihi multum afferebat moleſtiæ; neque enim quicquam eorum, quæ facerem, alienis oculis deprehendi volebam; & quicquid ſurripere poſſem, illis erogare exiſtimabar; quod tamen non faciebam, furti horrore me impediente, & præter id, quod meum erat, nihil dabam; quod ipſum dare, niſi ex obedientiæ nutu non audebam. Quamobrem blandiebar matri meæ, ut quod habebam, dare per illam mihi liceret, quæ quod multum me amaret, ſatis ad annuendum meis optatis facilem ſe præbebat. Quum autem abnuerat, quieſcebam pauliſper a precibus, tum illam iteratis poſtulationibus fatigabam: Nihil enim jam facere poteram injuſſu non ſolum matris meæ, ſed eorum etiam quibuſcum habitabam, quorum ex nutu arbitrioque omnia faciebam, quod mihi

Digitized by Google

mihi aſſidui ſupplicii inſtar erat. Verum exiſtimabam frangendam eſſe voluntatem meam in iis omnibus, a quibus maxime abhorrerem, mihique faciendum eſſe, ut illis hominibus parerem ad experimentum capiendum poſſemne religioſæ vitæ jugum ferre: illæque tam aſſiduæ facultatum petitiones gravibus repulſis excipiebantur, & in gravem me captivitatem adigebant. Hinc enim tantum in me exercebatur authoritatis, ut nulla Monialis alieno arbitrio arctius mancipata eſſet: ſed illo, quo ardebam, amandi Dei deſiderio incitata, difficultates omnes ſuperabam, ſtudioſeque proſpiciebam, ut id facerem, quod maxime repugnabat propenſionibus meis, & a quo gravius naturam abhorrere ſentiebam. Quod deſiderium ita me urgebat, ut, ſiquando huic obſequi deſtiteram, culpam hanc Sacerdoti in confeſſione aperirem. Vulnerum aſpectum horrebam quam maxime, ſed continuo mihi incumbendum fuit ad illa curanda & oſculanda, ut me ipſa vincerem, neque qua parte id aggrederer ſciebam; ſed ſupremus magiſter meus tam opportune ſubveniebat ignorantiis meis, ut vulnera vel periculoſiſſima brevi ſanata deprehenderentur, nullis aliis, quam divinæ providentiæ medicamentis: verum ejus bonitati confidebam magis, quam remediis adhiberi ſolitis.

Nativo impetu ferebar ad amorem voluptatis atque animi oblectationis, at plenus ille doloris cruciatus Salvatoris mei, qui ſeſe mihi in myſterio flagellationis offerebat, ſatis ſuperque me a voluptate capienda retrahebat. Hac enim exprobatione Dominus cor meum peni-

ni-

Digitized by Google

nitus perfodiebat: tune ut hanc oblectationem captes? ego vero nullo unquam voluptatis ſenſu me oblectavi, & omnis generis acerbitates tui cauſa hauſi, ut mihi cor tuum devincirem; & tamen etiamnum de iſtius cordis dominatu certare mecum velles. Hæc omnia non parum commovebant animum meum; ſed ingenue fateor nihil me tunc horum intellexiſſe, adeo rudi ingenio eram; nec boni quicquam faciebam, niſi quia Dominus ipſe tam valide me ad illud urgebat, ut ejus impreſſioni reſiſtere vix poſſem. Quod mihi pudorem incutit in his omnibus, quæ hîc ſcribo; ubi ſignificare vellem quam merito mihi debeatur æternum ſupplicium, quod jugiter Deo ejuſque gratiis reſtiterim, tum ſignificare etiam cuperem ejus miſerationum multitudinem; videbatur enim onus in ſe ſuſcepiſſe fugitantem me inſequendi, & aſſidue opponendi ſuam bonitatem meæ malitiæ, ſuum amorem meis ingrati animi noxis, quæ mihi toto vitæ tempore acerbiſſimorum dolorum materiam præbuerunt; quod ſupremum liberatorem meum agnoſcere neſcirem, qui mei curam ab ipſis incunabulis tam amanter geſſerat, ac ſemper deinceps gerere perrexit. Quumque aliquando ſtupore veluti abſorpta mirarer, quod tanta infidelitas mea, totque vitia, quæ in me cernebam, non efficerent, ut me reſpueret, hoc mihi reſponſum dedit: ſic tecum ago, quod te cupiam efficere quoddam veluti compoſitum ex amore meo, meiſque miſerationibus. Et alio quodam tempore dixit mihi: te mihi in ſponſam elegi, mutuamque inter nos fidelitatem pol-

lici-

Digitized by Google

liciti ſumus, quum mihi caſtitatem voviſti. Ego te ad illud votum emittendum ſollicitabam, antequam mundus ullam ſibi partem cordis tui vindicaſſet; illud enim purum omnino mihi depoſcebam, terreniſque affectibus incoinquinatum: quo in ſtatu ut illud mihi conſervarem, propriæ voluntatis tuæ malitiam omnem auferebam, ne poſſet ipſa cor tuum corrumpere; tum ſanctæ Matris meæ curis ſervandam te dedi, & apud eamdem depoſitam te habui, ut pro ratione mearum voluntatum te informaret.

XVI. *Beatiſſimæ Virginis maternus in eam affectus.*

Hæc adeo Virgo ſanctiſſima bonæ Matris loco mihi ſemper fuit, nec ſuo unquam auxilio me fruſtrata eſt, ad eamque in meis anguſtiis & neceſſitatibus ſolemne mihi confugium erat tanta cum fiducia, ut ſub ejus materna protectione nihil eſſe mihi videretur, quod metuerem. Itaque tunc temporis voto me obſtrinxi ad jejunium diebus ſabbati in ejus honorem obſervandum; ad officium ejus Immaculatæ Conceptionis, quum legere ſcirem, recitandum; ad Salutationem Angelicam ſepties quotidie toto vitæ tempore recitandam, flexo toties genu in honorem ſeptem ipſius dolorum; meque tradidi in ancillam ipſius perpetuam, eam ſuppliciter orans, ut eo nomine ac titulo decorare me ne gravaretur. Verum tanquam ipſius filia eam alloquebar non ſecus ac bonam Matrem meam, in quam amore vere tenero jam tum affici me ſentiebam. At illa ſevere me objurgavit quum denuo paratam me vidit cedere terribili pugnæ, quam in memetipſa experiebar. Nam victa conſanguineorum perſecutionibus, Ma-

triſque tam charæ lacrymis, neç non monitis quæ ipſa dabat, puellam anno ætatis vigeſimo debere ſibi vitæ conditionem amplecti, in eorum ſententiam pertrahi incipiebam. Mihi nempe perpetuo inculcabat Satanas: Miſella, quid conſilii capis, quum religionem vis ingredi? omnibus te ridendam propinatura es; nunquam enim in hoc vitæ genere perſeverabis. Et quis pudor religioſam veſtem exuere, e monaſterioque dimitti? Quæ te deinde latebra ſatis occultabit? Inter hæc omnia prorumpebam in uberes lacrymas, nam a viris mirum quantum abhorrebam, nec jam quid amplecti ſtatuerem ſciebam.

XVII. *Sponſi Chriſti querelæ, minæ, & promiſſa.* At tandem miſertus eſt mei ſupremus magiſter meus, qui intentos ſemper in votum meum oculos meos tenebat. Et quodam die poſt ſacram, ni fallor, communionem, ſe mihi monſtravit eſſe ſponſorum, quos amare poſſem, formoſiſſimum, ditiſſimum, potentiſſimum, in omnibuſque perfectiſſimum & abſolutiſſimum; quumque ante tot annos ipſi deſponſa eſſem, quærebat cur, ſe relicto, alium accipere vellem. Tum vero hæc adjecit: ſcito, ſi ita me ſpreveris, æternum te a me deſeri; ſi vero datam fidem mihi ſervas, non diſcedam a te, & adverſus omnes inimicos tuos ero tua ego ipſe victoria: indulgeo aliquid ignorantiæ tuæ, quod ſcilicet nondum, qui ſim, intellexeris; ſi vero mihi fidelis es, & me ſequeris, docendo efficiam ut me cognoſcas, meque tibi manifeſtabo. Hæc quum diceret, tam profunda pace perfudit interiora mea, tantamque tranquillitatem expertus eſt animus meus

ut

Digitized by Google

ut decreverim morituram me potius, quam mutaturam eſſe conſilium. Tunc mihi vincula mea videbantur eſſe dirupta, nihilque metuendum ſupereſſe; quum cogitarem, etiamſi vita religioſa purgatorium mihi futura eſſet, levius fore reliquo vitæ tempore illic purgari, quam ad inferna detrudi, quæ toties ingentibus peccatis meis promeruiſſem. Quum igitur fluctuans animus meus ad vitæ religioſæ propoſitum ſe applicuiſſet, divinus ille ſponſus animæ meæ, ne ipſi adhuc e manibus elaberer, petiit ut libertatem meam ipſius poteſtati ultro permitterem; quia debilis eram. Nihil in me moræ fuit, quominus huic divinæ poteſtati traderetur libertas mea, quam quidem ex illo temporis articulo Dominus potenter invaſit; tamque alte ex hoc ipſo momento ſe inſinuavit in cor meum, ut votum meum renovarim: quid rei eſſet, incipiens intelligere. Illi ſpopondi, me quovis etiam vitæ propoſito periculo, nunquam aliud quam religioſæ vitæ genus amplexuram, idque palam domi ſignificavi, conſanguineos orans,ut, quantumvis conditiones ab iis oblatas qui me ſponſam petebant, commodas eſſe mihi repræſentarent, illas reſpuerent. Quod quum mater mea intellexiſſet, coram me temperabat a lacrymis; ſed aſſidue flebat apud eos omnes, qui ſermonem ea de re inferebant. Illi autem ſibi omnino faciendum putabant, ut me monitum venirent, ſi matrem relinquerem, mortem illi a me accerſitum iri: hujuſque damni rationem mihi apud Deum aliquando reddendam; neminem enim habebat mater, cujus

Digitized by Google

obſequiis juvari poſſet; addebantque tam bene me, matre mortua, quam viva Monialem fore. Atque unus e fratribus meis, qui me multum diligebat, omnes conatus adhibuit ut a meo propoſito me deterreret, partem mihi offerens ſui patrimonii, quo dotata pinguius, commodius nuberem. His omnibus cor meum, non ſecus ac rupes, immotum tangi deſinebat, licet adhuc triennio mihi manendum in ſæculo, & adverſus hæc omnia pugnandum eſſet.

XVIII. *Mittitur in Patrui domum, ubi a Conſobrina in familiam S. Urſulæ allicitur.*

Tunc miſſa ſum in domum unius ex patruis meis, ejuſque curæ commiſſa. Huic erat filia monialis, quæ quum me ſciret ingredi religionem velle, nihil non effecit, ut me haberet ejuſdem ſecum inſtituti ſociam. Neque tamen allici me ſentiebam ad vitæ genus quod profitentur ſacræ virgines a ſancta Urſula dictæ. Illi reſpondebam: attende, ſi in cœnobium veſtrum ingrediar, ingreſſuram me in gratiam tui tantum: volo autem in monaſterium me recipere, ubi nec ullæ conſanguineæ, nec perſonæ ſint mihi notæ, ut divini amoris impulſu religionem profitear. Verum quum neſcirem ubinam futurum illud eſſet, variarum religionum notitia carens, qua diſcernerem quænam mihi eſſet ex omnibus ſuſcipienda, prope modum manus dabam illius importunis ſollicitationibus; eam enim amabam plurimum, adhibebatque, ut me exoraret, authoritatem Patrui mei, cui obſiſtere non audebam, quod tutor meus eſſet, mihique diceret, non minus charam me ſibi eſſe, quam unum ex filiis ſuis; ac propterea velle ſe, ut in eo oppido, ubi degeret, ſtabilis manerem.

Digitized by Google

rem. Nec ullo modo paſſus eſt, ut me frater meus reduceret domum, quod diceret pro jure ſuo ſe velle habere me in poteſtate. Quo factum eſt, ut frater meus qui nondum voluerat annuere, ut vitam religioſam amplecterer, admodum mihi ſuccenſuerit; his omnibus connivere me putans, ut ipſo invito, & Matris injuſſu in ſanctæ Urſulæ cœnobium me conjicerem. Sed longe ab eo conſilio aberam; quo enim me urgebant magis (quod eo uſque perductum eſt, ut me etiam intromittere vellent in monaſterium) eo graviori faſtidio ab illo vitæ genere abhorrebam.

Mihi arcana quædam vox dicebat intus, non te illic volo, ſed inter religioſas ſanctæ Mariæ. Attamen illas Moniales a ſancta Maria dictas videndi nulla mihi fiebat poteſtas, quamvis earum multas cognatas haberem; mihique de illis dicebantur, quæ ſatis eſſe poſſent, ut mentes propoſiti tenaciſſimas ab eo deducerent. At quo plures adhibebantur conatus, ut ab eo conſilio deterrerer, eo illas amabam magis, mihique deſiderium augeri ſentiebam illarum inſtitutum amplectendi, propter hoc tam amabile ſanctæ Mariæ nomen, quod mihi ſignificabat, hanc eſſe ipſam quam quærebam, vitæ rationem. Et quodam die quum intuerer in pictam tabellam magni ſancti Franciſci Saleſii, viſus eſt in me, quam ſuam appellabat filiam, oculos conjicere, tam paterno ſimul amicoque affectu, ut illum non alio deinceps quam boni patris loco habuerim. Sed de his omnibus nihil audebam dicere, nec ſciebam, quo pacto me expedirem a conſobrina mea, & to-

XIX. *Sed a Deo vocatur ad Moniales a S. Maria dictas.*

Digitized by Google

ta illa religioſa familia, quæ tantis benevolentiæ officiis me proſequebatur, ut jam adverſus illam tueri me non poſſem.

XX. *In domum paternam revocatur ubi recrudeſcunt pugnæ & dolores.* Quum autem in ipſo verſarentur articulo aperiendæ mihi januæ Monaſterii, per nuntium certior facta ſum, fratrem meum ex gravi morbo decumbere, & matrem meam in extremis eſſe. Quod me impulit ad iter verſus ipſam hoc ipſo tempore ſuſcipiendum, a quo deterreri non potui, quanquam ægrotabam, non tam aliqua alia ex cauſa, quam ex animi dolore, quem contraxeram, quum viderem quamdam mihi neceſſitatem inſtare ingrediendi cœnobium, quo me non vocatam a Deo arbitrabar. Nocte tota iter confeci licet leucarum propemodum decem. Hunc in modum extricata fui ex illis anguſtiis, ad graviſſimam aliam crucem rurſus experiendam, quam non explicabo per ſingula, quum ſatis multa jam ea de re dixerim. Satis ſit dicere, meis omnibus moleſtiis novam eſſe factam dolorum acceſſionem. Oſtendebatur mihi matrem meam ſine me vivere non poſſe, quando quidem meus tantilli temporis diſceſſus ejus morbi cauſa erat; ac denique illius mortis rationem Deo me reddituram eſſe: Quod quum mihi diceretur a perſonis Eccleſiaſticis, acres mihi doloris aculeos infigebat, ob tenerum amorem, quo illam complectebar, & quo utebatur Diabolus, ut perſuaderet mihi, hunc ipſum quem cogitabam a matre diſceſſum, meæ damnationis æternæ cauſam fore.

Ex

Digitized by Google

Ex alia parte tantopere me urgebat Deus meus ad omnia, ipſum ſequendo, relinquenda, ut nullo jam intervallo ab hoc ſuo impulſu vacare me pateretur: tantoque me accendebat deſiderio ad vitæ ipſius patientis ſimilitudinem me conformandi, ut quicquid malorum ferebam pro nihilo haberem; quæ mihi erat cauſa gravioribus pœnitentiis me afflictandi, & quandoque humi me abjiciens coram imagine crucifixi Domini mei, his eum verbis alloquebar: O mi dilecte Salvator, quam felix ero, ſi tuam in me imaginem patientem imprimes! & mihi reſpondebat: *hoc ipſum eſt quod volo, dummodo tu mihi non obſiſtas, & quod tuarum eſt partium ad hoc opus perficiendum conferas.* Ut vero nonnullas mei ſanguinis guttas illi darem, digitos meos arcte vinciebam, tum illos infixis acubus pungebam, & ſingulis ſacræ quadrageſimæ diebus, quantum in me erat flagris me, verberabam, in honorem verberum quæ in flagellatione accepit. At quantocumque temporis ſpatio me verberarem, parum inde poteram elicere ſanguinis, quem bono Magiſtro meo rependerem pro ſanguine in mei gratiam effuſo, & quia humeri erant pars illa corporis quam cædebam, multo tempore opus erat, ut aliquid ſanguinis exprimerem. Verum triduo ante quadrageſimam me ipſa diſcerpſiſſem lubens, ad compenſandas injurias divinæ ipſius majeſtati a peccatoribus illatas. Trium illorum dierum jejunium, quantum fieri poterat, pane & aqua contenta obſervabam; reliqua, quæ mihi in cibum tunc dabantur, pauperibus erogans. XXI. *Novis ſe pœnitentiis excruciat.*

Meum

XXII. *Euchariſtiæ deſiderium.* Meum maximum gaudium erat, quod mundum relictura eſſem, meque hac cogitatione oblectabam, quod frequenter ſacram Euchariſtiam ſumtura eſſem. Non enim niſi raro illius ſumendæ facultatem obtinere poteram, meque unam ex omnibus feliciſſimam arbitrata eſſem, ſi frequenti Euchariſtiæ communione uti potuiſſem, & noctes ſola coram ſanctiſſimo Sacramento traducere; tam fidentis enim animi mihi ipſa conſcia eram, ut licet ultra modum cæteroqui meticuloſa, nihil tamen ſimile animo agitarem, ſimul ac eram in illo loco deliciarum mearum. Et in pervigilio dierum Euchariſtiæ communioni ſacrarum, non aliter quam mihi vim inferendo loqui poteram, alto ſilentio veluti mergi me ſentiens, ob illius actionis magnitudinem, quæ mihi obeunda erat; & poſt ſuſceptum ſanctiſſimum Sacramentum lubenti animo abſtinuiſſem cibo, potu, ſermone, aſpectu; tantum erat ſolatium, tanta tranquillitas, quam experiebar. Et quantum in me erat, latitabam, ut meum ſummum bonum amare diſcerem, cujus impreſſionibus tantopere urgebar ad amorem, ejus amori rependendum.

XXIII. *Orandi methodum doceri avet.* Verum ſi cætera etiam omnia facerem, mihi non videbar amare unquam ipſum poſſe, niſi orationis exercitium docerer: nam de orandi modo, & ratione nihil ſciebam aliud, quam quod ipſe Dominus me docuerat, ut ſcilicet Sanctis omnibus ipſius motibus me traderem totam, ſiquando me ſolam cum ipſo in exiguum aliquem receſſum poſſem concludere. At mihi ſatis non dabatur otii, toto enim, quantus quantus

tus erat, die, mihi cum domeſticis famulis laborandum erat. Quum autem aſſidue conquererer apud ſupremum Magiſtrum meum, vereri me ne in ulla earum rerum, quas faciebam, ipſi placere non poſſem, quod nimium propria voluntas mea inferret ſeſe in mortificationes meapte ſponte lubenterque ſuſceptas; quum tamen nihili facerem id quod ex obedientia non fieret. Heu, ajebam, Domine mi, da mihi aliquem qui me ducat ad te. An non tibi ſatis ſum, reſpondit ille, Quid times? Filia ſic dilecta, ut te diligo, poteſtne perire in ulnis ipſis Patris Omnipotentis? Neſciebam quid eſſet a Patre Spirituali regi, at magno ardebam obediendi deſiderio, divinæque bonitati placuit ita res diſponere, ut cujuſdam jubilæi tempore apud nos diverteret unus e religioſa ſancti Franciſci familia, qui domi noſtræ pernoctavit, ut peccata noſtra generali confeſſione deponendi ſpatium nobis ſuppeteret. A diebus circiter ſeptemdecim in mea ſcribenda confeſſione occupata eram, quanquam enim generaliter confitebar quoties opportunitas aliqua ſe offerebat, videbar mihi nunquam ſatis frequentes hujuſmodi confeſſiones facere poſſe, propter ingentia peccata mea; quorum dolore tam acri pungebar penitus, ut non modo multis lacrymis illa deflerem, ſed præ nimio illo quo urebar dolore, ea apud omnes evulgare ex animo cupiiſſem: idque ingemiſcebam maxime; quod tam cæca eſſem, ut illorum atrocitatem nec ſatis poſſem animo percipere, nec quanta eſſet, verbis explicare. Eam ob cauſam quicquid reperire poteram in libris, *Confeſſionem generalem parat.*

Digitized by Google

qui de confeſſione diſſerunt, ſcripto exarabam, & quandoque in confeſſionis chartam ea inſerebam, quorum vel ab ipſa appellatione abhorrebam; ſed mecum ipſa dicebam: hoc fortaſſe ſcelus admiſi, nec tamen novi; plane æquum eſt, ut illius declarandi pudorem feram, ad ſatisfaciendum divinæ juſtitiæ. Hîc non diffitebor, ſi maximæ partis eorum, de quibus me accuſabam, conſcia mihi fuiſſem, inconſolabilem mihi dolorem futurum fuiſſe; qualem etiam dolorem ex iiſdem illis confeſſionibus ſuſceptura fuiſſem, niſi mihi Dominus meus aſſeveraſſet ſe voluntati, quæ minime mala eſt, omnia ignoſcere. Hanc igitur confeſſionem feci, cujus multa folia bonus ille Pater a me prætermitti voluit, illa legendi poteſtatem facere nolens. Rogavi illum, ut conſcientiæ meæ ſatisfacere me ſineret; quum majoribus quam ille putaret, peccatis obſtricta eſſem. Hæc confeſſio magnam mihi attulit animi tranquillitatem. Aliquid de mea vivendi ratione ipſi declaravi, circa quod multa utilia monita mihi dedit; ſed omnia declarare non audebam; hoc enim putabam eſſe vanitatis; in quod vitium ne incurrerem vehementer timebam, quod ad illud indoles mea multum propenderet: quodque arbitrarer, quæ faciebam, omnia ad hunc vanæ gloriæ ſcopum dirigi, ſenſum a conſenſu diſcernere neſciens. Id me multum angebat, peccatum enim admodum horrebam; quippe quod Deum ab anima mea alienaret. Bonus ille Pater Franciſcanus inſtrumenta pœnitentiæ mihi promiſit, & illi ſignificavi qua-

quatuor jam aut quinque annos a me ſollicitari fratrem meum, ut religionem ingredi me ſineret; per ipſumque adhuc ſtare ne ingrederer.

Qua de re ſic mei fratris animo religionem injecit, ut ipſe a me poſtea petierit ſemperne in propoſito religioſam vitam amplectendi perſiſterem; cui quum reſpondiſſem paratam me eſſe mortem pati potius quam mutare conſilium; voluntati meæ ſatisfacturum ſe pollicitus eſt. Ut igitur de dote mea paciſceretur, profectus eſt ad illam bonam conſobrinam meam, quæ me ſollicitare non deſinebat, volente matre cæteriſque conſanguineis meis, ut in illo cœnobio monialis eſſem. Jam igitur, quomodo id ne paterer, effugerem, neſciebam. Sed interea dum frater meus hoc iter habuit, confugi ab Beatiſſimam Virginem bonam Dominam meam, adhibito apud illam ſuffragatore ſancto Hyacinto, cui multas preces obtuli, nec non multa ſacrificia celebranda procuravi in honorem ſanctæ Matris meæ, quæ mihi ſolatium ferens, amice dixit: nihil timeas, eris vera filia mea, eroque ſemper bona tua Mater. Hæc verba ita tranquillarunt animum meum, ut omni excluſa dubitatione mihi perſuaſerint non obſtantibus omnibus quæ objiciebantur, obſtaculis, rem quemadmodum mihi promittebatur, ita perfectum iri. Reverſus ergo frater mihi dixit: petuntur pro dote quatuor millia librarum, tuum eſt de patrimonio tuo, ut lubebit diſponere; nondum enim de re tranſactum eſt. Continuo illi audacter reſpondi: nunquam tranſigetur, volo ad ſanctæ

XXIV. De religione capeſſenda iterum agitur.

B. Virgo eam conſolatur.

ctæ Mariæ religioſas virgines me recipere, idque in cœnobium valde hinc diſſitum, ubi nulla erit mihi ſive ſanguine, ſive familiaritate conjuncta: volo enim Dei ſolius intuitu religionem ingredi; volo mundum prorſus relinquere, abdendo me in retruſum aliquem angulum, ubi me hominum conſuetudine non utentem, & mundus obliviſcatur, & ego mundum. Multa mihi Monaſteria propoſita fuerunt, in quæ conſenſum præbere minime poteram; ſed ut primum Parodienſe Monaſterium appellatum eſt, dilatatum eſt præ gaudio cor meum, ſtatimque aſſenſum præbui. At mihi adhuc inviſendæ fuerunt illæ ſanctimoniales, apud quas habitaveram octavo ætatis anno, ubi gravis adhuc pugna ſuſtinenda mihi fuit; me enim domum intromiſere appellantes ſuam filiam, quærentes cur vellem ipſas deſerere, quibus tam chara eſſem? addebant ſe non poſſe æquo animo ferre meum in ſanctæ Mariæ ordinem ingreſſum, quum me in eo perſeveraturam non eſſe probe ſcirent. Hujuſce rei periculum facere me velle dixi, meque induxerunt ad promittendum reditum apud ipſas, quum e ſanctæ Mariæ cœnobio dimitterer; huic enim vitæ dicebant ſatis ſe ſcire nunquam fore ut poſſem aſſueſcere. Iis omnibus, quæcumque illæ mihi opponere potuerunt, minime movebatur cor meum; imo magis confirmabatur in propoſito; quum jugiter diceret, moriendum eſt, aut vincendum. Verum cætera prætereo, quæ mihi ſuſtinenda fuere, certamina, ut veniam quam primum ad locum felicitatis meæ charum Parodium. Hîc ſimul

Ad ſolam Monaſterii Parodienſis appellationem cor ipſius dilatatur præ gaudio.

mul atque veſtibulum colloquiis deſtinatum ſubii, hæc verba intus mihi dicta ſunt, is locus eſt, ubi te volo. Poſtea fratri meo declaravi pacta conventa cum hiſce monialibus eſſe tranſigenda; quandoquidem nunquam apud alias ullas religionem amplexura eram. Miratus eſt eo vehementius, quod me huc adduxerat ſolummodo ad viſendas nonnullas e ſanctimonialibus ſanctæ Mariæ, quarum ex numero me eſſe velle diſſimularam; non enim aliis, quam hiſce conditionibus me adduxerat. Sed ante hinc abire nolui, quam de omnibus ingreſſus mei conditionibus inter utramque partem conveniſſet: quo facto novam vitam hauſiſſe mihi videbar, uſque adeo ſuavi pacis ac lætitiæ ſenſu perfundebar; quod ita me efficiebat hilarem, ut ii, quos latebat quid experiretur animus meus, hunc in modum jocarentur: cernite illam: quam bene gerit externam futuræ ſanctimonialis ſpeciem. Et certe pluribus, quam unquam antehac comta prodibam vanitatis ornamentis, itidemque genio indulgebam, ob ingens illud gaudium, quo afficiebar; quod mox tota adhæſura eſſem ſupremo bono meo, Deo meo; qui dum hæc ſcribo, hæc crebro mecum amice expoſtulat: vide filia, futurumne ſit, ut reperire unquam poſſis patrem aliquem amore unigeniti Filii ſui vulneratum, qui tantam illius curam geſſerit, qui tam teneri in illum amoris indicia expromere potuerit, quam tenera fuerunt amoris in te mei teſtimonia, & hactenus edita, & poſthac edenda: amor quippe meus tam patienter in

Digitized by Google

te excolenda, ad meamque normam, vel a tenerrima ætate, conformanda laboravit, ſuaviter expectans te, nec unquam tuos inter omnes reniſus ſuſtinere te gravatus. Memento igitur, ſi gratum in me animum extingui paterere, horumque omnium gloriam ad me referre deſineres, te illa oblivione mei facturam eſſe ut hic omnis boni fons ineffabilis tibi exareſceret.

XXV. *Animi ſenſus quum mundo valedicendum fuit.* Quum illuxiſſet tandem adeo exoptata dies, qua mundo valedicendum erat, majori quam unquam antea gaudio affecta ſum, majoremque experta ſum conſtantiam in corde meo, quod obduruerat quodammodo ad omnem ſenſum ſive amicitiæ, ſive doloris, qui cùm ab aliis, tum maxime a matre mihi ſignificabatur, nec lacrymam vel unam in hoc ab illis diſceſſu fudi. Mihi enim videbar haud abſimilis captivæ cuipiam mulieri, quæ ſe carcere exemtam, ſolutamque vinculis videt, in domum ſui ſponſi mox admittendam, ad ineundum novam poſſeſſionem, plenaque cum libertate, ipſius conſpectu, bonis & amore perfruendum. Hoc ipſum erat quod ſponſus meus dicebat cordi meo, quod eam ob rem extra ſe totum rapiebatur. Nec aliam ſciebam cauſam afferre vocationis meæ ad ſanctæ Mariæ inſtitutum, quam quod vellem eſſe filia beatiſſimæ Virginis. Sed fateor in ipſo articulo temporis, quo ingrediendum fuit, qui in diem ſabbati incidebat, difficultates omnes, quas experta eram, multaſque alias animi anxietates tam vehementer facto impetu in me irruiſſe, ut in ipſo ingreſſu anima mea jamjam a corpore divellenda mihi

Digitized by Google

mihi videretur. Mox autem mihi monſtratum eſt ſaccum captivitatis meæ a Domino conſciſſum eſſe, meque ipſius manibus, ejus pallio lætitiæ circumdari; & tanta efferebar lætitia, ut clamarem, hic locus eſt ubi me vult Deus. Continuo menti meæ id inſculptum fuit: domum hanc locum eſſe ſanctum, omnesque illas, quæ eam incolerent, ſanctas eſſe oportere, atque hoc ſanctæ Mariæ nomen mihi ſignificare quovis pretio ſanctitatem comparandam eſſe, eamque ob rem neceſſe eſſe in omnibus abnegare ſe, & immolare, nulla in re ſibi parcendo, nihil plane ſibi retinendo. Molliebat ea cogitatio quicquid difficultatum mihi videbatur eſſe aſperrimum in hiſce initiis. Quo tempore factum eſt per aliquot dies, ut quotidie mane excitarer a ſomno hiſce verbis, quæ diſtincte audiebam, eorum ſenſum minime intelligens: *Dilexiſti juſtitiam*, & reliquum verſiculi: necnon aliàs his aliis verbis: *Audi filia & vide, &c.* itemque his: *agnoviſti ſemitam tuam & viam tuam, O Jeruſalem mea; domus Iſrael; ſed Dominus diriget te in omnibus viis tuis nec unquam derelinquet.* Hæc, quorum ſenſum ignorabam, referebam omnia ad bonam illam, quæ Novitiis præerat, magiſtram: hanc, atque etiam domus totius moderatricem habebam pro meo in terris Chriſto. Quumque non noſſem habuiſſemve unquam uſum ſpiritualis directionis, adeo geſtiebam, quod hanc ſequendo, obedientiam exercere poſſem, ut quæcumque earum ex ore prodibant, oraculorum inſtar acciperem: nihil jam eſſe putans, quod time-

Monita divina in Monaſterii ingreſſu.

Obedientiæ ſtudium.

Digitized by Google

timerem, ſi ex obedientia facerem, quæ mihi ab ipſis præſcriberentur. Quumque rogarem novitiarum magiſtram, ut orationis exercitium me doceret, cujus fame tam vehementi laborabat anima mea, negabat credere ſe poſſe, me tam grandem natu in cœnobium veniſſe hujus exercitii rudem & ignaram. Quod quum ita eſſe illi confirmaſſem, mihi reſpondit: proximæ orationis tempore, Domino te ſiſte tanquam telam puram & vacuam pictori ad elaborandum propoſitam. Sed quod illa mihi dicebat non intelligens, voluiſſem, ut mihi expoſuiſſet, nec ab ipſa petere audebam. Dictum autem mihi fuit: Veni, hoc ipſum te docebo. Vixque orationem aggreſſa eram, quum oſtendit mihi ſupremus Dominus meus animam meam hanc eſſe telam vacuam: in qua exprimere volebat lineamenta omnia vitæ ſuæ patientis, quæ in amore tota, & privatione effluxit: cujus operatio in ſilentio, ſacrificium in ſua conſummatione fuit: facturumque ſe, ut hæc imago imprimeretur animæ meæ, poſtquam abſterſiſſet reliquas omnes in ea maculas, tum affectus ad res terrenas, tum privati in meipſam, & in res creatas amoris, ad quas mea me indoles facilis, & obſequioſa multum alliciebat. Sed Dominus hoc temporis puncto me omnibus exuit, & cor meum evacuatum, atque animam meam ſic plane nudatam ſuccendit tam ardenti amandi ſui, necnon ferendorum dolorum deſiderio, ut nullum quietis intervallum mihi relinqueret, tam acriter meis inſtans veſtigiis, ut mihi non ſuppeteret otium niſi cogitandi quo pacto ama-

Docetur orare.

Amore Chriſti ac crucis ſuccenditur.

amare ipſum,me crucifigendo,poſſem. Tantaque ſemper illius erga me bonitas fuit, ut ad hoc perveniendi vias mihi, quotieſcunque opus fuit, aperuerit.

Quamvis autem Novitiarum magiſtram nihil celarem, apud me ipſa tamen ſtatueram pœnitentiarum facultates ampliores, quam per eam liceret, mihi procurare. Quod quum exequi pararem, ſanctus fundator meus ulterius progredi me non ſinens tam graviter increpavit, ut poſtea idem tentare nunquam auſa ſim. Hæc ſiquidem verba ſemper hæſere impreſſa cordi meo: itane filia, poſſe te putas placere Deo ultra præſcriptum obedientiæ, qua una præcipue nititur ac fundata eſt hæc congregatio, non vero corporis macerationibus?

Graviter increpatur a S. Fundatore quod in pœnitentiis modum ab obedientia præſcriptum tranſgredi pararet.

XXVI. Peracto primæ probationis meæ tempore cum deſiderio ardenti totam me exhibendi mancipatam Deo, qui me, ut ad hanc felicitatem perduceret, aſſidue & miſericorditer inſecutus eſt, quum tandem ſanctam veſtem noſtram religioſam induiſſem, monſtravit mihi ſupremus Magiſter meus tempus adveniſſe ſponſalium noſtrorum, quæ novum in me imperii jus ipſi tribuebant, meque duplici adſtringebant vinculo ad ipſum ſuper omnia diligendum: ac deinde ſignificavit mihi, ſe, more eorum, qui vel flagrantiſſimo ardent amore, effecturum ut guſtarem hoc tempore ſuaviſſimas amoris ſui delicias. Ac re quidem ipſa tam extraordinariis me blanditiis accepit, ut ſæpe me totam extra me raperent, obeundiſque ſolitis muneribus imparem facerent. Id me tam alte immerge-

Veſtem religioſam induit.

Sponſalia cum Chriſto.

Ff bat

bat in quandam pudoris veluti voraginem, ut aliarum in conſpectum prodire non auderem. Qua de re increpata fui, & admonita, non eſſe hunc ſanctæ Mariæ filiarum ſpiritum, quarum inſtitutum nihil extraordinarium affectaret: ac niſi ab his omnibus me ipſa revocarem, fore ut ad profeſſionem non admitterer. Hæc monita multum mihi mœroris attulere; quibus in anguſtiis poſita nihil non effeci, nullos non adhibui conatus ut ab hac via me retraherem; ſed fruſtra mei omnes conatus fuere. Amantiſſima autem Novitiarum magiſtra, ad me ex hoc tramite deducendam, quod poterat pro ſua parte conferebat, minime id advertente me. Quum enim avidam orationis exercendæ, atque adeo addiſcendæ famem præ me ferrem, nec poſſem, quovis adhibito conatu, traditas mihi orandi methodos ac vias tenere, coacta ſemper reverti ad methodum ſupremi Magiſtri mei; cujus magiſterio, ut me ſubtraherem, illudque prorſus obliviſcerer, omnia moliebar; data ſum adjutrix uni ex officialibus domus, quæ me orationis tempore labore occupatam tenebat; quo expleto, quum a Novitiarum magiſtra facultatem peterem omiſſæ orationis tempus repenſandi, increpabar graviter, jubebarque inter laborandum, in Novitiarum domicilio orationis quotidianæ penſum perſolvere: quod & faciebam, nullatenus hoc labore animum meum abſtrahente a ſuavi, quod ſemper augeri ſentiebam, gaudio ac ſolatio. Juſſa ſum ad matutinæ orationis puncta, quæ traduntur, audienda me conferre: quibus auditis, ad lo-

Retrahitur a via orationis extraordinaria: ſed fruſtra.

locum mihi aſſignatum ſcopis verrendum abitura eſſem, ad officium uſque primæ. Eo decantato exigebatur a me ratio orationis meæ, ſeu potius illius, quam ſupremus Magiſter meus in me operabatur. Ego vero, quæ in toto hoc negotio nihil ſpectabam aliud, quam ut obedirem, ex quo ſummam animi voluptatem capiebam, corpore licet laboris defatigationem ægre ferente, ſic poſtea canebam.

Quanto plus amori meo
Soli vero bono meo
In terris obſiſtitur,
Tanto magis e ſupernis
Sedibus hîc ſacer ignis
Emiſſus accenditur.
Hanc a me flammam ærumna
Non nocturna, non diurna
Poteſt unquam tollere.
Quo plus dolebit cor meum,
Eo plus Cor, Chriſte, tuum
Me ſibi vult jungere.

Inſatiabili fame laborabam ignominiarum & mortificationum, licet earum ſenſus, ut erat mea indoles, in me vigeret acer & delicatus. Aſſidue me Supremus urgebat Magiſter meus ad aliqua hujuſmodi poſtulanda; idque mihi mortificationes, & quidem luculentas accerſebat. Quamvis enim illæ quas petebam, mihi tanquam indignæ negarentur, aliæ imponebantur inexpectatæ, tamque repugnantes nativis propenſionibus meis, ut, dum mihi ipſi operoſe XXVII. *Fames ignominiarum & mortificationum.*

 vim

Digitized by Google

vim facere oportebat, non poſſem, quin bonum magiſtrum meum in hunc modum alloquerer: veni in auxilium meum, quandoquidem tu horum cauſa es: qui mihi auxilio veniebat dicens: agnoſce igitur, te ſine me nihil poſſe, neque adeo te ope deſtitui ſinam, modo tu nihilum tuum tuamque infirmitatem in mea fortitudine abſorptam teneas. Unam tantummodo referam illarum mortificationum vires meas ſuperantium, in qua Dominus promiſſi ſui veritatem re ipſa ut experirer effecit. Res eſt a qua perſonæ omnes noſtræ familiæ, tam graviter ſuapte natura abhorrebant, ut frater meus pactis conventis de mea in religionem admiſſione tranſigendis exceperit, ne unquam ad hoc faciendum cogerer: nulloque labore id obtinuit, quum res eſſet ex ſeſe admodum indifferens. Ad hoc ipſum tamen faciendum neceſſe fuit, ut venirem; ſic enim ea de cauſa omni ex parte oppugnata fui, ut jam quid facto opus eſſet neſcirem, quum mihi vitam profundere videretur eſſe facilius quam hujuſmodi vim mihi facere. Ac certe quidem niſi vocationem meam habuiſſem vita ipſa chariorem, tunc potius a religioſo inſtituto deſciviſſem quam opus illud a me expetitum peregiſſem. At renitebar fruſtra, quandoquidem ſupremus Dominus meus hoc exigebat a me ſacrificium mei ipſius, ex quo alia tam multa pendebant. Tres ipſos dies pugnavi tanta violentia, ut miſerationem commoverem, præſertim Novitiarum magiſtræ, apud quam ſtatim accingebam me ad id exequendum, quod illa præſcribebat, deinde

de

Digitized by Google

de animo deficiebam, & propemodum dolore enecabar, quod indolem meam vincere non poſſem. Tum illi dicebam: hei mihi! quidni vita potius me privas, quam ab obedientia deſciſcere ſinis? tum illa: abi, inquit, digna non es hujus virtutis exercitio, & nunc edico ne facias, quod faciendum præſcribebam. Satis mihi fuerunt hæc verba, ſtatim dixi: moriendum, aut vincendum eſt. Me contuli apud ſanctiſſimum Sacramentum conſuetum aſylum meum, ubi tres circiter quatuorve horas in gemitibus lacrymiſque exegi, ut neceſſaria ad me ipſam vincendam fortitudine roborarer. Sic autem orabam: heu, mi Deus, mene dereliquiſti? Itane igitur fiet, ut ſacrificium meum aliquam adhuc exceptionem patiatur, nec in perfecti holocauſti hoſtiam conſumatur? Verum Dominus meus volens, ut mihi poſtea manifeſtavit, ad extrema veluti redactam probare fidelitatem amoris erga ſe mei, divinum amorem adverſus naturæ reniſus in indigna ancilla ſua pugnantem lubens contemplabatur. At denique amor e pugna victor diſceſſit; nullo enim alio delinita ſolatio aut inſtructa telo, quam hiſce verbis: amorem oportet nihil ſibi retinere: veni ad magiſtram Novitiarum, cujus ad pedes in genua procumbens, illam rogavi ut miſeratione tacta, poteſtatem mihi faceret hujus rei, quam a me cupiebat, faciendæ: idque tandem præſtiti, licet nunquam alias graviorem quam tunc experta ſim hujus rei horrorem, qui toties recurrebat, quoties eadem res denuo peragenda occurrebat: idque ſpatio annorum circiter octo, quo

Digitized by Google

toto tempore opus illud exercere perrexi. Tum vero poſt illud ſacrificium mei ipſius, gratiæ omnes ac beneficia ſupremi Domini mei mihi congeminata ſunt, ſicque inundaverunt animam meam, ut ſæpe dicere cogerer: ſuſtine, O mi Deus, torrentem hunc qui me abſorbet, aut animum meum dilatando capaciorem fac illius accipiendi. At vero hîc referre ſuperſedeo omnes illas operationes, purique amoris in animam meam munificas cumulatiſſimaſque effuſiones, quæ erant ejuſmodi ut meis verbis enarrari ſatis non poſſent.

XXVIII. *Novæ oppugnationes inſtante profeſſione.*

Circa quod nova mihi ſuſtinenda fuit oppugnatio inſtante profeſſionis meæ tempore; quum diceretur mihi, ſatis apparere aptam me non eſſe ad hauriendum Viſitationis ſanctæ Mariæ ſpiritum, ab omnibus hujuſmodi viis fallaciæ & illuſioni obnoxiis alienum. Quod continuo communicavi cum ſupremo Domino meo, ſic apud ipſum conqueſta: heu, mi Deus, tu igitur cauſa eris dimiſſionis meæ. Datum eſt reſponſum: Dic Superiori tuæ nihil eſſe timendum, neque de tua admiſſione dubitandum: me tua cauſa ſponſurum eſſe, ac ſi ſolvendo idoneus ipſi videar, me tibi prædem futurum. Quæ quum retuliſſem ad Superiorem meam, juſſit me in datæ fidei pignus ab ipſo petere, ut me redderet utilem ſancto religionis inſtituto accurata illius omnium legum & conſuetudinum obſervatione: cui poſtulato ipſius amantiſſima bonitas ſic reſpondit: ſit ita ut petis, filia, hæc omnia tibi annuo; te enim religioni utiliorem, quam opi-

opinatur, efficiam; ſed modo mihi adhuc ſoli cognito: ac poſtmodum gratias meas ſpiritui tuæ regulæ, tuarum Superiorum voluntati, tuæque ipſius infirmitati accommodabo, ita ut merito ſuſpectum tibi ſit quicquid te ab accurata regulæ tuæ obſervatione avocabit, quam cæteris omnibus, ut anteponas, volo. Mihi præterea non diſplicet ut tuarum Superiorum voluntatem ſequaris, quum vetabunt ne id facias quod ego tibi præſcripſero: ſine, faciant de te quodcunque ipſæ voluerint; non deerit mihi facultas mea conſilia perducendi ad ſuum finem, vel iis ipſis viis quæ in contraria ducere videantur. Unum volo directioni meæ eſſe reſervatum, ſcilicet interiora tua ac præſertim cor tuum, in quo, quum puri amoris mei imperium collocaverim, nunquam aliis quibuſcumque de imperio concedam. Matri noſtræ omnium Superiori, & Novitiarum magiſtræ abunde ſatisfactum eſt his omnibus reſponſis, quorum effecta tam aperte manifeſtata ſunt, ut jam dubitare non poſſent, quin hæc verba a Veritate profecta eſſent. Nulla enim perturbatione affici ſentiebam interiora mea, nec aliud quicquam mihi curæ fuit, quam ut obedirem, quocumque id meo labore præſtandum eſſet. Sed bona de me aliarum exiſtimatio, mihique obſequendi ſtudium intolerabilis martyrii loco mihi erat; idque totum habebam pro juſta pœna peccatorum meorum, quæ mihi tanta eſſe videbantur, ut lubentius latura eſſem quicquid tormentorum poteſt excogitari ad hæc ipſa expianda peccata, divinæque juſtitiæ ſatisfaciendum.

Aſſe-

Digitized by Google

XXIX.
Die profeſſionis in ſponſam a D. Jeſu accipitur.

Aſſecuta igitur tam exoptatum ſanctæ profeſſionis religioſæ bonum, illo demum die a ſupremo Magiſtro meo in ſponſam clementer accepta ſum. Sed eo modo, quem a me verbis exprimi non poſſe ſentio. Hoc unum dicam, Dominum meum agere tunc viſum fuiſſe, tanquam cum ſponſa montis Thabor: quod mihi morte acerbius accidebat, quum me prorſus diſſimilem viderem ſponſo meo, quem in Calvariæ monte plagis deformatum intuebar. At dictum eſt mihi: ſine agam ſingula ſuo quæque tempore: volo enim ut nunc ſis ludibrium amoris mei, qui juxta ſuum beneplacitum te ſibi ludum eſſe vult: oportet itaque ut abnegatam te præbeas cæco quodam modo, nulloque adhibito reniſu, me tuis impendiis mihimet ſatisfacere non ægre ferens: ſed tua iſta abnegatio præmio non carebit. Pollicitus eſt ſe mihi ſemper præſto futurum dicens: parata ſemper eſto ad me accipiendum; volo enim poſthac manſionem apud te facere, ut tecum ſermonem habeam, colloquiaque miſceam: atque me ex illo temporis puncto divina ſua præſentia muneratus eſt, ſed modo mihi antehac inexperto; nunquam enim tanto affecta eram beneficio, ſpectatis iis effectibus, quos deinde in me hujuſmodi gratia operata eſt. Illum mihi proximum videbam, ſentiebam, multoque melius audiebam, quam ſi peracta res eſſet corporeis ſenſibus, qui aliò diſtracti me potuiſſent ab illa præſentia avocare, ſed huic viſioni impedimentum afferre non poteram, quum ea de meo nihil haberet. Id proprii nihili mei ſenſum tam alte im-

Perpetua Dei præſentia muneratur.

Digitized by Google

impreſſit animo meo, ut in ejuſdem nihili abyſſum me veluti dilapſam continuo ſenſerim, unde emergere ab eo tempore non potui, tenente me religione ac reverentia erga infinitam illam magnitudinem, cujus in conſpectu nunquam eſſe voluiſſem niſi prono in terram abjectoque vultu, aut nixa genibus, quod mihi fuit ex tempore illo conſuetum, quantum operum noſtrorum ratio ac debilitas mea ferre potuit: nec enim Dominus quietam me eſſe patiebatur in alia minus venerabunda corporis compoſitione, nec ſedere audebam niſi quum coram aliquis adeſſet, idque quod conſcia mihi eſſem indignitatis meæ, quam mihi ſemper monſtravit eſſe tantam, ut quoties veniendum eſſet in hominum conſpectum, incredibili pudore ſuffunderer; unde fiebat, ut cuperem me in hominum memoria non vivere niſi ad contemtus, humiliationes, & convitia ab ipſis ferenda: unum ſiquidem illud mihi debetur. Et unicus ille amor animæ meæ adeo lætabatur, quum ſic acerbe acciperer, ut mihi ſuperba licet cæteroqui indole & contemtûs impatiente, nullum aliud inter res creatas ſolatium relinqueret, quam tempora illa contradictionum, ignominiarum, & abjectionum, & illas quidem cibum mihi delicatiſſimum eſſe volebat, quo fraudari me paſſus non eſt, nec dicebat, ſatis eſt; imo quod ex rerum creatarum aut mei ipſius parte deerat, ſupplebat ipſe. Verum, O mi Deus, quanto ſenſus acrior me afficiebat, quum tu ipſe manum operi ſpecialiter admoveres: id ſi vellem verbis expri-

Digitized by Google

mere longiori, quam par ſit, enarratione opus eſſet.

Suis me colloquiis dignabatur nonnunquam, ut amicus, aut tanquam amore vehementiſſimo flagrans ſponſus, aut tanquam pater amore vulneratus erga filium ſibi unicum, ſub aliiſque nominibus ac titulis, qui quos effectus in me producerent, dicere ſuperſedeo. Satis erit dixiſſe Dominum mihi in ſe ipſo oſtendiſſe duplicem ſanctitatem, amoris unam, alteram juſtitiæ, ſuo ambas modo ſeveriſſimas; & quæ in me perpetuo exercendæ eſſent. Ita ut prior illa ſanctitas acerbiſſimum quoddam purgatorii genus mihi inflictura eſſet, ad allevandas ſanctas animas piaculari igne cruciatas, quibus pro ſuo arbitrio poteſtatem facturus eſſet Dominus conquirendi ſibi apud me ſubſidii. Quod vero attinet ad ejus ſanctitatem juſtitiæ peccatoribus adeo terribilem & tremendam, ipſa mihi juſtæ ſuæ ſeveritatis ſubeundum pondus imponebat, affligendo me ad noxas pro peccatoribus expiandas, ac pro illis præſertim perſonis quæ Deo Domino ſunt ſacræ, pro quibus, ajebat, oſtendam tibi, ac proprii ſenſus experimento te poſthac docebo, quid te oporteat in amoris mei teſtimonium pati. Sed, O mi Deus, cui compertum eſt, quam ignara ſim & inerudita ad enarranda omnia quæcumque ex illo die, inter tuam ſupremam Majeſtatem, & vilem indignamque ancillam tuam, nunquam otioſis amoris tui, & gratiæ tuæ donis effecta ſunt; fac ut eorum nonnulla, quæ ab humano captu & ſenſu minus aliena ſunt, aliqua ex parte declarare poſſim, quantum ſatis eſſe queat ad oſten-

Deus duplicem in ſe ſanctitatem ei oſtendit.

Digitized by Google

oſtendendum, quam effuſe ultra modum in liberalitate prodierit tuus in tam miſeram indignamque amor.

XXX. *Iterum a via interiori extraordinaria revocatur, ſed incaſſum.*

Quum autem nihil eſſet quod Superiori meæ, & Novitiarum magiſtræ non aperirem, ad ipſas ea etiam referens quæ ſæpe non intelligebam; quumque mihi ſignificaſſent has eſſe vias extraordinarias filiabus Viſitationis Sanctæ Mariæ non conſentaneas, id mihi magnum mœrorem attulit, effecitque ut nullos non adhibuerim conatus reſiſtendi, ut ab hac via me ipſa revocarem; ſed fruſtra: ille enim ſpiritus tanto jam cum imperio dominabatur in ſpiritum meum, ut hunc pro arbitrio regere non poſſem, nec meas item reliquas interiores potentias, quas in illo ſpiritu penitus abſorptas ſentiebam. Quantum in me erat, enitebar, quam edocebar orationis aliorumque exercitiorum normam ſequi; ſed eorum nihil inſidebat animo meo. Legebam fruſtra præſcripta orationis puncta, effluebant omnia ex animo, nec addiſcere aliud quicquam poteram aut retinere, quam quod ſupremus Magiſter meus me docebat; quod mihi amplam patiendi materiam dedit. Laborabatur enim, quantum fieri poterat, in deſtruendis ejus in me omnibus operationibus; in hoc ipſo laborare pro mea parte jubebar, & quantum in me erat, adverſus ipſum pugnabam, obedientiæ præſcripto religioſe obſequens, ut me ſubtraherem ipſius potentiæ, quæ quidem meam reddebat irritam, & apud ipſum conquerebar in hunc modum: O mi ſupreme Magiſter, cur me non relinquis in via or-

Digitized by Google

ordinaria filiarum Viſitationis? Mene in tuam ſanctam domum adduxiſti, ut ibi me perderes? Largire haſce gratias extraordinarias electis illis animabus, quæ & iis obſequentur fidelius, & tibi gloriæ plus dabunt, quam ego, quæ nihil aliud quam reſiſto tibi: amorem tui ſolum & Crucem tuam volo, idque mihi ſatis eſt, ut bona religioſa ſim, quæ eſt omnium votorum meorum ſumma. Et mihi reſponſum datum eſt: Pugnemus, Filia, non detrecto certamen, & videbimus uter victoriam reportaturus ſit, creator ne, an ipſius figmentum, fortitudo an infirmitas, omnipotens an ipſamet impotentia. Sed qui victor diſceſſerit, huic æternum victoriæ jus cedet. Hoc reſponſum ſummo me affecit pudore, in quo quum verſarer, dixit mihi Dominus: ſcito me non offendi omnibus iſtis conatibus quibus mihi repugnas & reniteris ex obedientia, pro qua dedi vitam meam, ſed efficere volo ut intelligas, me ſummo cum imperio & dona mea largiri & creaturas meas regere, nec quicquam fore quod obſtare poſſit, quominus conſilia mea exequar. Quamobrem non ſolum volo ut facias quod tuæ ſuperiores tibi præſcribent, ſed etiam ut eorum omnium, quæ tibi a me præſcribentur, nihil, earum injuſſu, facias; amo enim obedientiam, & mihi ſine illa placeri non poteſt. Id placuit admodum Superiori meæ, quæ ut ipſius Domini poteſtati me totam permitterem juſſit: quod & feci magno cum gaudio, nec minori cum tranquillitate, quam ſtatim experta ſum in anima mea duram veluti

luti tyrannidem paſſa. Tum poſt ſacram communionem petiit a me Dominus, ut ſibi libertatem meam, atque univerſum meum eſſe, ſicut ante jam immolaveram, denuo immolarem: quod ex animo præſtiti; dummodo, ajebam, O mi ſupreme Magiſter, nihil in me unquam extraordinarium hominum oculis manifeſtes, niſi quod plurimum mihi apud ipſos humiliationis & abjectionis afferre poterit, bonæque de me illorum exiſtimationi plurimum detrahere: timeo enim ne te prodam, neve tua apud me dona in tuto non ſint: namque, hei mihi, Deus meus, conſcia mihi ſum infirmitatis meæ. Noli timere, inquit, filia, huic ſecuritati abunde conſulam: meorum enim in te donorum me ipſum cuſtodem præſtabo, efficiamque ut mihi nunquam reſiſtas. Itane vero, O mi Deus, me ſemper ſine dolore ſines? Tum mihi continuo monſtrata eſt Crux prægrandis, cujus extremam partem oculis aſſequi non poteram, ſed floribus omnino cooperta Crux erat. En tibi lectum caſtarum ſponſarum mearum, ubi efficiam, ut conſummes delicias puri amoris mei. Flores iſti ſenſim decident, & ſolæ tibi ſupererunt ſub illis nunc, ob tuam debilitatem, latentes ſpinæ; verum tam acri morſu te pungent, ut tibi tota vis amoris mei futura ſit ad ferendum illum dolorem neceſſaria. Hæc verba ingenti gaudio me affecerunt, ita exiſtimantem, nunquam mihi ſatis fore tolerantiarum, humiliationum, & contemtuum, ad explendam illam, qua ardebam, horum omnium ſitim: nec dolores unquam mihi poſſe acerbiores accidere, quam quos

Libertatem ac ſeipſam totam iterum Domino petente immolat.

Monſtratur ei Crux prægrandis.

Digitized by Google

experiebar eam ob cauſam, quod ſatis acerba non paterer. Ejus enim amor diu noctuque in me operabatur; ſed illæ mihi graves erant deliciæ: Crucem volebam meram & ſolam, eamque ob rem vidiſſem lubens corpus meum pœnitentiis mactatum, & labore, cujus tantum mihi ipſa ſumebam, quantum vires ferre poterant. Nec enim dolore vacua vel temporis puncto vivere poteram: & quanto plura patiebar, tanto magis ſatisfaciebam illi ſanctitati amoris tria in corde meo deſideria accendenti, quibus aſſidue cruciabar, unum patiendi; alterum, ipſum Dominum amandi, & in ſacra Euchariſtia ſumendi; tertium moriendi, ut cum ipſo conjungerer. De tempore ac loco jam ſollicita non eram, ex quo ſupremum Dominum meum adjunctum ubique comitem habebam; quicquid de me ſtatueretur æquo animo intuebar nullamque in partem propenſo; quum mihi prope compertum eſſet, eum qui ſe mihi, nullo meo merito, ſed ex mera bonitate ſua ſic tradiderat, nulla unquam ratione mihi auferri poſſe. Hæc cogitatio quovis in loco tranquillabat animum meum: idque experta ſum quum juſſa fui ſeceſſum ſpiritualium exercitiorum profeſſionis meæ peragere paſcendo aſinam cum ſuo aſello in aſſignata mihi exigua horti parte; quæ mihi occupatio non parum negotii exhibebat. Currebat aſina huc illucque aſſidue, nec mihi ullam quietis partem relinquebat ad ſignum uſque veſpertinum Salutationis Angelicæ: quo dato cænatum ibam. Tum, interea dum Matutinum ex parte canebatur, ad aſellum aſinamque

Jeſum ubique adjunctum comitem habet.

Hujus intimæ conjunctionis effectus mirabilis.

que revertebar in ſtabulum, ut ipſis pabulum darem. Tam bene mihi erat in illa occupatione, ut etiamſi toto vitæ tempore duratura eſſet, minime id graviter latura eſſem: meuſque ſupremus Dominus ibi me tam aſſidua ſua conſuetudine fidus comes dignabatur, ut ab ea concurſationes omnes, quibus neceſſario exagitabar, me non avocarent. Hoc enim ipſo in loco gratias accepi tantas, ut iis pares nunquam experta eſſem. Quod præſertim attinet ad cognitiones mihi tunc ab ipſo injectas de ſuæ ſanctiſſimæ mortis, ac paſſionis myſterio. Sed hæc ſi velim ſcribere in profundum pelagus me immergam, facitque nimiæ prolixitatis metus, ut hæc omnia prætercam. Dicam ſolummodo hinc mihi tantum Crucis amorem injectum eſſe, ut momento temporis vivere nequeam, quin patiar (idque ſilentio, citra omne ſolatium & levamen, citra omnem ab aliis commiſerationem.) Et commoriar illi ſupremo Domino animæ meæ omnium opprobriorum, dolorum, humiliationum, oblivionum & contemtuum pondere oppreſſo: quod perpetuum mihi fuit toto vitæ meæ tempore, quæ ipſius miſeratione in hujuſmodi exercitiis conſumta eſt tota; puri ſcilicet amoris exercitiis: Domino ipſo ſemper procurante, talia mihi abunde ſuppeditari fercula ſibi guſtatu tam ſuavia, ut nunquam dicat, ſatis eſt.

Crucis amor ei injectus.

XXXI. *Chriſti documenta circa animæ puritatem.*

Quodam die ſupremus Magiſter meus hoc mihi documentum dedit: ſcito, inquit, occaſione alicujus culpæ a me admiſſæ, me eſſe ſanctum, & Doctorem ſanctitatis: purus ſum, & leviſſimam maculam ferre

non

non poſſum. Quamobrem agendum tibi eſt in ſimplicitate cordis, cum animi intentione recta & pura in conſpectu meo; neque enim poſſum pati vel minimam ab ea ſimplicitate aberrationem; ac ſi me impulit nimius amor in te meus, ut tuus Magiſter fierem, te docendam, & ad meum arbitrium meaque conſilia conformandam ſuſciperem, compertum tibi faciam intolerabiles mihi eſſe animas tepidas & ignavas; meque quamvis in ferendis tuis infirmitatibus lenem, non minus ſeverum & accuratum fore in tuis infidelitatibus corrigendis, ac puniendis. Quod ut tota vita experirer effecit: poſſum enim confirmare ne unam quidem culpam meam, quæ paulum modo haberet deliberatæ voluntatis aut negligentiæ, ab eo prætermiſſam eſſe incorrectam, aut impunitam; quanquam ſemper in ſua miſericordia & infinita bonitate corripiebat. Nihil tamen, fateor, erat mihi acerbius atque terribilius, quam illum tantiſper mihi ſubiratum videre. Præ illo dolore, quem ex hoc aſpectu capiebam, cæteri omnes dolores, correptiones item & mortificationes nihil erant. Eam ob rem veniebam protinus petitum a Superioribus meis, ut mihi pœnitentias ob meas culpas injungerent: ſic enim mihi impoſitis ab obedientia pœnis ſatis ſibi factum eſſe teſtabatur. Quæ increpabat majori cum ſeveritate erant ea, quæ ſequuntur: defectus reverentiæ & attentionis coram ſanctiſſimo Sacramento, orationis præſertim & officii tempore; vitia minus rectæ minuſve puræ animi intentionis; vana curioſitas; Et, quamvis ejus oculi acutiſſimi vel mi-

Digitized by Google

minimos deprehendant charitatis, aut humilitatis defectus, nec eos ſua gravi increpatione carere ipſe ſinat, nihil eſt tamen quod conferri poſſit cum defectibus obedientiæ ſive erga Superiores, ſive erga regulas, ac demum in anima religioſa ipſi Domino intolerabilis eſt vel leviſſima vox, qua ſe, quominus imperata faciat, adverſus Superiores tueatur cum reluctantis animi ſignificatione. Erras, ajebat mihi, quum te mihi placere poſſe putas hujuſcemodi actionibus, & mortificationibus, quas quum ſibi propria voluntas elegerit, mavult Superiorum voluntatem ad ſeſe pertrahere quam a ſuſcepto conſilio deflectere. Agedum, diſce, hæc omnia a me reſpui tanquam fructus infectos propria voluntate, quæ mihi in anima religioſa horrori eſt; atque adeo mihi gratius eſt, ut illa ſuis omnibus commodis, exiguis illis quidem ex obedientia indulgeat, quam ut corporis afflictationibus & jejuniis ex propria voluntate ſe maceret. Quumque contingebat, ut meopte nutu, & ipſius Domini, aut meæ Superioris injuſſu hujuſmodi mortificationes, ac pœnitentias exercerem, ne patiebatur quidem, ut illas ſibi offerrem, meque impoſita hujus culpæ pœna corrigebat, quemadmodum ob cæteros meos defectus; quos ita emendabat, ut ſua cuique pœna eſſet propria in illo purgatorio, ubi me expurgabat, ut minus indignam redderet divina ſua præſentia, communicatione, & operatione; omnia enim in me operabatur. Quumque quodam die præſcriptum mihi verberationis ſpatium hymni *Ave Maris ſtella* compleviſſem, mihi dixit:

Digitized by Google

Ecce mihi meam portionem; tum pergente me, addidit: en illa, quam nunc proſequeris, portio Dæmonis eſt: quo audito protinus verberatione deſtiti. Alias quum idem exercitium obirem pro Sanctis defunctorum animabus, quæ piaculari igne cruciantur, ut primum volui pergere ultra factam mihi ab obedientia poteſtatem, illæ me circumdedere conquerentes ſe meis verberibus cædi. Id mihi mentem injecit decernendi morituram me potius, quam obedientiæ fines vel tantillum prætergreſſuram. Ac deinde Dominus hujus culpæ pœnam, ut a meipſa repeterem, me monebat. Sed nihil difficile mihi videbatur: quia tunc temporis omnes pœnarum mearum, dolorumque aſperitates adhuc abſorptas tenebat in amoris ſui dulcedine, quam mihi ut ſubtraheret ſæpe ipſum orabam ſupplex; faceretque liberiorem poteſtatem oblectandi meipſam guſtandis amaritudinibus illarum ærumnarum, derelictionum, agoniarum, opprobriorum, & aliorum id genus cruciatuum. Sed mihi reſpondebat, meum eſſe, omnibus ſuis diſpoſitionibus æquo animo nulloque diſcrimine ſubeſſe, non vero ſibi legem dicere. Faciam, ut, temporis progreſſu, intelligas, me ſapientem eſſe animarum directorem: quas novi per vias tutas deducere, quum ſuimet immemores mihi ſeſe totas permittunt.

XXXII. *Favor inſignis ubi Ss. Cordis Jeſu ſecreta ac theſauri primum ei revelantur.*

Die quodam paulo plus otii nacta manendi, ut eram, apud Sanctiſſimum Sacramentum; exiguum enim ſpatium vacuum relinquebatur ab iis occupationibus, quas mihi obedientia injungebat; quum totam

me

me circumſeſſam reperirem divina illa præſentia, ſed tam vehementi cum impreſſione, ut meimet, locique ubi eram oblita, prorſus tradiderim me divino illi ſpiritui, & cor meum illius amoris potentiæ permiſerim, admiſit me Dominus ad recubandum admodum diu ſupra divinum pectus ſuum; ubi prodigia amoris ſui mihi patefecit, necnon inexplicabilia ſacratiſſimi Cordis ſui arcana, quæ me ad hoc uſque tempus celaverat. Tum vero primum aperuit mihi Cor ſuum: ſed tam vere, tamque manifeſte, ut iis effectibus, quos gratia illa in me operata eſt, omnem ea de re dubitandi locum ademerit mihi quæ tamen in iis omnibus quæ geri in me dico, ſemper mihi a deceptione metuo. Sic autem res peracta eſſe mihi videtur. Dixit mihi Dominus: divinum Cor meum tanto ardet amore erga homines, atque adeo erga te nominatim, ut flagrantiſſimæ charitatis ſuæ flammas intra ſe continere jam non valens, eas tua opera effundere velit, ſeque illis manifeſtare, ut iis diteſcant, quos tibi aperio, pretioſis theſauris, qui ſanctitatis & ſalutis gratias continent ad ipſos e perditionis barathro revocandos neceſſarias. Teque tanquam indignitatis & ignorantiæ abyſſum elegi, ad magni hujuſce conſilii executionem procurandam, ut mihi tanquam uni illius auctori omnia tribuantur. Deinde ipſe cor meum a me petiit, quod ut acciperet, eum ſupplex rogavi: accepit, & in ſuo Corde adorando illud collocavit: ubi mihi monſtravit illud inſtar exiguæ atomi, quæ in illa fornace conſumebatur; ex qua extractum tanquam arden-

Digitized by Google

tem flammam ad cordis modum conformatam, repoſuit illud in loco unde ſumſerat, dicens: ecce tibi, dilecta mea, pretioſum pignus amoris mei, qui pectori tuo inſerit unam ſcintillulam ſuarum flammarum ardentiſſimarum, ut tibi cordis loco ſit, teque ad extremum uſque ſpiritum conſumat, & cujus ardor non extinguetur, nec refrigerationem invenire poterit, niſi aliquantulum in emiſſione ſanguinis tui, quem ita inſpergam ſanguine Crucis meæ, ut tibi remedium illud plus humiliationis, ac doloris allaturum ſit, quam levaminis. Quamobrem volo, ut illud remedium cum ſimplicitate petas: tam ut id obſerves, quod vobis ex obedientia præſcriptum eſt, quam ut ſolatio fruaris fundendi ſanguinis tui ſuper crucem humiliationum. Quodque argumento tibi ſit, inſignem gratiam quam tibi modo contuli non eſſe imaginationis tuæ hallucinationem, eamque fundamentum eſſe earum omnium, quas tibi poſthac ſum collaturus, quamvis lateris tui vulneri cicatricem obduxerim, illius dolor tibi perpetuus relinquetur. Si autem hactenus tibi ſumſiſti tantummodo nomen ancillæ meæ, nunc tibi nomen impono, dilectam ſacrati Cordis mei diſcipulam. Poſt beneficium tam inſigne protractumque tam longo temporis ſpatio, quo toto neſciebam, in terriſne poſita, an in Cœlum translata eſſem, complures dies manſi velut accenſa tota & inebriata, ſicque impos animi, ut ad me ipſam revocare me non poſſem ad verbum vel unum proferendum, niſi vim mihi ipſa facerem, tantaque erat opus violentia ad

re-

Digitized by Google

recreationem, cibumque capiendum, ut in ſuperanda difficultate quam patiebar, vires meæ totæ exhaurirentur, quod me multum humiliabat. Et ſomnum capere non poteram: hæc enim plaga, cujus adeo mihi pretioſus eſt dolor, præ vehementibus, quibus me urget ardoribus, conſumit me, facitque ut viva prorſus ardeam; ſicque Deo plenam me eſſe ſentiebam, ut Superiori meæ rem declarare non poſſem ſicuti voluiſſem, & uti reipſa feciſſem, quantumcumque doloris ac pudoris afferat mihi harum gratiarum declaratio, ob meam magnam indignitatem, ob quam optatius mihi fuiſſet millies peccata mea omnibus aperire, quod magno cum ſolatio feciſſem, ſi licuiſſet; lubentiuſque alta voce confeſſionem meam generalem coram omnibus legiſſem in triclinio, ad oſtendendam ingentem, quæ in me eſt, improbitatis vim, ut mihi gratiarum quas accipiebam nihil attribueretur.

Illa de qua modo dixi, loquendo de meo lateris dolore, iterabatur mihi primo quoque die veneris ſingulorum menſium. Iterabatur autem in hunc modum Cor illud ſacratiſſimum repræſentabatur mihi inſtar ſolis conſpicua luce collucentis, cujus radii plane ardentes recta ferebantur in cor meum, quod continuo tam ardenti igne inflammatum ſe ſentiebat, ut mihi viderer mox redigenda in cineres. Atque eo potiſſimum tempore ſupremus ille Magiſter me docebat, quid a me exigeret, ſuique amabilis Cordis arcana mihi manifeſtabat. Et quodam die, quum me colligi totam intra me ſenſiſſem, omnibus ſenſibus & po- XXXIII. *Prædicti favoris renovatio ſingulis menſibus.*

tentiis extraordinario quodam modo ad interiora revocatis, Jeſus Chriſtus dulcis Magiſter meus ſe mihi exhibuit totum gloria circumfulgentem, cum ſuis quinque plagis quinos ſoles lumine adæquantibus, cujus e ſacra humanitate flammæ undique prorumpebant, ſed præſertim ex ejus adorando pectore, quod fornax eſſe videbatur, quodque quum aperuiſſet ſeſe, manifeſtavit mihi Cor ſuum totum amans, totum amabile, unde tanquam ex vivo fonte flammæ illæ prodibant. Tum vero inexplicabilia puri amoris ſui prodigia mihi reſeravit, oſtenditque quouſque nimia chariras ſua progreſſa eſſet in amandis hominibus, a quibus nihil niſi immemoris ingratique animi teſtimonia referret: quod multo me acerbius affligit, ajebat ipſe, quam quicquid dolorum tuli in paſſione mea: quandoquidem ſi amori meo aliqua ex parte reſponderent, parum mihi eſſe videretur quicquid pro illis egi. Sed meam omnem ſtudioſam erga ipſos beneficentiam non niſi languore, neglectu faſtidioque ſuo rependunt. At ſaltem tu hoc mihi officium præſta, ut ipſorum ingrati animi vitium, quantum erit in te, compenſes. Quumque meam impotentiam excuſarem, mihi reſpondit: Accipe, en tibi, unde quicquid tibi deeſt, ſupplere poſſis: eodemque temporis puncto, quum illud divinum Cor aperuiſſet ſeſe, erupit inde tam ardens flamma, ut ea me mox abſumtum iri putaverim; penetravit enim per me totam, neque jam illi ferendæ par eram; quum oravi ipſum, ut miſereretur infirmitatis meæ. Ego ero, inquit, fortitudo tua; noli timere, ſed attende

Digitized by Google

de voci meæ, & his quæ a te requiro, ut ad meorum conſiliorum executionem te præpares. Primum in ſanctiſſimo Sacramento me ſuſcipies, quantum tibi per obedientiam licebit, quantumcunque inde mortificationum, & humiliationum in te redundet, quas quidem tanquam amoris mei pignora accipere debes. Præterea ſacram Euchariſtiam ſumes primo quoque die veneris cujuſque menſis; ſingulis autem noctibus feriæ quintæ ac ſextæ communibus, participem te faciam mortiferæ illius agoniæ ac triſtitiæ, quam in horto olivarum pati volui. Quæ triſtitia te ad quandam agoniam adiget, quam animo comprehendere non poteris, morte ipſa graviorem. Atque ut mihi comes adjuncta ſis in illa humili oratione, quam inter meas omnes anguſtias patri tunc obtuli, e lecto ſurges inter horam noctis undecimam & duodecimam, ut mecum procidas in faciem, ſicque unius horæ ſpatio humi proſtrata perſeveres, tum ad divinam iram placandam implorandâ pro peccatoribus miſericordiâ; tum ad levandam quodammodo illam, quam ex Apoſtolorum meorum derelictione ſentiebam, amaritudinem, quæ fecit, ut illis exprobrarem, non potuiſſe illos una hora vigilare mecum: ac per illam horam id facies, quod te docebo. Sed audi Filia, noli omni ſpiritui credere, aut ex levitate confidere, Satanas enim rabida te decipiendi cupiditate ardet: quamobrem nihil facias, niſi ex eorum aſſenſu, qui te regunt, ut authoritate obedientiæ freta contra illius deceptiones in tuto ſis; nihil enim poteſt adverſus obedientes. Toto hujus communi-

ni-

Digitized by Google

nicationis tempore vix mei ipſa memor eram, quidve de me factum eſſet ſciebam: quum una e ſororibus inde me revocavit; & quod reſponſum dare, ac ne pedibus quidem inſiſtere, niſi admodum ægre, non poſſem, ducta ſum ad matrem Superiorem noſtram, quæ me deprehendens a ſenſibus quodammodo alienatam, toto exardeſcente corpore ac contremiſcente, in genua procumbentem increpavit totis viribus, humiliavitque: ex quo ſinceram voluptatem capiebam, incredibilique afficiebar gaudio. Meorum enim peccatorum mihi conſcia tanto ſuffundebar pudore, ut quantumvis acerbe accipi me contingeret, mitius quam pro meritis, me accipi arbitratura eſſem. Quum autem ea quæ geſta erant, ſummo licet cum pudore narraſſem Superiori, gravius adhuc humiliare me denuo incœpit, nihil ex iis, quæ Dominum noſtrum a me requirere putabam, mihi tunc annuens, & quicquid ipſi dixeram contemtim reſpuens. Id mihi magno fuit ſolatio, magnaque cum pace diſceſſi.

XXXIV. *Morbus ex amore divino conceptus.*

Protinus ignis, qui me exedebat, vehementem febrim continuam mihi accerſivit; ſed erat mihi pati delectabilius, quam ut morbum meum quærimoniis ſignificarem. De eo itaque verbum non ante feci, quam me vires defecere. Tunc inſpecto morbo medicus cognovit eo jam diuturno me laborare, febris tamen acceſſiones adhuc plus ſexaginta conſecutæ ſunt; nec unquam tantum conſolationum experta ſum: toto namque corpore meo ſummis affecto doloribus, paulum levabatur ea, qua ardebam, patiendi ſitis. Ille quippe ignis

Digitized by Google

ignis devorans non alebatur & ſatiabatur alio quam ligni Crucis pabulo; omnis ſcilicet generis afflictionibus & mortificationibus; nec ullum unquam dolorem experiebar tantum, quantum capiebam ex eo, quod ſatis multa ſatiſve acerba non paterer. Ex eo morbo moritura exiſtimabar; ſed Dominus noſter ſuas erga me gratias non intermittens, hanc mihi gratiam contulit ſenſuum viriumque defectionem aliquando patienti: tres perſonæ adorandæ Trinitatis ſeſe mihi exhibentes, magnis conſolationibus affecerunt animam meam; ſed quid tunc geſtum ſit, verbis explicare non poſſum; niſi quod Pater æternus ingenti admodum mole Crucem mihi offerens totam ſpinis inhorreſcentem, una cum cæteris omnibus Paſſionis inſtrumentis, hæc dicere mihi viſus eſt: accipe, Filia, idem tibi munus confero, quod dilecto Filio meo contuli. Ego vero, inquit mihi Dominus meus Jeſus Chriſtus, huic Cruci te affigam, ſicut ipſe Cruci affixus fui, fidumque ibi comitem tibi me præbebo. Tertia autem harum adorandarum perſonarum mihi dixit, a ſe, qui totus eſſet amor, ibi me expurgatum & conſumtum iri. Relicta eſt animæ meæ pax magna, gaudiumque incredibile; ſpecies enim, quam tres illæ divinæ perſonæ impreſſerunt animo meo, nunquam deleta eſt. Mihi repræſentatæ ſunt ſub imagine trium adoleſcentum alba indutorum veſte, omni ex parte ſplendentium, ætate, magnitudine ac pulchritudine coæqualium. Non intellexi tunc, ut poſtea feci, quantum id mihi afflictionum præſignificaret. Quumque

Viſio ſanctiſſimæ Trinitatis.

Digitized by Google

Sanitati a B. Virgine reſtituitur.

juſſa eſſem orare Dominum, ut mihi ſanitatem redderet, hanc ab eo petebam, ſed metuens ne me exaudiret. At dictum eſt mihi ſanitatis meæ reſtitutionem argumento futuram eſſe, utrum a Spiritu Dei eſſent omnia illa, quæ fiebant in me; illoque edito veritatis indicio, poteſtatem mihi factum iri tam ſuſcipiendæ ſacræ Euchariſtiæ, quam vigilandæ illius horæ, quæ mihi ab ipſo præſcripta erat. Hæc omnia Domino quum ex obedientia expoſuiſſem ſupplex, ſanitati omnino, ut petebam, reſtituta ſum. Nam bona Mater mea beatiſſima Virgo, quum ſuo me dignata eſſet conſpectu, inſignibuſque demulſiſſet blanditiis, poſt longum ſatis colloquium, hæc mihi dixit: animum accipe, dilecta Filia mea, in ea ſanitate, quam tibi Filii mei nomine reſtituo; grandis enim adhuc tibi reſtat & ardua via peragenda, quam conficies ſemper affixa Cruci, clavis & ſpinis perforata, flagriſque conſciſſa. Verum noli timere, non deſeram te, meamque tibi protectionem ſpondeo. Cujus promiſſionis effectum egregie deinceps ſenſi, in magna, quam experta ſum, illius protectionis neceſſitate.

XXXV. *Quid efficeret in ejus anima Dei ſanctitatis impreſſio.*

Pergebat Dominus meus id mihi muneris impertiri, ut præſentiam ſuam in ſingula momenta, eamque minime dubiam experirer, quod mihi perpetuum fore promiſerat: neque adeo illâ me privabat ob ullam ex iis culpis, quas admittebam. Sed quum ejus Sanctitas nullam maculam ferre poſſit, & quum ipſe mihi ponat ob oculos vel minimam imperfectionem meam, in quam paulum modo deliberationis, aut negli-

gligentiæ irrepſerit; quumque ita imperfecta ſim & miſera, ut multa peccem, licet non omnino voluntaria, fateor intolerabile mihi ſupplicium eſſe ipſius divinæ ſanctitatis oculos ſuſtinere, quum aliqua in re infideliter egi. Nullum eſt ſupplicii genus quod non lubentius ſubirem, quam ſuſtinerem præſentiam Dei hujus Sancti, poſtquam novæ alicujus culpæ maculam anima mea contraxit; levius eſſet mihi millies in ardentem fornacem præcipitem ruere. Quodam die, quum inter loquendum de me ipſa, obortum aliquem vanæ gloriæ ſenſum non compreſſiſſem, O mi Deus, quantum lacrymarum & gemituum hæc mihi culpa peperit! ſcorſum enim & privatim cum ipſo agentem me objurgàvit auſtero vultu in hæc verba: Quid habes, O pulvis & cinis, unde gloriari poſſis? Quandoquidem ex te aliud habes nihil quam miſeriam & nihilum, quod ſicut oblivíſci nunquam debes, ita nec unquam ex nihili tui abyſſo te proripere; ac ne faciat magnitudo donorum meorum ut obliviſcaris id quod es, volo tuam ipſius imaginem tibi ob oculos ponere. Ac protinus horribilem hanc imaginem mihi expoſuit, ubi in anguſtam veluti tabellam contractum erat totum id quod ſum: quod me adeo commovit, tantumque mihi injecit horrorem mei, ut niſi me Dominus ſua mànu ſuſtentaſſet, præ dolore, animo defectura eſſem. Nec enim poteram animo comprehendere nimiam illam bonitatem & miſericordiam, quæ nondum in inferna præcipitem me dediſſet: imo me pateretur adhuc, quum ferre me ipſa non poſſem. Quum-

Digitized by Google

que hujuſmodi ſupplicio puniret leviſſimos in me vanæ gloriæ motus, id quandoque efficiebat ut ipſum ſic alloquerer: O mi Deus, aut mihi vitam, aut hujuſce imaginis aſpectum adime; nec enim vivere poſſum, ſi illam videro. Mihi enim infligebat intolerabiles pœnas odii, & propriæ adverſus me ipſam vindictæ. Et obedientia non ſinente ut in me ipſa exercerem aſperitates, quas ille mihi ſuggerebat aſpectus, quantum inde doloris haurirem, non poſſum explicare. Quumque ſcirem huic ſupremo Domino animæ meæ ſatis eſſe factum, ſi ea exequerer, quæ mihi obedientia præſcriberet, ipſique ſingulari voluptati eſſe, quum humiliatam me cerneret; eam ob rem fidelis eram in culpis meis accuſandis, ut mihi ob illas pœnitentia imponeretur: quæ quantumvis eſſet aſpera, levis refrigerationis loco mihi erat, præ illa, quam infligebat Dominus ipſe, vitia deprehendens in eo etiam, quod puriſſimum, perfectiſſimumque eſſe videretur. Hoc ipſum eſt quod mihi Dominus compertum fecit quodam die feſto Sanctorum omnium, quum diſtincte has voces audivi: nihil inquinatum in innocentia: nihil amittitur in potentia: nihil tranſit in hac præclara manſione; hîc omnia conſummantur in amore. Quæ mihi tradita fuit, horum verborum interpretatio dudum animum meum occupatum tenuit. Nihil inquinatum in innocentia: id ſibi volebat, mihi non eſſe committendum, ut in anima mea, aut corde meo macula ulla reſideret. Nihil amittitur in potentia: hoc eſt, debere me omnia Domino meo tradere

&

Digitized by Google

& permittere, qui quum ſit ipſamet potentia, non eſſet paſſurus ullam jacturam ab eo fieri, qui omnia ipſi traderet & permitteret. Duæ reliquæ ſententiæ de Paradiſo intelligendæ veniebant, in quo nihil eſt quod tranſeat, quum ſint omnia æterna; & in quo omnia in amore conſummantur. Quumque mihi exiguum monſtratum eſſet illius gloriæ ſpecimen, proh ſancte Deus, quanto exultavi gaudio, quantus in me deſiderii æſtus hinc exarſit! totum hunc diem qui in meorum exercitiorum ſpiritualium tempus incidebat, in hiſce inexplicabilibus voluptatibus exegi, quas guſtatura ne mox evolarem, nihil eſſe videbatur, quod me jam morari deberet. Sed longe me opinione falli, hæc quæ mihi dicta ſunt verba oſtenderunt.

Fruſtra ſuſpirat cor tuum
Ut mox intres in hoc regnum,
Huc recte non aſpirabis
Niſi via ſanctæ Crucis.

Deinde quum mihi oſtenderetur quicquid in totius vitæ meæ decurſu mihi tolerandum incumberet, infremui toto corpore, licet illud tunc non ita intelligerem, ut poſtea ipſa re intellexi.

Præparanti mihi Confeſſionem annuam, & magna cum anxietate peccata mea in memoriam revocanti, dixit ſupremus Magiſter meus: cur te excrucias, fac quod in te eſt, cætera ipſe ſupplebo; nihil enim in hoc Sacramento tam requiro, quam cor contritum & humiliatum, quod ex ſincera voluntate mihi nunquam diſplicendi accuſet ſe citra omnem ſimulationem. XXXVI. *Monitum divinum contra anxietatem in Sacramento Confeſſionis.*

Digitized by Google

nem. Tunc ignoſco ſine cunctatione, indeque per-fecta conſequitur morum emendatio.

XXXVII. *Spiritus Chriſti ſummum in ejus animam imperium.*

Quum ſupremus ille Spiritus qui operabatur in me ſine me, tantum dominatum exerceret in totum eſſe meum ſpirituale, atque etiam corporeum, ut jam nullum, niſi ex ipſius nutu, gaudii triſtitiæve motum in corde meo excitare, nulla cogitatione animum meum occupare poſſem, niſi quam ipſe immiſiſſet: hinc factum eſt ut magno ſemper in timore verſata ſim, ne in Dæmonis illuſiones incurriſſem; quantumvis rem ita non eſſe mihi aſſeveratum ſit, ſive ab eodem illo Spiritu, ſive ab iis qui me in vita ſpirituali regebant, videlicet meis Superioribus. Porro ille Spiritus directores mihi dederat ſolummodo, ut judicium facerent de ſuo in me agendi modo, quem probandi aut improbandi amplam ipſis poteſtatem faciebat: qua in re id dolebam, quod me adeo non retraherent ab ea, in qua verſari me putabam illuſione, ut potius in eam altius immergerent, ſive Confeſſarii, ſive alii; quum monerent ut hujuſce Spiritus potentiæ me dederem, citraque omnem exceptionem ejus ductui totam me permitterem; dicerentque mihi deſinendum non eſſe ejus motibus obſequi, etiamſi, ut putabam, Dæmonis ludibrium me eſſe vellet. Annuam igitur meam confeſſionem feci: qua peracta mihi ipſa videbar ſpoliata eſſe, ſimulque indui veſte alba, his vocibus adjectis: ecce veſtem innocentiæ, qua induo animam tuam, ut jam non vivas aliâ quam hominis Dei vitâ, hoc eſt, ut vivas quaſi non vi-

Digitized by Google

vivens, ſed me vivere in te ſinens; ego enim ſum vita tua, nec vives poſthac niſi in me & per me, qui volo ut agas quaſi non agens amplius, me ſcilicet in te, & pro te agere atque operari ſinens, omniaque curæ meæ committens: nunc voluntatem habere debes, tanquam non habens, mihique hanc curam ſemper & ubique relinquere, ut pro te velim.

Quodam die unicus ille amor animæ meæ ſeſe mihi obtulit altera manu geſtans pictam effigiem vitæ omnium quas ſibi animo fingere perſona religioſa poſſit, feliciſſimæ, perpetua videlicet pace, & internis externiſque conſolationibus affluentis, cum firma valetudine, accedente bona hominum exiſtimatione & plauſu, nec non aliis rebus naturæ placentibus: altera vero manu aliam geſtabat effigiem vitæ omnino pauperis & abjectæ, omnis generis ignominiis, contemtibus & contradictionibus Crucifixæ, ſemperque & animo & corpore aliquid tolerantis incommodi. Tum binas illas imagines mihi offerens dixit: elige, Filia, utram malueris: utramvis eligas, eaſdem tibi gratias conferam: tum ad ejus pedes me abjiciens ut ipſum adorarem, reſpondi: O Domine mi, nihil volo niſi te ſolum, & id quod ipſe pro me eliges, Quumque mihi valde inſtitiſſet, ut eligerem, ſufficis mihi, ajebam, O mi Deus, fac pro me quod majorem tibi gloriam allaturum eſt, nulla habita utilitatum mearum commodorumque ratione: tibi ipſe ſatisfacias, & mihi ſatis eſt. Tunc mihi dixit, me, cum Magdalena, optimam partem elegiſſe, quæ a me non eſſet

XXXVIII. *Optio ei datur vitæ in terris beatæ aut crucifixæ.*

ſet

ſet auferenda : quandoquidem ipſe hæreditas mea futurus eſſet in æternum. Et mihi offerens hanc pictam vitæ crucifixæ tabellam, en, inquit, id quod tibi elegi, quodque mihi placet magis, tum ad meorum conſiliorum plenam executionem, tum ad te reddendam mihi conformem. Illa altera vita eſt plenæ poſſeſſionis, non vero meriti; reſervanda proinde eſt æternitati. Accepi mihi hanc effigiem mortis & crucifixionis, manum, quæ mihi illam offerebat, deoſculata, & fremente licet natura, illam cordis affectu quam poteram tenerrimo amplexa ſum; quumque eamdem pectori meo apprimerem, tanta vi illam mihi imprimi ſenſi, ut ipſa mihi viderer nihil eſſe aliud, quam coalitum quidpiam ex iis omnibus quæ in illa imagine expreſſa videram; ſicque animus meus eſt immutatus, ut me ipſa non agnoſcerem. Sed hæc omnia permittebam judicio Superioris meæ, quam celare nihil poteram: nihilve eorum, quæ mihi injungebat, omittere; dummodo ab ipſa, nullius alterius perſonæ interventu, præſcriberentur. Hic autem Spiritus, qui me poſſidebat, ſtupendum mihi horrorem injiciebat, earum rerum, quas ipſa alterius ſuaſu mihi præcipiebat, ſiquando alienis conſiliis regere me vellet; quia promiſerat mihi ſe illius mentem illuſtraturum, quantum eſſet ſatis, ut ipſa me convenienter ſuis divinis conſiliis dirigeret.

XXXIX. *Satanæ tentanda traditur.*

Quum autem gratiæ maximæ, quas ab ipſius bonitate accipiebam, ſacræ communionis tempore mihi impertirentur, & ea nocte quæ agitur a feria quinta ad

ad ſextam; quo tempore inexplicabilibus beneficiis afficiebar, accidit aliquando ut Domini voce monerer, expetitam me fuiſſe a Satana, ut probarer cujuſvis generis contradictionibus, humiliationibus, tentationibus, & derelictionibus, ſicut aurum probatur in fornace, factamque eſſe Satanæ illarum omnium probationum liberam poteſtatem, uno excepto tentationis genere, quod ad luxuriæ vitium pertinet, quo in genere nolebat Dominus ut mihi unquam a tentatore moleſtia exhiberetur; quod ab eo vitio tam vehementer abhorreret, ut ne minimum quidem circa illud tentari ſe voluiſſet. Verum adjiciebat Dominus, a cæteris omnibus tentationibus cavendum mihi eſſe diligenter, præſertim a tentationibus ſuperbiæ, deſperationis, & gulæ quam gravius morte ipſa horrebam; aſſeveravit tamen nihil mihi eſſe metuendum, quandoquidem futurum ſe polliceretur in medio mei tanquam propugnaculum inexpugnabile, ac pro me pugnaturum, ceſſurumque in præmium victoriarum mearum, atque ſuam mihi potentiam circumpoſiturum, ne ſuccumberem; at mihi aſſidue invigilandum eſſe curæ totius exterioris hominis: ſibi vero interiora mea curæ fore. Nec ita multo poſt audivi minas oppugnatoris mei, qui mihi objectus ſub ſpecie horribilis Mauri, oculis binarum inſtar prunarum ardentibus, dentibuſque adverſum me infrendens: maledicta, inquit, non effugies, ac ſi ſemel poteſtati meæ mancipatam te habuero, ſenties profecto quid poſſim: ubique tibi nocebo. Et quanquam alia

Digitized by Google

multa mihi minabatur, nihil timebam tamen; uſque adeo firmis præſidiis intus roborari me ſentiebam: ac ne omnes quidem inferni furores terrorem mihi injecturi eſſe videbantur, ob præcipuam quandam vim quam ineſſe ſentiebam exiguæ imagini Chriſti Crucifixi, cui Chriſtus ipſe ſupremus liberator meus virtutem dederat abigendi à me omnes illos tartareos furores. Imaginem illam ſemper cordi meo admotam diu noctuque geſtabam; unde multa mihi auxilia provenerunt. Domeſtici valetudinarii curandi officium accepi, ubi Deo ſoli notum eſſe poteſt, quantum dolorum laborumque tulerim, ſive ab indole mea præfervida & ad moleſtiæ ſenſum tenera, ſive ab hominibus, ſive a Dæmone, qui poſtquam me impulerat ſicque proſtraverat, ut frangerem quicquid habebam præ manibus, mihi nonnunquam cum cachinnis coram illudebat. Heus, ajebat, omnis expers induſtriæ, nunquam quicquam recte facies? Quod ſic animum meum affligebat dejiciebatque, ut neſcirem quid conſilii caperem. Sæpe enim mihi poteſtatem adimebat, rem declarandi Matri noſtræ Superiori, quia obedientia omnes ipſius vires frangebat, & diſſipabat. Die quodam e ſupremis ſcalis me impulit in præceps habentem præ manibus gabatam teſtaceam plenam prunis, quarum nulla pars effuſa eſt; quumque ad infimas delapſam ſcalas me comperi, nihil mali paſſam me deprehendi, quamvis eæ quæ labentem me viderunt, crura mihi confracta eſſe exiſtimarint. Sed fidum cuſtodem Angelum meum ſenſi excipientem

Angeli Cuſtodis præſentia fruitur: & ab eo de defectibus corripitur.

tem me: ea enim gratia mihi ſæpe conferebatur ut ipſius aſpectu frueret ab eoque increparer & corrigerer. Quum aliquando immiſcuiſsem me ſermonibus de matrimonio cujuſdam cognatæ meæ, id mihi oſtendit tam indignum eſſe anima religioſa, tamque graviter propterea me objurgavit, ut dixerit, ſi unquam poſthac talibus negotiis me admiſcerem, ſe mihi faciem ſuam abſconſurum. Ferre non poterat leviſſimam immodeſtiam aut reverentiæ defectum coram ſupremo Domino meo, cujus in conſpectu ipſum humi proſtratum videbam, quod & a me fieri volebat; faciebam autem quam ſæpiſſime poteram, & ad meos levandos tam animi, quam corporis perpetuos dolores, nullam corporis compoſitionem reperiebam aptiorem; quia hæc erat una ex omnibus maxime conſentanea nihilo meo, quod aſſidue præ oculis habebam, eo velut abyſſo quadam, ſemper abſorptam me ſentiens, ſive tempus eſſet patiendi, ſive fruendi; quo etiam tempore nullam voluptatem guſtare poteram. Illa enim amoris ſanctitas ita me urgebat acriter ad mutuam gratiam ipſi, aliquid patiendo, referendam, ut gratior nulla mihi quies eſſe poſſet, quam ſi corpus meum omni pœnarum genere oppreſſum ſentirem, animum omni genere derelictionum afflictum, ac totum eſſe meum immerſum ignominiis, contemtibus & contradictionibus, quas mihi deeſſe divina miſeratio non ſinebat: nec enim momentum temporis his ærumnis mihi vacuum abire patiebatur, quo non aliquod externum aut internum

Digitized by Google

incommodum me affligeret. Quum ſalubris illius panis copia minor ſuppetebat, aliunde mihi erat mortificatione conquirendus, cujus materiam indoles mea ad ſuperbiam impatientiamque proclivis abunde mihi ſuppeditabat. Ac ne unam quidem talis mortificationis occaſionem prætermittere me patiebatur Dominus meus: id ſi quando mihi contigerat negle-xiſſe, ob ingentem, quo afficiebar, hujuſmodi mortificationum horrorem, faciebat plane Dominus meus ut duplum rependerem. Quoties autem aliquid a me omnino fieri volebat, inſtabat mihi tam acriter ut cedendum tandem eſſet. Qui mihi fons multorum dolorum fuit: quod ſæpe conatus meos ad obſiſtendum adhibuerim, quum Dominus me probaret ea parte, quæ repugnabat maxime indoli meæ, & nativis propenſionibus adverſabatur, contra quas directo gradu jugiter ut incederem volebat.

XL. *Senſuum ac ſui ipſius inſignis victoria.*

Tam delicatula eram, ut vel leviſſimæ ſordes nauſeam mihi moverent. Tam graviter de hoc vitio me increpavit, ut aliquando me comparans ad abſtergendum ægrotæ vomitum, facere non potuerim, quin illum lingua abſtergerem, atque adeo comederem: his verbis Dominum meum alloquens: ſi mille mihi eſſent corpora, mille amores, mille vitæ, hæc omnia ultro immolarem, ut tibi mancipata eſſem. Tum vero tantum deliciarum in illa actione guſtavi, ut quotidie ſimiles occaſiones mihi offerri voluiſſem, ut ſolo teſte Deo diſcerem me vincere. Sed ejus bonitas, cui uni debebam acceptam referre fortitudinem, qua me ipſa

Digitized by Google

ipſa viceram, mihi tamen teſtata eſt, quantum voluptatis ex hac mea victoria cepiſſet. Nocte enim, ni fallor, proxime conſequenti, duas treſve circiter horas os meum tenuit applicitum vulneri ſacratiſſimi ſui Cordis, eſſetque mihi admodum difficile explicare quid tunc ſenſerim, quidve tunc illa gratia in anima mea & corde meo operata ſit. Sed hæc ſatis ſint ad oſtendendam magnam vim bonitatis & miſericordiæ Dei mei in adeo vilem perſonam: nolebat tamen minuere teneritudinem meam ad doloris ſenſum, nec vehementem difficultatum horrorem, non ſolum ut honorem per me exhiberi faceret horrori illi, quem ipſe in horto olivarum experiri non renuit, ſed etiam ut mihi victoriæ atque humiliationis materiam præberet. Verum, hei mihi! fidelis non ſum, & ſæpe cado, idque aliquando libenti animo permittere videbatur, cùm ad retundendam ſuperbiam meam, tum ad me ſtabiliendam in mei ipſius diffidentia quum ſcilicet animadverterem ſine ipſo me nihil poſſe niſi perpetuis lapſibus malum perpetrare, unde ipſa emergere non poſſem. Et tunc temporis ſupremus ille Dominus animæ meæ veniebat in auxilium mihi, & tanquam bonus paſtor amoris ſui brachia mihi protendebat, dicens: agnoſcis igitur te ſine me nihil poſſe: quod me colliquefaciebat grati animi ſenſu erga ipſius amantiſſimam bonitatem; quæ mihi uberrimas eliciebat lacrymas, quod ipſum viderem non aliter ulciſcentem peccata mea, quam nimiæ caritatis effuſionibus; quibus certare videbatur cum ingrati animi mei infi-

Digitized by Google

delitatibus, quas nonnunquam ſic mihi ob oculos ponebat una cum gratiarum ſuarum multitudine, ut mihi poteſtatem adimeret, ipſum alia quam lacrymarum mearum voce alloquendi, idque cum doloris ſenſu ſupra quam poſſim dicere vehementi. Quodam die, quum aliquantum nauſeans miniſtraſſem ægrotæ cuidam diſenteria laboranti, tam gravem ea de re increpationem ab ipſo accepi, ut laſanum exportans, adactam me, hujus culpæ ſarciendæ cauſa, ſenſerim ad linguam longo temporis intervallo intingendam in eas ſordes, quas ægrota egeſſerat, & ad buccas iiſdem implendas. Deinde Domino familiariter ac benigne improperanti quod talia facerem, reſpondi: O Domine mi, id facio ut tibi placeam, divinumque Cor tuum mihi devinciam, illudque a te conſecuturam me ſpero: at tu, mi Domine, quid non egiſti ut tibi hominum corda devincires, quæ tamen ipſi præbere tibi nolunt, & ex quibus ſæpe te expellunt? Fateor, filia, eo me amoris vi impulſum eſſe, ut omnia pro ipſorum ſalute devoverem: quamvis amori meo, grati animi ſignificatione, non reſpondeant; ſed volo ut ex ſacratiſſimi Cordis mei meritis penſes ingratum ipſorum animum; volo tibi dare hoc ipſum Cor meum.

Alia ejuſdem generis heroica mortificatio.

XLI.

Deſtinatur in victimam juſtitiæ divinæ pro peccatis unius religioſæ familiæ.

Prius autem neceſſe eſt ut te præbeas ipſius victimam immolationis, ad avertendam, ipſo deprecatore, ultionem, quam divina irati Patris mei juſtitia parat adverſus unam religioſam familiam, quam pro ſua juſta indignatione objurgare vult & punire. Et eodem tem-

temporis puncto, quum hanc ipſam familiam mihi oſtenderet, ſimulque eos defectus, qui ſuam provocaverant iram, nec non ea omnia, quæ ad illam placandam mihi ſubeunda erant, tum vero ex illo aſpectu tota cohorrui, nec mihi ad offerendum hoc ſacrificium animi ſatis fuit; ſed dixi, me, quum mei juris non eſſem, facere id non poſſe, niſi obedientiæ aſſenſus accederet. Timor vero quo ducebar, ne mihi hujuſce oblationis faciendæ poteſtas fieret, effecit ut rem ad Superiores meas referre negligerem. Sed Dominus inſtabat mihi jugiter nullamque quietis partem mihi relinquebat. Effundebar in uberes lacrymas, tandemque eo adductam me vidi, ut ſuperiori meæ declaranda mihi res eſſet. Quæ quum eas videret anguſtias, in quibus verſabar, dixit mihi ut iis omnibus, quæ a me Dominus exigebat, me totam abſque ulla exceptione devoverem. Tum vero, mi Deus, gravioribus adhuc anguſtiis conſtrictam me vidi; nihil enim mihi ſuppetebat animi ut dicerem: onus ſubeo: ſemperque reſiſtere pergebam. At in pervigilio Præſentationis Beatæ Virginis Mariæ, divina illa juſtitia mihi viſa eſt tam terribilibus armis inſtructa, ut jam apud me non eſſem; quumque diutius repugnare non poſſem, dictum eſt mihi, ut quondam ſancto Paulo: durum eſt tibi contra juſtitiæ meæ tela calcitrare; ſed quandoquidem obſtitiſti mihi, ut humiliationibus, quæ hoc ſacrificio peragendo tibi ſubeundæ ſunt, te ſubtraheres, eas tibi infligam altero tanto graviores: a te enim dumtaxat exigebam, ut privatim te ipſa de-

vo-

voveres; nunc ut palam omnibus te devoveas volo, idque eo modo ac tempore, ut humana ratio tota merito offendenda videatur, iiſque ad te humiliandam adjunctis, quæ in reliquum vitæ tempus perpetua tibi, & tecum ipſa, & coram aliis, erubeſcendi materia futura ſint: ut hinc ſcilicet intelligas, quantum hoc mali ſit Deo reſiſtere. Et ſane id prorſus intellexi, nunquam enim tam male mihi fuiſſe experta ſum. Mearum illarum anguſtiarum rudem hic adumbrabo imaginem, ſed non id totum, quod ipſa res erat exprimentem. Veſpertina oratione expleta, exire Choro cum aliis non potui, ibique ad ultimum cœnulæ ſignum manſi in aſſiduis fletibus ac gemitibus: hinc perrexi ad cœnulam una cum ſororibus ſumendam, ac deinde progreſſa ad recreationis locum, tam acriter urgeri cœpi ad me palam & alta voce devovendam quomodo mihi Deus velle ſe ſignificabat, ut facere non potuerim, quin inde me proriperem ad Superiorem meam in valetudinario tunc decumbentem. Sed eram fateor, ita mei impos, ut ſimilis mihi ipſa viderer homini, qui manibus pedibuſque conſtrictis, nihil ſive in ſeipſo, ſive extra ſe, reliquum haberet ſolutum & liberum præter lacrymas, quas ego ubertim profundebam, hanc unicam relictam mihi eſſe doloris mei ſignificationem putans. Idem enim experiebar quod mortalium ſceleratiſſima, quæ magna vi funium, ad locum ſui ſupplicii pertraheretur. Illam Dei ſanctitatem videbam juſtæ iræ ſuæ telis armatam, paratam ea vibrare ad præcipitandam me in hiantes illas inferni

Digitized by Google

ni fauces, quem videbam apertum, jamjamque me abſorpturum. Ardere me ſentiebam igne devorante,& in ipſas oſſium medullas penetrante. Totum meum corpus mirum in modum contremiſcebat, nec alia, quam hæc verba proferre poteram: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Sic ingemui ſub mei doloris pondere, nullam Superioris adeundæ facultatem nacta ad uſque octavam: quo tempore una ex Sororibus, quum mihi occurriſſet, me perduxit ad Superiorem. Obſtupuit Mater noſtra affectam me videns eo modo, quem explicare non poteram. Sed hoc ad meas ærumnas accedebat, quod eas ex ſolo aſpectu ab aliis intelligi arbitrarer; quod ita non erat. Superior mea ſciens ſolam obedientiam eſſe, quæ quocumque vellet, flectere poſſet illum ſpiritum, qui me ſic conſtrictam tenebat, juſſit ut ſibi declararem quid rei paterer. Ac protinus declaravi quomodo vellet Deus, ut ſibi totum eſſe meum in oculis totius religioſæ familiæ devoverem; & qua de cauſa id a me poſceret: quam hîc reticeo, ne ſanctam charitatem, unaque Cor Chriſti lædam, ex quo dilecta illa virtus ortum habet: quapropter eam vel leviſſime lædi non patitur, quovis quæſito obtentu vel colore. Denique quum egiſſem ac dixiſſem ea quæ ſupremus Dominus meus a me requirebat, ea de re alii alios ſermones, alii alia judicia faciebant. Sed hæc omnia rei adjuncta permitto miſericordiæ Dei mei: idque confirmare poſſum, me nunquam, ſi bene commemini, tam gravia paſſam fuiſſe; ac ne omnes quidem

Digitized by Google

ærumnæ, quas ad illum uſque diem experta eram, etiamſi in unum coaluiſſent cum illis omnibus, quas deinde pertuli, & ad extremum uſque ſpiritum perpetuæ ſimul omnes mihi fuiſſent, conferri meo judicio poſſent cum ærumnis illius noctis, qua Dominus vilem ancillam ſuam dignatus eſt, ut ſanctæ Paſſionis ſuæ noctem doloribus plenam honorarem. Quanquam mea nox, illius Dominicæ noctis exiguum ſpecimen fuit. Ex alio in alium locum circumducebar ſummo ubique mihi pudore incuſſo. Exacta igitur illa nocte in iis cruciatibus, quos novit Deus, & abſque ullo quietis intervallo ad tempus uſque ſancti Miſſæ ſacrificii, in eo mihi videor audiviſſe hæc verba: denique facta eſt pax, & meæ ſanctitas juſtitiæ placata eſt ea, quam feciſti, oblatione, ut honorem exhiberes oblationi a me factæ, quum primum in Matris meæ viſceribus carnem ſumſi; cujus oblationis meæ merita renovare, tuæque ipſius oblationi conjungere volui, ut applicaretur in gratiam religioſæ familiæ, quemadmodum oſtendi tibi. Quamobrem ex omnibus iis quæ facere te, aut pati continget nihil jam tibi tanquam tuum vindicare debes, neque in augmentum meriti, neque in ſatisfactionem pro peccatis, neque in alium quempiam finem; quum omnia voluntati meæ permiſeris, ac pro religioſa domo devoveris. Itaque me ipſum imitata feres omnia & ages in ſilentio, intuitu ſolius divinæ gloriæ in ſtabiliendo regno ſacratiſſimi Cordis mei in corde hominum, quibus ipſum Cor meum, tua opera, manifeſtare volo. Hæc ſancta documenta mi-

Digitized by Google

mihi dedit ſupremus Dominus meus, poſtquam illum in ſacra Communione ſuſcepiſſem; ſed me non eduxit ex illo pœnarum ſtatu in quo verſabar, & in quo pace fruebar imperturbata, ex voluntaria acceptatione dolorum meorum, quos, ut mihi monſtrabatur, ultro ſubire deberem, vel ad ſupremi judicii diem, ſi ſic placeret Deo meo, qui me deinceps hominibus non aliter propoſuit, quam ut ſignum cui contradiceretur, ut ſentinam repulſarum, contemtuum & ignominiarum: quæ omnia cum gaudio videbam in me facto impetu, omni ex parte irruentia, nulloque ſive cœleſti, ſive terreno ſuppetente ſolatio. Videbantur eò ſimul omnia tendere ut in nihilum redigerer: interrogabar aſſidue, & pauca reſponſa, quæ quaſi per vim ex me eliciebantur, augendi tamen ſupplicii mei inſtrumenta erant; nec poteram edere, nec dormire, nec loqui, & hæc una mihi erat quies, unaque occupatio ut humi proſtrata manerem coram Deo meo, cujus ſuprema magnitudo tenebat me totam profunda nihili mei abyſſo abſorptam, flentem ſemper & gementem ad implorandam ab ipſo miſericordiam, & juſtæ ipſius iræ tela avertenda. Atque officium quod exercebam domi, perpetuis me & animi & corporis occupationibus diſtinens, ſupplicium mihi afferebat intolerabile. Supremus enim Dominus meus, etiamſi tot aliunde ærumnis afficerer, non patiebatur ut vel leviſſimam ex illis occupationibus prætermitterem; aut alicujus omittendæ veniam a Superioribus peterem: quod idem a me exigebat circa cætera religioſæ vitæ

Digitized by Google

munia, regularumque noſtrarum obſervationem, ad quæ omnia ſupremæ ipſius potentiæ vi pertrahi me ſentiebam, non ſecus ac ſontem ad locum novi ſupplicii: ubique enim ſupplicia reperiebam; ſicque immergebar penitus dolori meo, ut mihi & vitæ & animi nihil ſupereſſe experirer, niſi quantum ſatis erat ad ea videnda & ſentienda, quæ mihi acerba contingebant. Sed hæc omnia ne minimum quidem me ſollicitam efficiebant aut triſtem; quanquam inter hæc omnia ſemper ducebar per viam maxime repugnantem naturæ male mortificatæ, meiſque nativis propenſionibus adverſantem.

A cibo abhorret.

Factum eſt ut deprehenderer non manducare, qua ex cauſa graviter objurgata fui, & a Superiore mea & a Confeſſario, qui me juſſerunt, quicquid mihi in refectorio apponeretur, comedere; quod quidem obedientiæ præſcriptum videbatur mihi ſuperare vires meas; ſed is qui indigenti mihi deeſſe vires nunquam patiebatur, eas addidit, quæ ſatis eſſent ut citra omnem cunctationem & excuſationem parerem: quamvis poſt cibi ſumtionem mihi neceſſe eſſet ſecedere parumper ad cibum quem ſumſeram evomendum: quod quum admodum diu paſſa eſſem, hinc nata eſt tanta nauſeantis ſtomachi multo cum dolore ſolutio, ut jam tenax omnino non eſſet exigui cibi quem capiebam, poſteaquam mutato obedientiæ præſcripto, viſum eſt ſatius jubere, ut tantum comederem quantum pro viribus liceret. Ac cibi ſumtio, non diffiteor, gravis ex illo tempore mihi cruciatus fuit: ibam nempe ad triclinium tanquam ad lo-

Digitized by Google

locum ſupplicii, cui me peccatum addixerat, & quantumvis conarer nullo habito delectu ea comedere, quæ mihi apposita eſſent, facere non poteram quin id deligerem, quod viliſſimum eſſe arbitrarer, tanquam maxime conſentaneum paupertati meæ, nihiloque meo, cujus recordatio aſſidue inculcabat animo meo, quandoquidem panis & aqua victui ſufficiunt, cætera omnia eſſe ſuperflua.

Ut me referam ad meum hunc pœnarum ſtatum, is nullo remittebatur intervallo, imo augebatur in dies novis valde acrium dolorum & ignominiarum acceſſionibus; nam exiſtimatum fuit me a malo Dæmone poſſideri aut obſideri; mihique inſpergebatur affatim aqua luſtralis, adhibito Crucis ſigno aliiſque precibus ad malignum ſpiritum ejiciendum. At ille quo poſſideri me ſentiebam, adeo non aufugiebat, ut potius ſibi me conjungeret arctius, dicens mihi: aquam luſtralem amo, Crucemque ſic diligo, ut facere non poſſim, quin illis adhæream, qui ipſam pro amore meo geſtant. Quæ verba ſic denuo inflammarunt in anima mea deſiderium patiendi, ut quicquid patiebar, ſtilla tantum aquæ mihi videretur, quæ inſatiabilem ſitim meam accenderet potius quam expleret: Quanquam nulla pars mei non habebat proprium ſibi dolorem ſive in animo ſive in corpore, idque ſine ulla cujuſquam commiſeratione. Diabolus enim ſumma vi me impugnabat, ac victa millies ſuccubuiſſem, niſi extraordinaria quadam, quæ pro me pugnabat, potentia muniri me ſenſiſſem. Denique Superior mea

XLII. A malo Dæmone obſeſſa ac decepta creditur.

Digitized by Google

quid aliud caperet conſilii neſcia ad remedium confugit ſacræ Communionis, quam mihi præſcripſit, ad Dominum exorandum, ut in priorem ſtatum me reſtitueret. Quum ergo ipſi Domino ex obedientia me obtuliſſem, tanquam ipſius hoſtiam immolationis, ſic mecum locutus eſt: ita eſt, Filia, ad te venio tanquam ſummus Sacerdos, novum tibi vigorem impertiturus, noviſque ſuppliciis te immolaturus, quod & præſtitit; tantumque mutationis in me factum eſſe deprehendi, ut me haberem tanquam mulier ſerva, quæ modo in libertatem vindicata eſt. Sed breve hoc intervallum fuit: inſtaurati enim ſunt, ut ante, ſermones quibus admonebar, eorum omnium, quæ in me fiebant, Diabolum artificem eſſe, qui, niſi caverem, ſuis dolis illuſionibuſque me perditurus eſſet. Graviter id me perculit, quæ toto vitæ tempore timueram, ne deciperer ipſa, alioſque deciperem, licet minime id vellem; unde mihi lacrymarum ingens copia oboriebatur; nec enim ullo prorſus modo poteram me ſubtrahere potentiæ illius ſupremi Spiritus, qui operabatur in me, & quantumcumque conarer, non erat in mea poteſtate poſitum illum a me abigere, ejuſve operationes impedire: ita enim ſibi ſubjecerat omnes potentias animæ meæ, ut mihi ipſa viderer eſſe immerſa abyſſo quadam, in quam eo defigebar altius, quo plures ad emergendum conatus edebam; quamvis omnes, quæ mihi ſuggerebantur, reſiſtendi artes adhiberem, ſed fruſtra. Aliquando tanta vi pugnabam, ut pene viribus exhauſta e pugna diſcederem.

At

Digitized by Google

At meus ſupremus Dominus ludebat quodammodo in meis omnibus conatibus infringendis, meque, primo aditu, diſpulſis omnibus timoribus meis, confirmabat his verbis: quid tibi timendum eſt inter brachia Omnipotentis? Fierine poſſet, ut ipſe te inimicorum tuorum furori permittens perire ſineret? Poſtquam tibi ab infantia tua factus ſum ipſe Pater, Magiſter & Moderator, perpetuis indiciis ſignificare non deſinens tenerum erga te affectum divini & amantiſſimi Cordis mei, in quo perpetuum tibi ſemperque præſens domicilium conſtitui ad majorem ſecuritatem, dic mihi quod majus argumentum dari tibi cupias amoris in te mei, illudque tibi dabo: ſed quare adverſum me pugnas ſolum verum & unicum amicum tuum? Hæc exprobratio diffidentiæ meæ tanto me pudore ac dolore affecit, ut ex illo tempore ſtatuerim nunquam de meo quicquam me collaturam ad probandum illum ſpiritum qui me regebat; ſed ſatis mihi fore humiliter & ex animo acquieſcere iis omnibus quæ ad hanc probationem perficiendam aliis agenda viderentur. *A Domino conſolatur.*

O Domine mi, cui notum eſt, quam mihi grave ſit, huic obedientiæ præſcripto, quod nunc exequor, parere; & quantam vim patiar in his omnibus tanto cum pudore, animique mei repugnantia ſcribendis, hanc mihi gratiam concede, ut moriar potius quam aliquid ſcribam, præter id quod a ſpiritus tui veritate proficiſcitur, tibique majorem gloriam afferre, mihi graviorem pudorem incutere poteſt: & per miſericor- XLIII. *Deum orat ut ſe, hæc ſcribere repugnantem adjuvet.*

diam

Digitized by Google

diam tuam te obteſtor, O mi ſupreme Domine, ut nunquam hoc ſcriptum a quoquam alio legatur, quam ab eo, per quem illud examinari vis; ut hoc idem ſcriptum non obſtet, quominus in æterna creaturarum oblivione æternoque contemtu ſepulta maneam. O mi Deus, hoc ſolatium ne deneges vili ancillæ tuæ. Protinus meæ petitioni ſic reſponſum eſt: omnia permitte beneplacito voluntatis meæ, omnique tua cura omiſſa, mea conſilia perficere me ſine: omnia mihi curæ erunt. Cœptum igitur opus ex obedientia perſequar, O mi Deus, nihil agens aliud quam ut voluntati tuæ faciam ſatis eo martyrii genere quod patior hæc conſcribendo, quorum unaquæque littera ſacrificii inſtar eſſe mihi videtur. Semper allici me ſenſi ad amandum ſupremum Dominum meum propter ſeipſum, unumque illum quærendum. Nunquam ipſius donis quantumlibet in me profuſis adhæſit anima mea: ea non aliam ob rem magni faciebam, quam quod ab ipſo proficiſcerentur. Ad ea, quam minimum poteram, advertebam animum, omniaque obliviſci conabar ut ipſius meminiſſem ſolius, præ quo cætera omnia nihil eſſe duco; & quum hoc obedientiæ præſcriptum exequendum fuit, fieri poſſe non putabam, ut de iis agerem quæ tam dudum præteriere. At Dominus mihi oſtendit, rem omnino contra quam putabam ſe habere; quo enim facilius ſcribam, eundem animi affectum, de quo loquor, facit ut ſuper unaquaque re nunc experiar: quod mihi nullum relinquit dubium, quin ipſe velit ut hæc ſcribam.

Inter

Digitized by Google

Inter ærumnas & timores quos patiebar, cor meum ſemper fruebatur imperturbata pace. Juſſa ſum autem colloqui cum hominibus nonnullis doctrina præditis, qui me adeo non confirmarunt in via quam ſequebar, ut potius meas pœnas auxerint; donec Dominus noſter huc miſit Reverendum Patrem de la Colombiere, quem ſupremus Dominus meus, aliquanto poſtquam ipſi me conſecraveram, ſe mihi miſſurum eſſe promiſit, ſcilicet unum e ſuis ſervis, cui, juxta illam quam mihi pro tempore impertiretur intelligentiam, manifeſtari a me volebat omnes theſauros, omniaque arcana ſacratiſſimi Cordis ſui, quæ mihi ab ipſo Domino credita erant: quandoquidem ad me mittebatur, ut me in via Domini confirmaret; & ingentes gratias Dei miſeratione ex ipſius ſacratiſſimo Corde hauriret, quas quidem in noſtris colloquiis abunde profuſurum ſe idem Dominus pollicebatur. Quumque Sanctus ille vir huc venit, interea dum ſermonem habebat ad noſtram religioſam familiam, hæc verba intus audivi: En illum, quem tibi mitto. Quod brevi verum eſſe prorſus agnovi in confeſſione, quæ facta eſt unâ ex feriis Quatuor temporum. Quamvis enim nos mutuo nec vidiſſemus unquam, nec allocuti eſſemus, admodum diuturnis me alloquiis detinuit, mecumque loquebatur non aliter quam ſi intellexiſſet ea quæ in me agebantur. Mihi tamen ea die viſum non eſt cum ipſo ſtatum animi mei ullo modo communicare. Is autem quum videret velle me diſcedere, ne cæteris ſororibus diuturniori mora incommodo eſſem, petiit cen-

XLIV. *P. Claud. la Colombiere ad eam Deo ſic ordinante mittitur.*

Digitized by Google

ſeremne ut alia die rediret, me hoc ipſo in loco allocuturus: at timida indoles meà, quæ omnes haſce communicationes reformidabat, fecit ut illi reſponderem, mei juris me non eſſe, ſed facturum id quod obedientia præſcriberet. Diſceſſi, horam unam cum dimidio cum ipſo collocuta. Rediit autem non ita multo poſt, & quamvis noſſem, hanc eſſe Dei voluntatem, ut ipſum alloquerer, ingenti tamen horrore ab eo colloquio deterreri me ſenſi quum adeundus fuit; id quod ipſi ſtatim declaravi; ſed mihi reſpondit, lætari ſe quod mihi opportunitatem obtuliſſet meum aliquem affectum Deo immolandi. Tum vero ipſi nullo labore, nullaque tergiverſatione cor meum aperui, & intima animæ meæ manifeſtavi perinde mala ac bona. Quibus auditis vehementer me conſolatus eſt, aſſerens nihil eſſe quod timerem ab illius ſpiritus ductu, quandoquidem ille me ab obedientia non revocabat: mihi obſequendum eſſe illius motibus, permittendo ejus voluntati totum eſſe meum, ut de eo diſponeret, meque juxta ſuum beneplacitum ſacrificaret & immolaret: cæterum mirari ſe ingentem Dei noſtri bonitatem, qui me toties reſiſtentem non faſtidiſſet. Docuit me dona Dei æſtimare, & cum reverentia atque humilitate ſuſcipere frequentes communicationes, & familiaria quibus me dignabatur colloquia; propter quæ in aſſidua erga tantam bonitatem gratiarum actione verſari deberem. Quumque illi declaraſſem ſupremum hunc Dominum animæ meæ ubique mihi inſtare, nullo excepto ſeu loco ſeu tem-

Digitized by Google

tempore; ita ut vix mihi poteſtas relinqueretur illius orationis quæ voce perficitur; ad quam tamen peragendam tanta mihi ipſa vim inferebam, ut nonnunquam inter percurrendum roſarium, meum os, ut erat, apertum maneret, ac ne uni quidem verbo proferendo idoneum: edixit, ne poſthac hujuſmodi preces per vim recitare conarer: ſatis mihi eſſe debere illas, quarum perſolvendarum lege tenebar, adjecta, quum id poſſem, corona Beatæ Virginis. Communicatis autem aliqua ex parte, cum eodem Patre, præcipuis blanditiis & amoris adhæſionibus, quibus hic dilectus animæ meæ me complectebatur, & quas hîc omitto ſcribere, reſpondit magnam in his omnibus cauſam eſſe & mihi propriæ humiliationis, & ſibi admirationis ob ingentes erga me Dei miſericordias. Divina autem illa bonitate non patiente, ut ullam conſolationem acciperem, quæ mihi multis humiliationibus non conſtaret, multas utique hocce colloquium mihi accerſivit, & pater ipſe mea cauſa multa pertulit: nam rumor erat me id agere, ut ipſum illuſionibus meis deciperem, ipſique quemadmodum cæteris, fucum facerem. Sed hoc ipſi nullam exhibebat moleſtiam, nec propterea deſtitit, quamdiu manſit in hoc oppido, quod ſpatium temporis breve fuit, ſuas in me curas conferre, quas deinde ſemper contulit. Atque ego centies mirata ſum, quod ille me, uti alii fecerant, non deſereret; cum eo enim agebam ejuſmodi ratione, quæ quemvis alium ab incœpto opere avocaſſet. Quanquam nulli curæ parcebat in me humi-

Digitized by Google

lianda & mortificanda, quod mihi pergratum accidebat.

Quum aliquando in templum noſtrum veniſſet rem divinam facturus, magnis & me & illum gratiis Dominus noſter affecit; nam temporis puncto, quo ad ipſum Dominum ſacra Communione ſuſcipiendum acceſſi, monſtravit mihi ſacratiſſimum Cor ſuum tanquam ardentem fornacem, aliaque duo Corda divino Cordi proxime adhæſura, in illudque ſe profunde abditura, additis his verbis:

Hæc tria plane ſincerus
Corda jungit amor meus,
His æternis nexibus.

Significavit mihi hanc conjunctionem totam ſpectare ad gloriam ſacratiſſimi Cordis ſui, cujus theſauros illi Patri per me manifeſtari volebat, ut eorum pretium utilitatemque hominibus exponeret, atque prædicaret: ob eamque cauſam placere ſibi, ut bonorum ſpiritualium æqua portio nobis non ſecus ac fratri & ſorori obveniret: quumque ſuper ea re Domino ſupplex opponerem inopiam meam, quantoque intervallo miſella, qualis ego ſum, peccatrix a tantæ virtutis tantique meriti viro diſtaret, mihi reſpondit: infinitæ Cordis mei divitiæ ſupplebunt omnia & æquabunt; dic modo illi, quæ tibi ſignificata ſunt, nec quicquam time. Id itaque illi renuntiavi, quum primum collocuti fuimus: videnſque quanta humilitate & gratiarum actione acciperet hæc, & alia multa ad ipſum ſpectantia, quæ ſupremi Domini mei juſſu ipſi

Digitized by Google

ipſi declaravi, graviter permota ſum, majoremque inde fructum cepi, quam ex omnibus quibus intereſſe potuiſſem, ſacris concionibus. Illi etiam declaravì, Dominum haſce gratias non aliam ob rem mihi largiri, quam ut glorificaretur in animabus, quibus illas, prout ſibi placere oſtenderet, ſive verbo, ſive ſcripto diſpertirem: Dominumque nolle ut ſatagerem quid mihi dicendum ſcribendumve eſſet, quandoquidem hoc ipſum gratiæ ſuæ unctione perfuſurus erat, ad fructus, quos inde expectabat, procreandos in hominibus ad hæc ſcripta dictave excipienda bene comparatis: hoc etiam addidi multum me angi, propterea quod præ animi repugnantia cunctarer ſcribere ac dare certis hominibus quaſdam ſchedulas, unde graves in me humiliationes redundarent. Quibus auditis, edixit, ne, quantumcumque ærumnarum hinc mihi impenderet, ſanctis hujuſce ſpiritus motibus obſequi unquam deſiſterem; ſed ut cum ſimplicitate dicerem, quod is mihi dicendum ſuggerebat; aut poſtquam ſcripſiſſem, ſchedulam exhiberem Superiori meæ, tum illâ, ex ejus præſcripto, uterer: quod deinceps obſervabam. Sed id multas ab hominibus abjectiones mihi peperit. Juſſit etiam ut ſcriberem ea quæ in me agebantur, a quo valde abhorrebam: ſcribebam autem, ut juſſa exequerer; tum ſcripta comburebam: obedientiæ ſatisfactum eſſe putans. Sed graves ærumnas mihi procreabat ea agendi ratio, cujus etiam injecta mihi per aliquem religio eſt, atque adeo ne hoc poſthac facerem interdictum fuit.

Digitized by Google

XLV. *Chriſtus donationem bonorum ejus omnium ab ipſa ſcripto exigit:*

Quodam die ſupremus Dominus meus a me petiit, ut in ſui gratiam teſtamentum de ſcripto, ſicuti jam viva voce feceram, integramve & abſque ulla exceptione donationem facerem eorum omnium, quæ mihi aut agere aut pati contingeret, omniumque precum ac bonorum ſpiritualium quæ pro me ſive jam defuncta, ſive adhuc in vivis degente offerrentur; juſſitque percontarer Superiorem meam, velletne in his tabulis conficiendis tabellionis vice fungi, cujus operis ſolidam mercedem ipſi daturum ſe pollicebatur; ſin vero id facere detrectaret, ut adirem ea de re ſervum ſuum Patrem de la Colombiere. Sed Superior mea id faciendum in ſe ſuſcepit. Quod ſcriptum quum obtuliſſem huic unico amori animæ meæ, admodum ſibi placere teſtatus eſt, dixitque velle ſe, juxta conſilium voluntatis ſuæ, & in cujus gratiam ſibi videretur, de eo diſponere: quandoquidem autem divinus amor omnibus me exſpoliarat, hanc eſſe voluntatem ſuam, ut alias deinceps non haberem quam ſacratiſſimi Cordis ſui divitias, quarum hoc ipſo momento temporis mihi donationem fecit, meoque ſanguine a me perſcribi juſſit, prout ipſe dictabat: tum illam meo Chirographo munivi, ſacratiſſimo ſcilicet ipſius Jeſu nomine, quod cordi meo ſcriptorio ſcalpello inſcripſi. Quibus peractis dixit mihi, ſibi cordi fore, ut centuplo remunerarentur bona omnia quæ quiſquam in me conferret, perinde ac ſi collata eſſent in ſeipſum, quandoquidem in iis nihil erat, quod mihi vindicare poſſem tanquam meum:

mer-

Digitized by Google

mercedemque illi, quæ in ipſius Domini gratiam hoc teſtamentum perſcripſiſſet, non aliam redditum iri, atque beatæ Claræ *a Montefalco*; propterea adjecturum ſe ipſius actionibus infinita ſuarum actionum merita, facturumque, ut ſacratiſſimi ſui Cordis amore eamdem coronam promereretur. Id me vehementi affecit gaudio, ob magnum amorem quo illam complectebar, quod animam meam abunde paſceret ſuaviſſimo mortificationis & humiliationis pane: qui panis ita ſapiebat ſupremo Magiſtro meo, ut ad hujuſmodi voluptatem illi procurandam cupiiſſem huic operi manum ab omnibus admoveri. Hanc adeo mihi gratiam annuebat Deus meus, ut nunquam me panis ille deficeret; quum vita mea tota elapſa ſit in doloribus tum corporis, tum etiam animi, quod Deus offenderetur, ægre ferentis. Is porro Deus optimus ſemper me roboravit, ſive inter perſecutiones, contradictioneſque creaturarum, ſive medias inter tentationes Dæmonis, qui me graviter exagitavit, ac perſecutus eſt, ſive etiam adverſus me ipſam quæ mihimet ipſa fui inimicus omnium, contra quos pugnandum mihi fuit crudeliſſimus & ſuperatu difficillimus. Jam illa omnia, quæ modo recenſui, incommoda non obſtabant quominus laboris corporei pars mihi imponeretur nihilo levior, quam quanta vires meas omnino adæquabat; quæ pœna non levis accedebat ad illum dolorem, quem capiebam ex eo quod horrori me eſſe putarem omnibus creaturis, eaſque ægre admodum me tolerare, quum me ipſa ferre non ſine magno

Digitized by Google

gno labore poſſem. Id agentem me cum proximis aſſidue angebat, nec aliud habebam perfugium, quam amorem propriæ abjectionis, in quam, velut in abyſſum quandam, non ſine cauſa me profunde abdebam. Omnia mihi humiliationi vertebantur, etiam minimæ actiones; nec alia eſſe exiſtimabar quam muliercula deluſa viſis inanibus, quibus pertinaciter adhæreſcerem; & mihi, inter hæc omnia, tantillum levaminis, aut ſolatii doloribus meis quærere non licebat, id vetante ſupremo Magiſtro meo, qui volebat ut omnia ſilentio paterer, atque ut hocce teſſerarium lemma mihi aſſumerem juſſerat:

Amor meus carens labe
Me non ſinit trepidare,
Volo cuncta ſilens ferre.

Volebat ut omnia a ſe expectarem, & ſi quando accideret, ut mihi ipſa aliquid conſolationis conquirerem, in ea, pro animi levamine, dolorem novumque cruciatum mihi exhibebat; quod ſemper numeravi inter maxima, quæ mihi Deus meus contulerit beneficia, mihi ſcilicet pretioſum Crucis theſaurum ademtum non fuiſſe, quamvis eo dono indigniſſimæ, quo ſemper male uſa ſum; pro quo tamen liquefieri me, ardenti erga meum liberatorem amore & gratiarum actione cupiebam. Inter hos animi ſenſus & Crucis delicias dicebam: quid retribuam Domino pro tantis quæ retribuit mihi? Quam mihi bonus es, O mi Deus, qui me Sanctorum menſa dignaris, nec aliis me cibis paſcis quam quibus ipſos ſu-

ſuſtentaſti, delicatis dilectorum tuorum & fideliſſimorum tibi amicorum ferculis copioſe nutriens miſeram me peccatricem: nempe tibi notum eſt, ſine ſanctiſſimo Sacramento & Cruce, nullam mihi vitæ hujus uſuram relictum iri, nec mihi exilii mei diuturnitatem tolerabilem fore, in hac valle lacrymarum, in qua ærumnas meas minui nunquam cupiebam: quo pluribus enim corpus meum premebatur, eo majori gaudio afficiebatur animus meus, eo liberior erat ad colloquendum cum Jeſu meo patiente, eique adhærendum; nec enim ullo deſiderio magis accendebar quam ut perfectum Jeſu mei crucifixi exemplar efficerer. Hinc erat quod gauderem, quum ejus ſuprema bonitas bene multos operarios adhiberet ad hoc opus, ex ipſius animi ſententia perficiendum. Verum ſupremus ille Dominus non recedebat ab indigna ſua victima, cujus infirmitatem, & ad bonum quodvis faciendum impotentiam noverat. Sicque nonnunquam me alloquebatur: perhonorifice tecum ago, dilecta filia mea, quum adeo nobilibus ad te crucifigendam inſtrumentis utor. Meus Pater æternus crudelibus immiſericordium tortorum manibus me tradidit, ut crucifigerer: ego vero in te crucifigenda, utor opera perſonarum quæ mihi conſecratæ ſunt & addictæ; quarum ego te poteſtati permiſi, & pro quarum ſalute volo ut mihi offeras quicquid tibi per ipſas doloris eveniet. Idque præſtabam ex animo, ultro ſemper in me ſuſcipiens omnem pœnam quam promereretur Dei offenſa, ſiqua irreperet in eam,

Nn quæ

Digitized by Google

quæ erga me tenebatur, agendi rationem. Quanquam, ut verum fatear, ærumnâ mihi procreandâ, neminem poſſe putabam ullius injuſtitiæ noxam contrahere, quum ſatis pro meritis affligi non poſſem. Sed fateor ita me oblectari habendis de patiendi felicitate ſermonibus, ut etiam ſi ea de re integra volumina ſcriberem, ſatis futurum eſſe non videatur deſiderio meo: meus porro proprius amor de hujuſmodi rebus diſſerendo ſibi admodum ſatisfacit.

XLVI. *Jejunium in pane & aqua vel abſtinentia ab omni potu per 50. dies ei a Chriſto indicitur.*

Accidit aliquando ut ſupremus Dominus meus mihi ſignificaverit ſibi eſſe in animo deducere me in ſolitudinem non quidem in deſertum ut ipſe ductus fuerat, ſed in ſolitudinem ſacratiſſimi Cordis ſui, ubi me dignaturus eſſet intimis ſuis colloquiis tanquam amici cum ſua dilecta: ibi ſe nova mihi daturum eſſe documenta ſuarum voluntatum, novaſque additurum vires, ut fortiter ad mortem uſque pugnando, iiſdem voluntatibus obſequerer, quandoquidem multorum inimicorum impreſſiones mihi ſuſtinendæ ſupererant. Quamobrem petere ſe a me, dixit, ut in honorem jejunii quod in deſerto obſervarat, quinquaginta dierum, pane tantum & aqua victitans, jejunium colerem. At quum hujus obſervandi jejunii poteſtas a Superioribus facta non eſſet, ne in aliquam ſingularis vivendi rationis notam incurrerem, ſignificavit mihi, non minus ſibi gratum fore, ſi quinquaginta dies ipſos potu me abſtinerem, in honorem ardentis peccatores ſaluandi ſitis, quam ſacratiſſimum Cor ſuum paſſum erat; itemque illius quam in ligno Crucis pen-

Digitized by Google

pendens toleraverat. Annuit obedientia, ut hanc pœnitentiam exercerem, quæ mihi gravior altera videbatur, propter vehementem ſitim qua perpetuo cruciabar; ita ut mihi neceſſe eſſet ad me refrigerandam, ingentes aquæ pateras ſæpe ebibere. Gravibus me pugnis hoc tempore Diabolus impetebat, præſertim ad deſperationem mihi injiciendam, oſtendens mihi, tam improba quum eſſem, non eſſe quod mihi partem ullam in Cœlo fore ſperarem; quandoquidem jam nulla mihi pars erat in amore Dei mei, quo æternum privanda eſſem: hinc mihi lacrymæ ubertim eliciebantur. Alias vanæ gloriæ ſtimulis me urgebat. Tum deteſtabili illa gulæ tentatione; horribilem in me famem excitans, objiciebat animo meo quicquid maxime poſſet guſtui ſatisfacere, idque meorum exercitiorum ſpiritualium tempore, quod me mirum in modum cruciabat. Hæc vero fames me urgebat, donec in triclinium intrarem ad reficiendum Corpus, ubi ſimul atque eram, ingens ſuccedebat ciborum faſtidium, quibus ut aliquantulum veſcerer, vim mihi ipſi adhibere opus erat. Ut primum autem a menſa ſurrexeram, vehementior quam antea fames mihi renaſcebatur: atque Superior mea, quam præ illuſionum metu, nihil eorum, quæ mihi accidebant celabam, juſſit ut quum maxime fames me premeret ipſam adirem, edendi facultatem petitura, quod faciebam animo ſupra modum repugnante, ob ingentem pudorem quo afficiebar: tum vero illa non modo me non dimittebat ad capiendum cibum, ſed etiam eam

Graviſſimis tentationibus a Demone exagitatur.

Gula in primis.

Digitized by Google

ob rem graviter me humiliabat & mortificabat dicens, me fami meæ ſatisfacturam, quum aliæ irent in refectorium: deinde quieta in mea afflictionę permanebam. Eam quam ſuſceperam abſtinentiam a potu ad finem uſque perducere tunc mihi per obedientiam non licuit; ſed poſtquam parui, juſſa ſum de integro hanc abſtinentiam inchoare, & quinquaginta dies, totiuſque anni ferias ſextas abſque potu exegi. Æquo animo eram, ſive annueretur, ſive abnueretur id quod petebam: obedire mihi ſatis erat.

Impuritate excepta. Adverſarius autem meus omni ex parte oppugnare me non deſinebat, excepto luxuriæ vitio, cujus tentationibus ne mę impeteret, interdictum illi erat a ſupremo Magiſtro meo. Quanquam, die quodam, quum Superior mea mihi dixiſſet, ut irem apud ſanctiſſimum Sacramentum functura certi cujuſdam principis vice, illius vitii tentatione vexata fui multas horas; donec mutato illo obedientiæ præſcripto, juſſit mea Superior ut illic manerem ſuſtinendo perſonam bonæ religioſæ viſitationis, continuo tentationes illæ conquievere, meque merſam reperi conſolationum diluvio, ubi ſupremus Magiſter meus docuit me, quid a me exigeret.

XLVII. *Documenta a Chriſto accepta ad perfectionem ſpectantia.* Poſtulabat porro ut in jugi immolationis actu verſarer, eamque ob rem facturum ſe dicebat, ut horror difficultatum animique mei in agendo repugnantia ita in me augeretur, ut nihil poſthac niſi cum violentia & labore actura eſſem, ad mihi ſuppeditandum in rebus leviſſimis maximeque indifferentibus materiam

riam victoriæ; quod ſemper ex illo tempore expertam me eſſe, poſſum omnino confirmare. Addebat præterea nihil ſuavitatis me guſtaturam eſſe, niſi in montis Calvariæ amaritudinibus, facturumque ſe ut afflictionum martyrium invenirem in iis omnibus, ex quibus cæterorum hominum gaudium, voluptas, & temporaria felicitas poteſt coaleſcere: quod verum fuiſſe manifeſto experimento fecit ut ſentirem; quandoquidem ſupplicium mihi eſſe cœpit, quicquid voluptatis nomine appellatur: ac vel in ipſis modicis animi relaxationibus, quæ ſororibus quandoque conceduntur, gravius quidpiam patiebar, quam ſi acutiſſimæ febris ardoribus laboraſſem: quanquam volebat Dominus ut in mea agendi ratione nihil hîc diverſum appareret ab eo, quod ſorores aliæ faciebant: unde fiebat ut illum ſic alloquerer: O ſupremum bonum meum, quanti mihi venditur hæc oblectatio! Tanto mihi oneri erant lectus & refectorium, ut ad utrumvis ineundum, vel acceſſiſſe ſatis eſſet ad gemitus mihi excitandos lacrymaſque eliciendas. At domeſtica officia, & colloquia cum externis mihi prorſus intolerabilia erant, nec me unquam ire memini ad locum hiſce colloquiis deſtinatum, niſi cum ea abhorrentis animi repugnantia, quam abſque magna adhibita vi, ſuperare non poteram: quocirca ſæpe provolvebar in genua ut vires ad meipſam vincendam ſupplex a Deo peterem. Scribendi labor non erat minus mihi gravis, non tam ex eo quod flexis genibus ſcribebam, quam ex illo altero & hujus & cæ-

terarum actionum horrore. Exiſtimatio ac fama, laudes & hominum plauſus mihi graviores accidebant, quam vani honoris cupidiſſimis & ambitioſiſſimis hominibus ignominiæ omnes, contemtus & abjectiones. Unde aliqua ejuſmodi data occaſione, Deum ſic alloquebar: O mi Deus, arma potius in me tartareos omnes furores, quam hominum linguas vanis laudibus, plauſibus & adulationibus: irruant in me potius humiliationes omnes, dolores, contradictiones, & ex verecundia rubores; horum enim omnium ſitim inexplebilem in me accendebat, quamvis eorum cum præſto erant, ſenſu tam acri me pungeret, ut facere non poſſem, quin doloris identidem mei ſigna ederem, quod mihi erat intolerabile, quum me agnoſcerem animo eſſe tam parum humili ac mortificato, ut afflictio mea homines latere non poſſet. Tum mea omnis conſolatio erat ut confugerem ad propriæ abjectionis amorem, qui me impellebat ad gratias agendas ſupremo Domino meo, quod me talem hominibus oſtenderet, qualis reipſa eram, ut in hominum exiſtimatione nihil omnino eſſem. Volebat inſuper Dominus, ut mihi ipſi nihil quærerem, ſed omnia tanquam ex ipſius manu ſuſciperem, omnia ipſius arbitrio permitterem, nullamque rem pro meo nutu decernendam mihi vindicarem: ut de afflictione perinde illi gratias agerem, ac de affluentia conſolationum: ut acerbiſſima quæque, quum evenirent, & graviſſimum pudorem afferentia, pro meritis meis evenire, atque etiam infra merita eſſe exiſtimarem, & natum inde dolorem pro his qui me

af-

Digitized by Google

affligebant offerem. Volebat item ut de ſe, magna cum reverentia; de proximis quum bonæ exiſtimationis, & commiſerationis ſignificatione loquerer: de me autem nunquam, aut certe breviter, & cum proprio contemtu, niſi cum gloriæ ſuæ cauſa aliter facere me juberet. Ut ipſius ſupremæ magnitudini omne bonum & omnem gloriam; mihi quicquid mali eſſet ſemper aſſignarem. Ut extra ipſum nullam conſolationem quærerem, neque id ſatis, niſi ſolatia, quibus me recrearet, ipſi immolarem, iiſque nuntium remitterem. Ut nulli rei adhæreſcerem: vacua omnibus & ſpoliata eſſem: nihil niſi in ipſo & propter ipſum amarem: ipſum ſolum in omnibus ejuſque gloriæ augmentum, mei ipſius prorſus immemor, intuerer: & licet omnia propter ipſum facere deberem; volebat tamen ut in ſingulis actionibus meis ſemper eſſet aliquid, quod divinum Cor ſuum recta ſpectaret; ut puta, tempore recreationis oportere dicebat, ut ſua ipſum recreatione oblectarem doloribus, mortificationibus, & humiliationibus quas mihi ſubminiſtrandas curaret, & quæ mihi, ipſo dante, non defuerunt: eaque omnia mihi accipienda eſſe cum gaudio in honorem ejuſdem ſacratiſſimi Cordis: itidem in refectorio offerri ſibi a me volebat in ſuarum epularum delicias quicquid palato maxime arridere arbitrarer; & ita de cæteris omnibus meis exercitiis. Vetabat inſuper ne unquam quemquam judicarem, accuſarem, aut condemnarem, niſi me ipſam. Multa alia mihi documenta dedit, quorum præ multitudine cum obſtupeſcerem

Digitized by Google

rem, dixit mihi nihil eſſe quod timerem, quum eſſet ipſe Magiſter bonus, tam potens in efficiendo ut ea quæ doceret ad uſum revocarentur, quam ſapiens in bene docendo & gubernando. Et quidem re ipſa Dominus, quod vere confirmare poſſum, natura licet maxime repugnante efficiebat, ut id agerem quod volebat.

XLVIII. *Revelatio de feſto in honorem ſanctiſſimi Cordis Jeſu celebrando.*

Quum aliquando eſſem coram ſanctiſſimo Sacramento die octava ipſius feſti, accepi a Deo meo profuſas ipſius amoris gratias, mihique ſuboriri ſenſi deſiderium ipſius beneficiis aliqua ex parte reſpondendi, eique amorem pro amore reddendi, & dixit mihi: non potes majorem mihi amorem teſtari, quam id faciendo quod jam toties a te petii. Tunc divinum Cor ſuum mihi manifeſtans, En, inquit, Cor illud, quod homines ita dilexit, ut nihil prætermiſerit ad ſuum ipſis amorem ſignificandum, ſe etiam exhaurire & conſumere non dubitans: & in gratiarum actiones a pleriſque nihil accipio aliud, quam ingrati animi ſigna, aliis irreverenter & ſacrilege, aliis frigide & contemtim erga hoc amoris Sacramentum ſe gerentibus. Verum quod me gravius tangit illud eſt, quod mihi conſecrata corda ſic ſe gerunt. Quamobrem id a te peto, ut feria ſexta proxime ſequens octavam ſanctiſſimi Sacramenti peculiari feſto dicata ſit in honorem ſacratiſſimi Cordis mei; qui dies celebrabitur potiſſimum ſacra Euchariſtia ſuſcipienda, & luendis ſolemni ſatisfactione injuriis, quæ ipſi ſacratiſſimo Cordi illatæ ſunt, quamdiu in ſacris aris ſanctiſſimum Sacramentum publicæ adorationi palam pro-

propoſitum fuit: ego vero tibi polliceor, Cor meum dilatatum iri ad effundendos abunde divini ſui amoris influxus, in eos qui hunc ipſi honorem exhibebunt, & ab aliis exhibendum procurabunt. Et ad hæc quum reſpondiſſem me neſcire qua ratione poſſem exequi quod ex me, a tam longo jam tempore, requirebat, dixit mihi ut ſuper ea re alloquerer ſervum ſuum Patrem de la Colombiere, quem mihi ad hoc conſilium exequendum miſerat. Is autem quum me audiſſet, juſſit ut ſcripto exararem, quæ ipſi de ſacratiſſimo Chriſti Corde dixeram, nec non alia multa ad ipſum pro Dei gloria ſpectantia, qui voluit ut multum conſolationum in hoc ſancto viro reperirem, tum ut ex eo diſcerem divinis ipſius conſiliis reſpondere, tum ut confirmarer ex illis, quibus angebar timoribus, ne in illuſiones incurrerem, ita ut in aſſiduos gemitus propterea erumperem. Quum Dominus hunc ſervum ſuum ex hoc oppido vocaſſet ad infidelium converſionem procurandam, hanc mihi inflictam plagam ſic excepi, ut prorſus acquieſcerem voluntati Dei, qui illum adeo utilem mihi præſtiterat exiguo illo temporis ſpatio, quo hîc commoratus erat; & mihi tantiſper animum advertenti ad illam profectionem Dominus talem cogitationem exprobravit in hæc verba: agedum, egone tibi non ſufficio principium tuum & finis tuus? Nec plura adjicienda fuerunt, ut omnia divinæ voluntati permitterem; quandoquidem certo compertum habebam omnia, quæ mihi neceſſaria eſſent, ipſi cu-

Digitized by Google

ræ fore ut mihi ſuppeditarentur.

At nullam adhuc nanciſcebar opportunitatem in lucem emittendi devotionem in Cor ſacratiſſimum, quam pene unam ſpirabam. Prima illius manifeſtandæ opportunitas mihi per divinam bonitatem oblata ejuſmodi fuit: quum feſtum ſanctæ Margaritæ incidiſſet in feriam ſextam, rogavi Sorores noſtras in novitiatu degentes, cujus curæ tunc præeram, ut quicquid honoris mihi parabant occaſione diei, qui feſtus erat ſanctæ Patronæ meæ, id totum ad honorandum Cor ſacratiſſimum Domini noſtri Jeſu Chriſti converterent; quod fecerunt ex animo, compoſita exigua ara, cui impoſuerunt icunculam ſacratiſſimi Cordis in charta calamo delineatam. Huic imagini conatæ ſumus exhibere quicquid honorum nobis hoc ſacratiſſimum Cor ſuggeſſit, quod & mihi & illis multas accerſivit humiliationes, mortificationes & contradictiones. Id enim mihi criminationis inferebatur, quod vellem novam devotionem in mores inducere. Quæ omnes afflictiones magno mihi erant ſolatio: quodque timebam maxime illud erat, ne divinum illud Cor hiſce ſermonibus offenderetur, & aliquid inde injuriæ in ipſum redundaret: omnia enim, quæ contra hanc devotionem dici audiebam, totidem gladii erant, quibus Cor meum transfodiebatur. Interdictum porro mihi fuit ne ullam ex his ſacratiſſimi Cordis imaginibus palam exponerem, dictumque mihi eſt aliud concedi non poſſe, niſi ut illi ſecretum aliquem cultum offerrem. In afflictione

Occaſione dicti cultus erga Cor SS. Jeſu multa patitur.

ne

ne mea non habebam ad quem confugerem, niſi ad ipſummet Dominum, qui dejectum mihi erigebat animum, dicens aſſidue: ne timeas, regnabo, quicquid contra moliantur inimici mei, iique omnes qui obſtare conabuntur: quæ verba me admodum conſolata ſunt, quandoquidem aliud optabam nihil, niſi ut ipſum regnantem viderem. Ipſi igitur curam commiſi cauſæ ſuæ defendendæ, dum ego ſilens paterer. Sed tot alia excitata ſunt perſecutionum genera, ut infernus totus adverſus me debacchari, omniaque eo ſpectare viderentur ut ad nihilum redigerer. Fateor tamen nunquam me majori pace intus in memetipſa potitam eſſe, nec tam ingenti affectam eſſe gaudio, quam quum mihi minæ intentarentur de ſubeundo carcere, atque denuntiaretur fore ut (inſtar boni Magiſtri mei) apud unum e Principibus terræ traducerer tanquam muliercula in vanis imaginationis ſuæ ludificationibus pertinaciter obfirmata. Quod non eo dico, ut credatur me multum paſſam eſſe, ſed potius ut manifeſtentur ingentes Dei mei miſerationes erga me, quæ unice amabam, pluriſque quam cætera omnia faciebam eam, quam mecum communicabat, ſuæ Crucis portionem, eſcam ſcilicet mihi tam ſuavem, ut nunquam illam faſtidirem.

Si penes me fuiſſet ſacram Euchariſtiam crebro ſumere, cumulate mihi ſatisfactum eſſet. Acciditque aliquando ut ardenter id cupienti mihi obtulerit ſeſe ſupremus Dominus meus, & congeſta ſcopis purga- XLIX. *Jeſu erga ipſam amoris inſigne teſtimonium.*

Digitized by Google

menta ferenti dixerit: vidi, Filia, gemitus tuos, & cordis tui deſideria ita mihi grata ſunt, ut ſi meum divinum amoris Sacramentum non inſtituiſſem, illud ipſum in gratiam tui inſtituturus eſſem, ut gauderem voluptate habitandi in anima tua, meamque amoris quietem in corde tuo caperem. Quæ verba me tam vehementi ardore penetrarunt, ut illius vi animam meam totam abripi ſentirem, neque poſſem animi mei ſenſum aliter ſignificare, quam hiſce vocibus: O amorem, O Deum nimium amantem tam indignæ creaturæ! Atque hoc mihi toto vitæ tempore vehemens incitamentum fuit ad expromendam erga hunc purum amorem grati animi memoriam.

L. *Viſio animæ in Purgatorio detentæ auxilium ab ipſa petentis.*

Alio quodam die quum eſſem coram ſanctiſſimo Sacramento (feſtus agebatur ejuſdem ſanctiſſimi Sacramenti dies) obtulit ſeſe mihi quidam totus abſorptus flammis, quarum ardores tam acriter me invadebant, ut una cum illo ardere mihi ipſa viderer. Is quum mihi oſtendiſſet quam miſeranda eſſet in purgatorio ſua conditio, magnam vim lacrymarum profudi: tum mihi dixit: ego ſum Religioſus ille Benedictinus, qui peccatorum tuorum confeſſionem quodam die excipiens juſſi ut ſacram Euchariſtiam ſuſciperes; in cujus rei gratiam, Deus mihi poteſtatem fecit petendi a te in meis cruciatibus auxilii. Petiit itaque, ut trimeſtri ſpatio quicquid facere me aut pati contingeret ſibi donarem; quod ipſi promiſi, petita prius a Superiore mea hujus rei facultate. Explicuit mihi vehementium dolorum ſuorum cauſas, quæ erant

Digitized by Google

erant ejuſmodi: quod nempe privatum commodum, præ nimio bonæ apud homines exiſtimationis ſtudio, divinæ gloriæ antetuliſſet. Altera cauſa, quod charitatis partes non expleviſſet erga fratres ſuos. Tertia cauſa erat nimius naturalis affectus erga creaturas, iſque in colloquiis ſpiritualibus ſignificatus, quod multum Deo diſplicere teſtabatur. Mihi eſſet admodum difficile explicare quid hiſce tribus menſibus paſſa ſim; nec enim unquam diſcedebat a me, & qua parte hærebat lateri meo, ea ardere tota mihi videbatur, ſed cum ſenſu doloris tam acri, ut fere aſſiduos gemitus ederem, lacrymaſque funderem aſſiduas: atque Superior mea miſerata vicem meam, ſeveras pœnitentias mihi imponebat, præſertim corporis verberationes; iis enim pœnis atque corporis macerationibus, quæ mihi ex charitate injungebantur, multum remittebatur de aliis pœnis, quas illa ſanctitas amoris mihi imprimebat tanquam exiguum ſpecimen pœnarum, quibus animas illas commiſeratione ſane dignas affligit. Expletis tribus menſibus vidi illum longe alium atque antea videram; nam prorſus gaudio cumulatus & gloria ad ſuam felicitatem æternam poſſidendam evolabat. Mihi cum gratiarum actione dixit ſe apud Deum auxilio mihi futurum. Verum ego in morbum incideram; & quum idem meorum atque illius dolorum finis fuiſſet, brevi ex morbo convalui. LI.

Terribilia patitur pro ſalute animæ jamjam a Deo reprobandæ.

Quum autem aliquando ſupremus Dominus meus mihi ſignificaſſet, ſi quando deſerere ſtatuiſſet aliquam ex animabus pro quibus me pati volebat, facturum ſe

Digitized by Google

ſe ut experirer qui ſit ſtatus animæ reprobatæ, ſentiremque ipſa anguſtias, quibus urgetur mortis imminentis tempore. Nihil unquam terribilius experta ſum, idque mihi declarare cupienti verba non ſuppetunt. Aliquando enim mihi ſeorſum ab aliis laboranti data eſt in conſpectum religioſa quædam adhuc vivens, mihique ſic dictum eſt, ut penitus intelligerem: ecquid vides illam nomine tenus religioſam, quam paratus ſum evomere ex corde meo & ſibimetipſam derelinquere? Eodem temporis momento tanto terrore correpta ſum, ut prono in terram vultu proſtrata dudum ibi manſerim, ex concepto timore animum confirmare non valens; atque eodem tempore divinæ juſtitiæ me obtuli ad patiendum quicquid ipſi liberet, ut illam non deſereret: tum viſa ſum mihi, converſâ in me juſtâ ipſius indignatione, ad horribiles omni ex parte redacta ærumnas & anguſtias. Namque humeros meos prægravi pondere premi ſentiebam. Si lubebat oculos ad Cœlum tollere, cernebam numen mihi infenſum virgis verberibuſque mox in me expediendis armatum: ex alia parte videbar mihi videre infernum hiantem, faucibus ad me deglutiendam apertis. Intus apud me rebellarant omnia, & in perturbatione verſabantur; inimicus meus violentis undique me impetebat tentationibus præſertim deſperationis, & aſſidue fugiebam eum qui fugienti mihi inſtabat, & cujus oculis occultare me non poteram; quodvis enim tormenti genus ultro ſubiiſſem ad hujuſmodi latebram reperiendam. Ignominias ferebam hor-

Digitized by Google

horrendas, quod ærumnas meas omnibus notas eſſe arbitrarer: ac ne precari quidem Deum poteram, nec aliter quam lacrymis dolorem meum teſtari; id unum dicendo, Ah! quam horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Aliáſque prono in terram ore dicebam: percute, mi Deus, ſeca, ure, abſume quicquid tibi diſplicet, nec corpori meo, nec vitæ meæ, nec carni, nec ſanguini meo parce, modo hanc animam æternum ſalvam eſſe jubeas. Non poteram, fateor, diu ſuſtinere tam acerbum ſtatum, niſi ipſius Domini amantiſſima miſericordia ſub juſtitiæ ſuæ ſeveritate prope ſuccumbentem me confirmaſſet. Hinc adeo morbum contraxi, ac nonniſi ægre mortem effugi. Graves hujuſmodi affectiones animi ſæpe, ut paterer, effecit; inter quas quum mihi oſtendiſſet ultionem quam volebat de quibuſdam animabus ſumere, ad ejus ſacratos pedes amplectendos ſupplex provoluta ipſum ſic allocuta ſum: O mi Salvator, effunde potius in me omnem iram tuam, & dele me de libro vitæ, potius quam ut perdas animas iſtas tuas quæ tibi tanti conſtiterunt. Et mihi datum eſt reſponſum: at illæ te non amant, nec te affligere deſinent. Nihil intereſt, O mi Deus, dummodo te ament, non deſinam orare te ut ipſis ignoſcas. Dimitte me, eas jam pati non poſſum. Tum vero adhuc arctius illum complexa, non, Domine mi, non te dimittam, donec illis ignoveris; & dixit mihi: annuo, ſi vadem te pro illis dare vis. Volo utique Domine: at tibi non ſatisfaciam niſi ex tuis ipſius, ut ſoleo, bonis, qui theſauri ſunt

ſa-

ſacratiſſimi Cordis tui. In hac oblata conditione acquievit.

LII. *Viſio cœleſtis SS. Cordis Jeſu.*

Alio quodam die, quum facerem opus commune can nabinum, ſeceſſi in exiguum impluvium prope Templi cellam, ubi ſanctiſſimum Sacramentum aſſervatur: ibi flexis genibus in opus noſtrum incumbens, adverti protinus animum meum ac ſenſus meos colligere ſeſe, ac mihi ſimul repræſentatum eſt amabile Cor adorandi Jeſu mei, ſole ſplendidius. Mediis erat in flammis puri amoris ſui, circumdantibus Seraphinis, qui mira quadam ſymphonia concinebant:

Amor triumphat,
Potitur amor,
Gaudia procreat,
Sacri Cordis amor.

Quumque beati illi ſpiritus me invitarent ad laudes illius divini Cordis una ſecum celebrandas, non audebam me ipſis adjungere; ſed meam hanc timiditatem arguerunt, mihique dixerunt ſe veniſſe ut me ſibi ſociam aſſumerent, ad perpetuum amoris, adorationis, laudumque obſequium illi perſolvendum; quem in finem, mea vice ipſimet functuri eſſent coram ſanctiſſimo Sacramento, ut vicaria ipſorum opera illud ſine ulla intermiſſione amare poſſem; itidemque dixerunt in partem ſe venturos amoris mei, paſſuroſque in perſona mea, quemadmodum ego in perſona eorum potitura eram; initæque hujus ſocietatis monimentum eodem tempore in hoc ſacratiſſimo Corde litteris aureis & indelebili amoris charactere conſigna-

gnarunt. Duabus tribusve horis in hac divina communicatione expletis, illius effectus in reliquum totius vitæ meæ tempus permanere ſenſi, ſive auxiliis inde acceptis, ſive deliciis quas illa pepererat & pariebat in me, quam ejuſmodi gratia totam reliquit velut pudoris abyſſo immerſam: nec deinde illos beatos ſpiritus inter orandum aliter appellabam, quam meos divinos ſocios. Id tanto me deſiderio inflammavit ſinceræ in agendo animi intentionis, tamque ſublimem animo meo notionem impreſſit illius puritatis, quæ neceſſaria eſt hominibus cum Deo collocuturis, ut præ illa, omnia mihi immunda viderentur.

LIII. *Sorori lethargo laboranti ſuccurrit promiſſione Deo facta.*

Accidit alio quodam tempore, ut una e Sororibus noſtris junioribus lethargia ſopiretur, utque ſpes nulla ſupereſſet fore, ut extremis morientium Sacramentis muniri poſſet; quod multum angebat totam domum noſtram, ac præſertim noſtram Matrem, quæ juſſit ut Domino promitterem quicquid ſibi ad eam gratiam impetrandam acceptum fore benigne mihi ſignificare vellet. At vix Superioris præſcripto parueram, quum ſupremus ille Dominus animæ meæ mihi pollicitus eſt, ſororem non morituram ſine illis, quæ merito ipſi precabamur, Sacramentorum ſubſidiis, dummodo ego tria ipſi Domino pollicerer, quæ ex me omnino requirebat. Primum, ut nunquam ullum in religioſa familia officium mihi aſſignatum detrectarem: ſecundum, ut ad colloquia cum externis ire; ac demum (quod tertium erat) ſcribere non

Digitized by Google

renuerem. Ad hanc petitionem fateor me totam cohorruiſſe, quod ab hiſce rebus vehementer animus meus abhorreret. Reſpondi autem: O Domine mi, ea ſane parte me probas, qua debilem me noſti; at facultatem petam, quæ quidem mihi continuo a mea Superiore conceſſa eſt; quantumvis hanc mihi acerbam facultatem fore; ipſi ſignificarem. Hujus promiſſi, quod in morem voti Dominus a me fieri voluit, teſtem etiam ſyngrapham conficere me juſſit, ut ab ſponſione deſciſcere jam non poſſem. Verum, hei mihi! quoties in his, quæ promiſeram, præſtandis infidelem me præbui. Neque enim Dominus, qui ſibi promitti juſſerat, eam, quam patiebar in præſtando promiſſo, difficultatem ademit, quæ ad hunc uſque diem mihi relicta eſt: ſed Soror noſtra extremis Sacramentis munita fuit.

LIV. *Nomen Jeſu pectori inſculpit & miraculo ſanatur.*

Ut autem oſtendam, quouſque tot inter inſignia Dei beneficia infidelitas mea procederet, id quod ſequitur commemorabo. Quum aliquando ardenti tenerer deſiderio recipiendi me ad exercitia ſpiritualia per aliquot dies de more peragenda, ad ea ut me aliquot ante diebus compararem, volui ſecundò ſanctum Jeſu nomen cordi meo inſculpere: ſed quum id ita feciſſem, ut inde vulnera nata eſſent, mea Superior ea de re per me monita, pridie quam mihi exercitia ineunda eſſent, mihi dixit ſe velle aliquod remedium huic malo procurare, ne quem ex eo periculoſum morbum contraherem. Eam ob rem has ad Dominum noſtrum querelas detuli meas: O mi amor unice, patie-

tieriſne ut præter te alius quiſquam cernat plagas, quas tui cauſa mihi intuli? Nonne ea eſt potentia tua, ut ſanare me valeas, qui ſummum meis omnibus malis es remedium? Denique miſertus mei ob eam quam patiebar in hoc aperiendo vulnere animi repugnantiam, promiſit mihi poſtridie me ſanam fore; quod ita re ipſa factum eſt uti promiſerat. Sed quum id renuntiare non potuiſſem Superiori meæ, cujus alloquendæ opportunitatem nacta non eram, per ſchedulam edixit mihi, ut plagas meas oſtenderem Sorori id ſuo nomine nuntianti, quæ malo meo remedium adhibitura eſſet. Quia autem ſana facta eram, exiſtimavi licere mihi exequendis illis obedientiæ juſſis ſuperſedere, donec Matrem noſtram adiiſſem, uti re ipſa ob idipſum adii, dixique me ſanatam eſſe. Proh Deus bone! Quam ſevere, propter hanc in obedientia moram accepta fui, tam a Superiore ipſa, quam a ſupremo Domino meo, qui me ſub pedibus ſuis velut in quodam exilio eſſe juſſit, ubi manſi dies circiter quinque aſſidue deflens violatam a me obedientiam; veniamque orans perpetuis corporis macerationibus. Quod ad meam Superiorem attinet, ipſa mecum tunc egit omnino non indulgenter, prout ipſi Dominus ſuggerebat; nam ſacræ Communionis privatione me multavit, quo ſupplicio gravius aliud in hac vita mihi non erat, millies enim morte damnari maluiſſem: plagas inſuper meas me oſtendere Sorori juſſit, quæ ſanatas illas comperiens nullum iis remedium adhibere voluit: magnum nihilo-

Quanta ob leviſſimum inobedientiæ defectum paſſa ſit.

minus inde pudorem retuli: & hæc omnia nihili ducebam; nullum enim eſt tormenti genus, quod non ultro ſubitura eſſem ad teſtandum dolorem, quem capiebam ex illa offenſione ſupremi Domini mei, qui demum, poſtquam mihi compertum fecit, quantum ſibi diſpliceret, vel minimus ac leviſſimus obedientiæ defectus in anima religioſa, & poſtquam hujus culpæ meæ pœnam a me repetiit, adfuit ipſemet poſtremis meorum exercitiorum diebus, meas abſterſurus lacrymas & vitam redditurus animæ meæ. Sed hic finis doloris mei non fuit, quantiſcumque me blanditiis & ſuavitatibus demulceret: hæc una recordatio, quod ipſi diſplicuiſſem, mihi ſatis erat ut effunderer in lacrymas. Ita enim liquido mihi monſtravit quid ſit obedientia in anima religioſa, ut fatear, me ad illum uſque diem, id quodammodo non intellexiſſe; ſed in hoc referendo longius excurrerem. Et dixit mihi, in pœnam meæ culpæ, non ſolum hanc ſacratiſſimi nominis Jeſu inſculptam lateri meo notam, quæ mihi tanti conſtiterat, in memoriam illius doloris quem ipſe in hoc accipiendo nomine paſſus erat; non ſolum, inquam, hanc notam poſthac non apparituram, ſed ne illam quidem, quæ prius impreſſa fuerat; quæ ambæ antea probe ſignatæ, & ſuis quæque diſtinctæ characteribus apparebant. Atque illud dicere poſſum, meam hanc ſolitudinem, doloris plenam ſolitudinem fuiſſe.

LV: *Spiritus in ea agentis probatio quæritur, & miracula veritas confirmatur.*

Quumque tam aſſidue infirma eſſem valetudine, ut octodecim continentes dies mihi ſine morbo non ef-

effluerent; quodam die, gravi ex morbo decumbentem ac vix ſatis habentem vocis, ut audiri poſſem, adiit me Mater noſtra matutino tempore, ſchedulamque mihi dedit, jubens ut id facerem, quod illa contineret. Erat autem ejuſmodi: neceſſe eſſe ſibi certum experimentum capere, num ea omnia, quæ in me agebantur, a Spiritu Dei eſſent: hujus rei argumentum fore, ſi Deus quinque menſium integram valetudinem, nulliuſque alienæ opis indigentem mihi concederet. Si autem aut diabolicus, aut naturalis ſpiritus me regeret, eodem ſemper modo corpus meum affectum iri. Dicere nequeo quantorum mihi dolorum hæc ſchedula cauſa fuerit, cujus mihi argumentum & ſententia, antequam eam legiſſem, manifeſtata fuerat. Igitur valetudinario exire juſſa ſum ejuſmodi verbis, quæ ipſe Dominus noſter ſuggerebat, ut ea naturæ graviora & acerbiora efficeret. Hanc igitur ſchedulam obtuli ſupremo Domino meo, qui non ignorabat quid contineret, & reſpondit mihi: id tibi confirmo, Filia, me in teſtimonium boni ſpiritus, qui te regit, ultro illi conceſſurum fuiſſe tot annos firmæ valetudinis tuæ, quot menſes popoſcit; imo quæcumque alia voluiſſet certa hujus rei ſigna daturum fuiſſe. Quumque Sacerdos ſacram Hoſtiam populo adorandam exhiberet in Miſſæ ſacrificio, ſenſu ipſo experta ſum omnes meæ valetudinis infirmitates mihi detractas eſſe more veſtis qua exuta eſſem, & quæ ſuſpenſa manſiſſet; nec minus viribus valere cœpi, minuſque firma uti valetudine, quam robuſtiſſimus

Digitized by Google

quiſpiam, quem a longo tempore nullus tentaſſet morbus; quo in ſtatu præfinitum mihi tempus exegi, eoque expleto in priorem ſtatum reſtituta ſum.

LVI. *Febri laborans e valetudinario egredi & ſpiritualibus exercitiis vacare jubetur, ubi a Chriſto ſanatur, & deliciis cumulatur.*

Quum autem me, die quodam, febri laborantem Superior mea valetudinario exire juſſiſſet ad ſpiritualia exercitia de more traducendam, meæ enim recurrebant ea peragendi vices; dixit mihi: vade, committo te curæ Domini noſtri Jeſu Chriſti; ipſe te dirigat; ipſe te gubernet & ſanet juxta ſuam voluntatem. Quanquam nonnihil obſtupui, tunc enim ab febre mihi corpus intremebat, abii tamen læta hoc obedientiæ præſcripto exequendo, tum quod totam me commiſſam viderem curæ boni magiſtri mei, tum quod occaſionem hinc nacta eſſem pro ipſius amore patiendi, nihil ſollicita quo modo exercitiorum meorum tempore mecum ageret, ac perinde æquo animo futura, ſive patiendo, ſive fruendo tunc exerceri me vellet: mihi paria ſunt omnia: dummodo ipſe ſibi ſatisfaciat, & ego illum diligam, id mihi, ajebam, ſatis eſt. Sed ubi primum in cellam noſtram me recepi, obtulit ipſe ſe mihi, quæ humi me abjeceram dolore & frigore pene exanimis, ac ſurgere juſſam innumeris blanditiis excepit dicens: ecce nunc penes me tota es, & curæ meæ omnino relicta, quam ob rem ſanam te volo his reddere, qui ægrotantem te mihi in manus dederunt. Tam perfecte ſanam reipſa me fecit, ut mihi ipſa non viderer ægrotaſſe: quod magnam admirationem commovit præſertim Superiori meæ quid geſtum eſſet ſcienti. Nunquam ſolitudinem experta

ſum

Digitized by Google

ſum tantis perfuſam gaudiis ac deliciis: in quodam Paradiſo verſari me putabam ob inſignes gratias, quas continenter accipiebam a Domino meo Jeſu Chriſto, a ſanctiſſima ipſius Matre, ab Angelo meo Cuſtode, & Beato Patre meo ſancto Franciſco Saleſio. Illas gratias ſingillatim non perſequar, ne longior ſim; verum O quam ſingulares illæ fuerunt! Amabilis director meus, ut conſolaretur dolorem, quo me affecerat delendâ ſacratiſſimi ſui nominis notâ tantis cum doloribus cordi meo ante inſculptâ, ejuſdem nominis notam interiorem cordi meo imprimere gravatus non eſt, externamque pectori meo inſcribere puri amoris ſui ſigillo & prorſus inflammato ſcalpello: verum id eo modo fecit, qui millies plenior conſolationis & gaudii fuit, quam ille prior afflictionis & doloris fuerat. Quum mihi deeſſet nihil præter Crucem, ſine qua vivere non poteram, & extra quam mihi voluptas nulla etiam cœleſtis & divina ſapiebat, quia inſtar omnium deliciarum illud habebam ut nempe eſſem ſimilis Jeſu meo patienti; id unum verſabam animo, ut corpus meum vexarem omnibus macerationibus, quas pro ampla, quæ mihi facta erat, hujus rei poteſtate adhibere licebat. Et re ipſa hoc ipſum corpus probe maceravi ſive pœnitentiis, ſive certa victus lectique ratione; ſtravi enim mihi e teſtaceis fragmentis lectulum, in quo cubabam ſumma cum voluptate, tota licet contra infremente natura: ſed fruſtra erat hic fremitus, cui non auſcultabam. Quum autem vellem corpori meo adhibere

ma-

macerationem quamdam, quæ ipſa ſua aſperitate magnam ſui appetitionem in me ciebat, & qua putabam aliquo modo ſatisfacturam me pro injuriis Domino noſtro in ſanctiſſimo Sacramento illatis, ſive a me indigna peccatrice, ſive ab iis omnibus, qui in eodem Sacramento honorem ipſi debitum violant; paranti jam mihi hujus propoſiti executionem ſupremus Domimus meus edixit ne ultra progrederer, dicens: gratius ſibi fore ſacrificium deſiderii mei, quam ſi illud exequerer, propterea quod ipſe, qui ſpiritus eſt, ſacrificia ſpiritus requireret: quibus dictis parui & acquievi.

LVII. *Viſio cœleſtis in ſumtione Eucbariſtiæ cum prædictione ſecuturæ infirmitatis graviſſimæ.*

Eunti aliquando mihi ad ſanctam Communionem, viſa eſt, inſtar ſolis cujus ſplendorem ferre non poteram, ſplendere ſacra Hoſtia, ejuſque in medio Dominus noſter in manu habens coronam ſpineam, quam paulo poſt Sacramenti ſuſceptionem impoſuit capiti meo dicens: accipe, Filia, coronam hanc in ſignum illius, qua brevi donaberis in ſimilitudinem mei. Tunc non intellexi quid hæc ſibi vellent; ſed non ita multo poſt comperi ex iis effectibus, qui conſecuti ſunt, terribiles plagas mihi in capite inflictas; ita ut ex illo tempore mihi viderer caput habere circumcinctum acutiſſimis dolorum ſpinis, quibus, quoad vixero, pungi non deſinam: pro quibus doloribus immortales ago gratias Deo meo, qui tantis beneficiis afficit vilem ſuam victimam. Verum, hei mihi! victimas, ut ſæpe dico Domino meo, decet eſſe innoxias, quum ego contra to-

Digitized by Google

tota noxia ſim. At fateor me pretioſam hanc coronam a ſupremo Domino meo acceptam in majoris beneficii loco reponere, quam ſi maximorum Regum terræ omnia diademata mihi dono donaſſet: idque eo magis, quod nemo coronam hanc mihi detrahere poteſt, & quod ſæpe hinc ad beatam adducor neceſſitatem vigilandi, & cum ipſo, qui meus unicus amor eſt, colloquendi, caput meum in cervicali reclinare nequiens, ſicut bonus Magiſter meus, qui adorandum caput ſuum in Crucis lecto reclinare non poterat. Id me incredibilibus gaudiis afficit, quum aliquam ipſius in me ſimilitudinem exprimi video. Volebatque Dominus, ut per hunc meum dolorem a Deo Patre ſuo, per merita ſpineæ coronationis ſuæ, cui meam conſociabam, ſupplex peterem converſionem peccatorum ad meliorem vitam, & humilitatem pro ſuperbis illis capitibus, quorum faſtus tam ingratus ipſi & injurioſus eſt.

Quodam die ex eorum numero qui ante quadragenarium jejunium geniales ſunt, quinque circiter hebdomadibus ante feriam quartam cinerum, poſt ſacram Communionem Dominus ſe mihi obtulit Crucem ſuam bajulans, ſub ea inſuper ſpecie, qua Judæis oſtenſus eſt a Pilato dicente, *Ecce Homo*, totus vulneribus laceratus & ſugillationibus deformatus, manante undique ipſius adorando ſanguine, ac triſti lamentabilique voce dicens: nemo ne erit, quem miſereat mei, quive mecum patiente dolere, & in partem venire velit dolorum meorum, inter digna com-

LVIII. *Viſio Chriſti Crucem bajulantis tempore Bacchanalium.*

Digitized by Google

miſeratione tormenta, quæ patior a peccatoribus hoc præſertim tempore? Quod in me erat, ad hoc officium ipſi exhibendum, ultro detuli, ad ſacratos ejus pedes provoluta cum lacrymis & gemitibus; ſubienſque onus prægravis illius Crucis clavorum cuſpidibus undique inhorreſcentis, cujus pondere opprimi me ſentiebam, cœpi melius intelligere gravitatem & malitiam peccati, quod ita in corde meo deteſtabar, ut maluiſſem millies præcipitem me dare in infernum, quam vel unum peccatum ſciens ac volens committere. O dignum, ajebam, omni execratione peccatum, quam deteſtabile es propter injuriam quam infers ſupremo bono meo! Dominus autem mihi ſignificavit, ſatis non eſſe, quod Crucem illam bajularem; ſed mihi faciendum, ut cum ipſo eidem cruci affigerer, ut fida ipſi ſocia adjungerer particeps dolorum ejus, contemtuum, opprobriorum & aliarum contumeliarum, quas patiebatur. Continuo permiſi me totam ejus voluntati in iis omnibus quæ ex me cupiebat, ſinens me, pro ejus beneplacito, Cruci affigi vi morbi, qui brevi effecit, ut clavorum, quibus illa Crux tota aſpera erat, aculeos ſentirem doloribus acerrimis, quos non levabat alia commiſeratio, quam contemtiones aliaque multa inde conſecuta naturæ maxime odioſa. Sed heu! quid poſſem pati, quod æquaret magnitudinem criminum meorum, quæ me jugiter pudoris velut abyſſo quadam abſorptam tenent, ex quo Deus oſtendit mihi horribilem figuram animæ peccati mortalis labe fœdatæ, nec non ipſius peccati

cati gravitatem quæ, in bonitatem inſurgens infinite amabilem, ipſi ſumme injurioſa eſt. Hic aſpectus acerbius me angit, quam omnia tormentorum genera; iis enim omnibus vellem cruciari cœpiſſe tamquam antidotis adverſus peccata, ne in ea, quæcumque admiſi, inciderem; idque vellem, etiamſi certo compertum haberem Deum meum ex infinita ſua miſericordia illorum peccatorum veniam mihi conceſſurum, neque illis tormentis cruciandam me traditurum. Hi dolorum ſenſus, de quibus ſupra dixi, perſeverare ſolebant in me toto genialium dierum tempore ad feriam uſque quartam cinerum, quo die videbar in extremis eſſe, nullo mihi ſuppetente ſolatio vel levamine, quod novam dolorum acceſſionem non pareret: ac deinde derepente ſatis mihi virium ac vigoris eſſe comperiebam ad ſacrum Quadrageſimæ jejunium obſervandum, quod ſupremi Domini mei beneficio ac miſeratione ſemper obſervavi; quamvis aliquando tot doloribus opprimerer, ut exercitium aliquod aggrediens mihi non viderer poſſe in eo ad finem uſque ſubſiſtere: tum ab illo ad aliud inchoandum pergebam iiſdem cum difficultatibus, dicens: O mi Deus, hanc gratiam mihi concede, ut ad finem pervenire poſſim: quem poſtquam aſſecuta eram, Domino agebam gratias quod tolerantiis ſuis, quaſi horologio, ſic metiretur momenta mei temporis, cujus horarum ſingularum ita dari ſignum jubebat, ut illud dolorum ſuorum quaſi rotæ circumactæ moderarentur. Et quando novæ alicujus Crucis dono mu-

Digitized by Google

nerari me volebat, ad id me præparabat affluentia blanditiarum & deliciarum ſpiritualium tantarum, ut illis ſuſtinendis par futura non fuiſſem, ſi diuturniores fuiſſent: & tunc temporis dicebam: O mi amor unice, hæc omnia gaudia voluntaria abdicatione tibi in manus trado: transfer ea ad ſanctas illas animas, quæ melius quam ego, iis utentur ad majorem gloriam tuam: te unum volo, propter te ipſum: ſubtrahe ergo mihi cætera omnia, ut te amore complectar ab omni & propriæ utilitatis intuitu & voluptatis illecebra libero; & aliquando illud ipſum erat tempus, quo de induſtria ſtudebat meis deſideriis adverſari, non ſecus ac ſapiens perituſque director, dans mihi frui, quum pati voluiſſem. Utrumque, fateor, profectum ex ipſius manu donum erat: atque omnia quæ in me contulit beneficia, ex mera miſericordia contulit; nec enim ulla unquam creatura ſic illi reſtitit, ut ego reſtiti, ſive infidelitatibus meis, ſive illo quo laborabam metu in illuſiones incurrendi. Et centies mirata ſum quod ille me non redigeret in nihilum. Quantæcumque meæ ſint culpæ, me non privat amabili præſentia ſua, ſicut ipſe mihi pollicitus eſt; ſed quum ipſi aliqua in re diſplicui, eamdem præſentiam mihi exhibet ita terribilem, ut quodvis tormentum mihi futurum eſſet levius, quodvis lubentius millies toleratura eſſem, quam divinam illam præſentiam divinæque ſanctitatis ſubitura conſpectum, poſt contractam alicujus peccati labem: & tunc temporis, in latebras aliquas, ſi penes me fuiſſet, con-

ji-

Digitized by Google

jicere me voluiſſem; ſed vani erant mei omnes conatus, ubique enim in id, quod fugiebam, incurrebam, idque cum cruciatibus adeo horrendis, ut mihi ipſa eſſe viderer in purgatorio. Nihil erat in me dolore vacuum, ſolatium nullum, nec ſolatii conquirendi deſiderium. Hinc in amaritudine dolorum meorum erumpebam in has voces: O quam horrendum eſt incidere in manus Dei viventis! Hunc in modum meas ipſe noxas eluebat, quando ipſa ſatis fidelem promtumque ad eas puniendas animum non adhibebam. Nec ullum unquam peculiare beneficium ipſius bonitas mihi impertiebatur, quod non hujuſmodi tormenta præcederent; itemque poſt accepta beneficia, me abſorptam eſſe quodammodo ſentiebam purgatorio humiliationum & ignominiarum, in quo ea patiebar quæ verbis exprimere nequeo; ſed ſemper in ſumma animi quiete, quæ mihi nulla re turbari poſſe videbatur; quamvis partem animæ inferiorem ſæpe agitarent ſive animi mei commotiones, ſive inimicus meus, qui ut me perturbaret nihil non moliebatur, cum nulla ſit anima contra quam valeat magis, & in qua plus lucri faciat, quam ea, quæ laborat animi perturbatione & inquietudine: talem animam ſibi ipſe ludibrio habet atque ad omne bonum ineptam facit.

FINIS.

Deus ſit benedictus.

Digitized by Google

EXCERPTA QUÆDAM

Litterarum ejuſdem Ven. Matris ad animæ ſuæ rectorem ſcriptarum.

Ex Litteris datis 10. *Auguſti* 1689.

Diviniſſimum illud Chriſti Cor totam me tenet aſſidue veluti merſam mari amaritudinum, & abyſſo humiliationum atque abjectionum, ut ipſi ſimilis effecta, peculiari quodam cultu proſequar illum angorum & ærumnarum gurgitem, quo merſum ſemper fuit Cor ipſum ſacratiſſimum Chriſti; divinâ juſtitiâ ſic ab eo ultionem de injuriis per nos Patri æterno illatis exigente. Quos itaque, ob ſtabilitum illius ſacratiſſimi Cordis regnum, nonnunquam experior lætitiæ ſenſus, ii fulguris inſtar dicto citius abeunt, ſtatimque revolvor ad meam hanc in pace imperturbata amaritudinem amariſſimam, quo ex fonte refero mentem ad hominum laudes ac vituperia ex æquo paratam, dum apud me ſtatuo, talia hominum de me judicia aliam me nunquam poſſe efficere ac reipſa ſum coram Deo. Per quicquid igitur ineſt tibi amoris erga Cor Chriſti diviniſſimum, te oro, atque obteſtor, ut ab ipſo Chriſto Domino exores tibi gratiam perſpiciendi numquid pravi habeat iſce, quem expoſui, animi ſtatus, & quid ſit in me quod Domino diſpliceat; quod deinde totum, pio commiſerationis officio, mihi ſimpliciter & aperte declarare ne graveris: ego enim lucis egentiſſima, in iis omni-

bus

bus quæ ad me ſpectant, tota cæca ſum. Quamobrem, ne quid in me obſtet ſacratiſſimo Cordi majorem ſui cognitionem & amorem hominum mentibus injicere volenti, ſæpe verita, eo adducor ut cupiam eximi, ſi Deo placitum foret, hac miſera vita, in qua mihi una voluptas eſt perpetuo pati in ſimilitudinem hujus dilecti animarum noſtrarum, qui me tam acri urget patiendi fame; ut miſer famelicus cibum non poſſit excipere ore avidiori, quam ego corde expetam panem ſuaviſſimum dolorum, contemtus, humiliationes, hominum denique de me oblivionem & propriam cum rubore abjectionem.

Litteræ datæ 3. Novembris 1689. ſic incipiunt:

Nunc igitur adeſt tandem illud tempus, quum corda noſtra ſine intermiſſione oportet abſumi divino illo incendio ſacratiſſimi Cordis amabilis Jeſu noſtri; qui quum intra ſe jam non contineat ſacras illas flammas, eaſdem tam ardentes intorquet in corda huic igni concipiendo ſatis aptata. His ergo flammis ardere nobis detur in perpetuas æternitates.

Deinde ſub finem Epiſtolæ poſtquam expoſuit nonnullas gratias, & ſibi conceſſa a Deo lumina, pergit in hanc ſententiam:

De his nihilominus quid ſentias mihi velim ſignifices, & quo ex ſpiritu hæc omnia tibi videantur eſſe profecta: quamquam enim ejuſmodi gratiarum effecta ſunt nulla niſi amor, pax, mei ipſius coram Deo deſpicientia ex proprii nihili intuitu orta

ta, in eo tamen, quod de iis facere te reſcribes, judicio plane acquieſcam. Imo hæc omnia licet mihi oſtenderis meras eſſe fallacias, meramque illuſionem, videor mihi nihil propterea animum contractura; quod talibus gratiis nunquam animo adhæſerim, ſed ei ſoli, quem ipſarum auctorem eſſe arbitrata ſum Domino meo Jeſu Chriſto, quem a me tollere, cujus e complexu me divellere, nemo eſt, ut mihi quidem videtur, qui poſſit: idque mihi ſatis ſuperque eſt.

Ex Litteris datis 17. *Januarii* 1690.

Voluit me ſupremus Dominus noſter dolores intimos atque angores animi experiri hiſce diebus anteeineralibus, quum tot hominum peccatis offenditur, atque a tam multis deſeritur; & hoc tempus ita exiſtimo mihi tempus eſſe doloris & amaritudinis, ut mihi nihil obverſari ante oculos mentis, nihil ſapere poſſit, præter Jeſum meum dolentem & derelictum, dum ipſius dolorum in partem venio; quorum ſenſum tam acrem mihi inurit Cor ipſius ſacratiſſimum, ut me ipſa non agnoſcam. Nihil eſt, quod in manibus divinæ juſtitiæ non fiat inſtrumentum aptum ad cruciandam hanc victimam peccatis onuſtam. Nihil itaque poſſum aliud niſi memetipſam tanquam hoſtiam placationis immolare ejus ſanctitati, quæ juſtitia eſt, tam terribili certe quidem inquinatis peccato hominibus, ut plane confitear, niſi me tantum confirmaret ipſius ſanctitas, quæ amor & miſericordia eſt, quantum juſtitia ipſa ſuæ ſeveritatis pondere me premit,

Digitized by Google

mit, me huic oneri, vel punctum temporis ferendo non ſuturam. In his tamen omnibus pace imperturbata fruor, nihil ſtudens niſi beneplacito divinæ voluntatis acquieſcere, quæ ſi fiat, id unum mihi inſtar omnium eſt. Neque vero mihi poſſe videbar reſpondere tuis litteris, at mihi in mentem venit, ſi Deo cordi ſit, ut reſcribam, ab eodem mihi datum iri, ut id poſſim, eo quo placitum ipſi fuerit modo; ego enim in præſentia nullam aliam, quantum in me eſt, vellem vocem edere niſi hanc, *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*; vel hanc Salvatoris mei e Cruce pendentis, *Deus meus ut quid dereliquiſti me*; & rurſum hæc ejuſdem Chriſti verba, *Pater dimitte illis*. Quanto autem patior magis, tanto magis uri me ſentio patiendi ſiti. Quamobrem æquum mihi videtur futurum ſi res omnes creatæ præſto ſint, & velut ad manum divinæ juſtitiæ tamquam inſtrumenta ad me excruciandam expedita. Quamquam nihil opto, nihil poſco, ſatis habens ſubeſſe totamque me permittere divino arbitrio.

Ex Litteris datis 18. *Februarii* 1690.

Fateor tibi ſic augeri meos animi dolores, ut identidem tartarea omnis turba videatur in me libere debacchari, in meumque prorſus interitum conſpiraſſe: hunc in modum undique impetita, nullo tamen timore percellor, totam me abdens penituſque inſinuans in arcem meam munitiſſimam Cor ſacratiſſimum Jeſu Chriſti Domini mei, qui tanquam dux

Digitized by Google

& moderator ſapientiſſimus, quantum mihi neceſſe eſt virium, ad ſingulos impetus ſuſtinendos, tantumdem omnino mihi in ipſo opportuni temporis articulo, nec plus minuſve impertit.

Ex Litteris datis 16 *Maji* 1690.

Supremus Dominus meus tota eſt fortitudo mea ac firmamentum meum, in mediis quidus varie jactari non deſino angoribus & ærumnis, quæ nonnunquam eo uſque progrediuntur, ut mihi tantis procellis concidendum eſſet millies, niſi relevarer per illud, de quo dixi, præſidium Cordis Jeſu mei amabilis in ſactiſſimo Sacramento; quod præſidium ſi mihi tollatur, perierit profecto mihi omnis lætitia, delectatio omnis, omne in hac vita ſolatium. Jamque tibi fatebor pro ea qua ad te ſcribo fiducia, indubitatum me experiri effectum eorum verborum, quæ audivi a Domino meo quum primum cœpit ad amabilis Cordis ſui cognitionem me adducere; quibus verbis ſignificavit indignæ ancillæ ſuæ, velle ſe facere ut vita mea proxime accederet ad ſimilitudinem vitæ hominis Dei, atque adeo effecturum ſe ut evaderem in verum exemplar Jeſu pauperis, abjecti, contemti, & dolentis, prorſusque derelicta eſſem & omni deſtituta præſidio: quod ita præſtat Dominus meus, ut ſæpe exclamem cum ipſo Jeſu meo e Cruce pendente, *Deus meus ut quid dereliquiſti me?*

EDI-

EDICTA

Plurimorum Epiſcoporum circa cultum Cordi Jeſu debitum, & Inſtitutionem feſti ad honorem ejuſdem Sanctiſſimi Cordis.

EPISCOPUS CONSTANTIENSIS In Normannia, anno 1688.

Carolus Franciſcus de Lomenie de Brienne Epiſcopus Conſtantienſis.

QUum acceperimus Presbyteros Seminarii noſtri impetraſſe a felicis recordationis Clemente X. ſummo Pontifice Bullam Apoſtolicam pro inſtituenda pia ſocietate perſonarum utriuſque ſexus in Templo dicti Seminarii ſub invocatione ſacri CORDIS JESU ET MARIÆ, in cujus cultum ſodales fidem ſuam obligabunt ad bona opera quæ ad gloriam Dei, & ſalutem animarum ſpectare poſſunt: lecta & inſpecta Bulla hujuſmodi, quam reperimus auctoritate firma comprobatam, & indulgentiis ac benedictionibus plenam; ſodalitatem Nos ipſi inſtituimus ſub invocatione SACRI CORDIS JESU ET MARIÆ. Statuta illius approbavimus; & voluimus ut ſeminarii Presbyteris liceret in memoratam ſodalitatem cooptare quoſcumque dignos exiſtimabunt. Et quibus diebus celebrari ſolet feſtum SACRI CORDIS JESU ET MARIÆ, hoc Feſtum cum octava agere. Voluimus autem in ſodalium numerum ipſi ante omnes ac pri-

Digitized by Google

mo loco aggregari: omneſque & ſingulos hortati ſumus, ut pari beneficio gauderent: & ſacro illi CORDI eum cultum redderent, quem ejus dignitas & excellentia poſtulant. Datum Conſtantiis caſtris, in palatio noſtro Epiſcopali. Die 25. Jan. 1688. CAROLUS FRANCISCUS Epiſcopus Conſtantienſis.

ARCHIEPISCOPUS VESONTINUS Anno 1694.

Miſſam propriam pro feſto Cordis Jeſu Miſſali Diœceſis proprio, inſerendam decrevit.

Miſſa de SACRATISSIMO CORDE JESU CHRISTI *feria ſexta poſt octavam Corporis Chriſti.*

Introitus. Gaudeamus omnes in Domino diem feſtum celebrantes ſub honore ſacratiſſimi Cordis Jeſu, &c.

PEtrus Franciſcus Hugon Presbyter ſacræ Theologiæ Doctor, Eccleſiæ Metropolitanæ Biſuntinæ Canonicus, & Sereniſſimi Principis Honorati Franciſci de Grimaldi ex Principibus Monæci Archiepiſcopi Biſuntini, & ſacri Romani Imperii Principis, &c. in temporalibus & ſpiritualibus Vicarius Generalis, Fidem facimus, & teſtamur, Miſſam de SACRATISSIMO CORDE JESU CHRISTI ſupraſcriptam, de verbo ad verbum deſumtam fuiſſe ex Miſſali Biſuntino, ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo DD. felicis memoriæ Antonio Petro de Grammont Archiepiſcopo Biſuntino, anno 1694. edito. Præterea teſtamur, prædictam Miſſam juxta ritum Biſuntinum, cultumque er-

erga ſacratiſſimum Cor Jeſu Chriſti, in hac Diœceſi cum maxima religione ad animarum ſpirituale incrementum proficere, præcipue in feria ſexta poſt octavam Corporis Chriſti ſpecialiter ipſi aſſignata; cuique feſto in nonnullis locis Indulgentiæ plenariæ a Summis Pontificibus conceſſæ ſunt, ſocietateſque & Confraternitates erectæ. Quibus auxiliis Chriſti Fideles ad hoc tandem deducantur, ut jam in ſemetipſis ſentire poſſint, quod & in Chriſto Jeſu. In quorum fidem præſentes dedimus manu noſtra ſcriptas, & ſubſignatas, ſigilloque Officii noſtri munitas. Biſuntii 14. Aprilis. Anno milleſimo ſeptingenteſimo vigeſimo quinto.

P. F. HUGON Vicarius generalis.

ARCHIEPISCOP. LUGDUNENSIS Galliæ Primas. anno 1718.

Franciſcus Paulus de Villeroy de Neuville Archiepiſcopus Lugdunenſis, &c.

POſt exordium luculentum de divitiis inæſtimabilibus quæ in perſona Chriſti latent; & de obligatione Paſtorum deducendi Fideles in cognitionem tam ſalutarem, deſcendit ad ſanctitatem Cordis Jeſu. Tum ſic proſequitur ... Adjumento vobis erit SACROSANCTI ILLIUS CORDIS FESTUM, quale jam celebratur in pluribus Diœceſibus, & Indulgentiis Summorum Pontificum decoratur. Finem ego, modum, ſpiritum hujus feſti examinavi diligentiſſime, quæ omnia veræ

Digitized by Google

pietati congruere ſunt comperta. Quandoquidem non aliud intenditur quam cultus particularis, Adorationis, Amoris, Laudis & Gratiarum actionis exhibitus Cordi Jeſu, tamquam Throno amoris erga Deum & homines. Quoniam vero in Euchariſtia maxime patet amor ille, atque in eodem myſterio ſæpius ab hominibus contumeliis afficitur, præcipuus finis hujus cultus eſt ſatisfacere, quantum fieri poteſt, de injuriis divino huic Cordi illatis, ab ingratis hominibus. Gratum autem Deo eſſe hujuſmodi cultum tot ſignis innotuit, ut creditam mihi a Deo authoritatem & miniſterium adhibere operæ pretium putaverim, ad fovendum, quantum in me eſt, & augendum eumdem cultum.

Quocirca auditis Decano, Canonicis, ac Capitulo Eccleſiæ Comitum Lugdunenſis, ſtatui & volui, ut deinceps in perpetuum ab anno proximo 1719. feria ſexta poſt octavam Corporis Chriſti celebretur per totam Diœceſim Festum sacri Cordis Jesu, cum ceſſatione laborúm in omni Monaſterio, cum obligatione Fidelibus omnibus impoſita divinis aſſiſtendi, cum facultate omnibus Monaſteriis conceſſa divinam Hoſtiam eo die publice in Eccleſiis ſuis adorandam proponendi, cum conceſſu Indulgentiæ 40. dierum omnibus utriuſque ſexus Fidelibus, qui confeſſi, & ſacra Euchariſtia refecti, aliquam e memoratis Eccleſiis viſitabunt.

Habitate, Fratres dilectiſſimi, in Corde Jeſu, memores quod monet Auguſtinus, per vulnera carnis pa-

Digitized by Google

patere arcana Cordis. Ingredimini vulnus Lateris, unde ad Cor ipſum dabitur aditus, ubi, teſte & experto Bernardo, protegimur, paſcimur, refrigeramur, quieſcimus. Datum Lugduni. 3. Decembris. 1718.

Idem Archiepiſcopus anno 1721. ſtatuit & juſſit idem feſtum celebrari cum ceſſatione laborum in tota Diœceſi. Voluit inſuper ut in omnibus Eccleſiis, Metropoli, Collegiatis, Parochialibus, & Monaſteriorum totius Diœceſis, ſanctiſſimum Sacramentum eo die publice adorandum proponeretur; cum aliis conceſſionibus, & hortationibus ut ſupra.

EJUSDEM ARCHIEPISCOPI Lugdunenſis.

Facultas celebrandi feſti SS. Cordis Mariæ in Eccleſia majoris Noſocomii, ubi Confraternitas ad cultum perpetuum B. M. V. adhibendum, conſtituta eſt.

Franciſcus Paulus de Neuville de Villeroy, &c.

VIſo libello ſupplici nobis ex parte Confratrum porrecto, iiſdem facultatem concedimus celebrandi quotannis feſtum SS. Cordis Mariæ. Die 8. Febr. &c. Datum Lugduni 9. Julii 1716.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPUS MASSILIENSIS 22. Oct. anno 1720.

Henricus Franciſcus Xaverius de Belſunce de Caſtelmoron Epiſcopus Maſſilienſis, &c.

POſt eloquentem ac patheticam narrationem malorum, famam ſuperantium, quibus Civitas florentiſſima ex graviſſima ac diuturna peſtilentia afflicta ac proſtrata eſt, tantæ calamitati remedium aliquod quærens Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Epiſcopus ad Cor diviniſſimum Jeſu confugit...

Eas ob cauſas ut juſtam Dei iracundiam mitigemus, modumque afferamus metuendæ cladi quæ gregem Nobis ſemper chariſſimum depopulatur, imperavimus, & imperamus in univerſa Diœceſi noſtra diem ſeſtum in honorem SACROSANCTI CORDIS JESU. Quod feſtum deinceps celebrabitur quotannis feria ſexta proxime ſequenti octavam ſanctiſſimi Sacramenti. Quo die, jam in aliis quibuſdam hujuſce regni Diœceſibus idem feſtum obſervatur. Datum Maſſiliæ die 22. Octob. 1720.

Poſtea vero prima die Nov. ejuſdem anni promulgato iſto Paſtorali mandato, Civitas Maſſilienſis ac Diœceſis univerſa SACRATISSIMO CORDI JESU publice fuere conſecrata, tanta cum religione & pompa, ut nihil ſplendidius ſolemniuſve deſiderari potuerit. Ex quo tempore ipſo Prælato in aliis Mandatis atteſtante, peſtis ita manifeſte imminui cœpit, nemo ut non crediderit quo die Maſſilia Cordi Jeſu devota fuit, co-

Digitized by Google

eodemque pariter die, illam malis ſuis defunctam fuiſſe.

Civitatis Massiliensis Deliberatio.

De Voto publico circa celebrationem feſti Cordis Jesu.

Hac die. 28. Maji. 1722. Nos Joan. Petrus Mouſtiés, Baltazar Dieudé, Pet. Remuzat, & Joan. Bapt. Saint Michel, Conſules Civitatis Maſſilienſis, &c.

Quum conveniſſemus in civilis Conſilii Baſilicam, præſente domino Marchione de Pilles Regio Provinciæ Præfecto, & Urbis Gubernatore, poſt lectas litteras a Domino Epiſcopo ad nos datas, unanimi conſenſu ſtatuimus, votum Deo nuncupare ſtabile & irrevocabile in manibus Domini Epiſcopi, quo nos, noſtroſque ſucceſſores in perpetuum obſtringeremus, ſingulis annis qua die celebratur Festum Sacri Cordis Jesu, interfuturos Miſſæ ſacrificio in Templo primi Monaſterii a Viſitatione dicti, ibidem ſanctiſſima Euchariſtiæ myſteria percepturos, & in expiationem criminum in dicta Urbe patratorum oblaturos Cereum 4. librarum pondere, qui ea die arderet coram auguſtiſſimo Sacramento. Tum rogaturos D. Epiſcopum, ut ſolemnem omnium ordinum ſupplicationem decerneret in perpetuum ejuſdem diei veſpertinis horis, ad quam ipſi accedere teneremur. Actum Maſſiliæ die & anno ſupradictis.

Digitized by Google

Votum ejuſmodi ritu ſolemni nuncupatum eſt in Eccleſia Cathedrali, & memorata ſupplicatio decreta eſt, ut habetur ex actis 4. Junii 1722. ubi Illuſtriſſ. Epiſcopus ipſe ſic loquitur. Quum anno 1720. & feſto die omnium Sanctorum, Civitatem hanc cum tota Diœceſi SACRO CORDI JESU conſecraſſem, indeque promtum & mirabile ſolatium contra graſſantem luem experti eſſemus: Hodie 4. Junii & feſto SS. Sacramenti adſuerunt in Eccleſia Cathedrali DD. Petrus Mouſtiés, Balthazar Dieudé, Petrus Remuzat, & Joannes Baptiſta S. Michel, Conſules Urbis Maſſilienſis, coram me præ manibus SS. Sacramentum habente ad ſolemnem ſupplicationem, & proſtrati votum ſuperius memoratum nuncuparunt: quod ego ratum habui, ut deinceps in perpetuum juxta formam ſuam perſolvatur. Tum de conſenſu præpoſiti Canonicorum, & Capituli Eccleſiæ Cathedralis decrevi, & ſtatui in perpetuum ſolemnem omnium ordinum ſupplicationem ſingulis annis agendam die feſto SACRI CORDIS JESU. Subſcripſerunt *Mouſties* Conſul. *Dieude* Conſul. *Remuzat*, Conſul. *S. Michel* Conſul. HENRICUS, Epiſcopus Maſſilienſis. *Foreſta Colongue*, Præpoſitus. *Decaux*, Officialis & Canonicus. *Vintimille*, Canonicus & Vicarius Gener. *Bernard.* Canon. *Vacon*, Canon. *Capus* Canon. *Coudonneau* Presb. & Secret.

EPI-

Digitized by Google

EPISCOPUS TELONENSIS 13. Maji anno 1721.

Ludovicus Petrus de la Tour du Pin de Montauban, Epiſcopus Telonenſis.

POſt opportunam præfationem de malis a graſſante peſtilentia profectis hæc habet... Ad ſacratiſſimum Cor Jeſu adeamus... tanquam ad tutiſſimum perfugium, in quo tot malorum quibus premimur reperiemus levamentum... huic ergo diviniſſimo Cordi ſupplices accedimus, illique devovemus & conſecramus in perpetuum hanc Urbem, totamque hanc Diœceſim. Quas ob cauſas volumus & jubemus, ut in omni hacce Diœceſi, ſingulo quoque anno, FESTUM SACRATISSIMI CORDIS DEI JESU celebretur feria ſexta immediate ſequenti octavam feſti Corporis Chriſti: qua die ſanctiſſimum Sacramentum in omnibus Templis hujuſce Diœceſeos venerandum proponatur. Datum Telone, trigeſima Maji. 1721.

Vix in vulgus emiſſum erat Paſtorale Mandatum, quum peſtilentia, & Telone, & in univerſa Diœceſi pæne evanuit; adeo ut nemo non confeſſus fuerit, divinitus plane accidiſſe, ut tam atrox tamque tenax lues ita ſubito ſine recidiva ceſſarit.

Digitized by Google

CAPITULI ECCLESIÆ Metropolitanæ Aquiſextanæ, Votum perpetuum ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Archiepiſcopo approbatum, de celebratione feſti Cordis Jeſu.

2. Julii 1721. Congregatis Præpoſito, Adminiſtratore, & Canonicis.

DOminus de Piolenc Adminiſtrator ſignificavit videri ſibi æquum, ut, juxta majorum conſuetudinem, in pari temporum iniquitate, & ſequuta tot malorum liberatione, perpetuo quodam actu Religionis Capitulum Deo ſe gratum redderet pro depulſione peſtis ab hac Civitate, poſt menſes decem, per quos Capitulum cum ſuis Clericis, in re divina horiſque Canonicis aſſidue recitandis non impeditum eſt. Rem itaque Capituli Religione dignam facturos, ſi approbante D. Archiepiſcopo quot annis in hoc templo celebrent FESTUM SACRI CORDIS JESU. Quum enim hujuſmodi cultus jamdiu inclaruerit, & in multis Eccleſiis ſolemni ritu agatur feria ſexta poſt octavam Corporis Chriſti, approbantibus ſummis Pontificibus multiplici Brevi Indulgentiarum, accedente multorum Epiſcoporum authoritate; ac in maxima Regni hujus Diœceſeos parte ſit celebris, ſummeque gratus fidelibus, videtur is eſſe quem Deus calamitoſis his temporibus promoveri & confirmari velit; quum Epiſcopi ad arcendam luem quæ graſſabatur, cum ſumma fiducia decreverint & ſtatuerint unuſquiſque in ſua

Diœ-

Diœceſi celebrari FESTUM SACRI CORDIS JESU. Quoniam vero D. Archiepiſcopus noſter inter pias alias exercitationes, ad quas graſſante lue hortatus eſt, voluit in primis ut ad ſacrum Cor Jeſu haberetur perfugium, credendum eſt feſti hujus inſtitutionem, non parum collaturam eſſe ad promovendum Dei gloriam; D. Archiepiſcopo fore acceptiſſimam; fidelibus ad pietatem incitamentum, & toti Eccleſiæ noſtræ cœleſtium munerum fontem. Quibus auditis unanimi conſenſu deliberatum, ſtatutumque eſt, approbante Archiepiſcopo, FESTUM SACRI CORDIS JESU in hac Eccleſia poſt octavam Corporis Chriſti prima die, ex voto perpetuo celebrare. Qua die ſolemne ſacrum faciet unus e DD. Canonicis; & ſanctiſſimum Sacramentum publice adorandum proponetur, uti infra octavam Corporis Domini. Sed quia deſtinata huic feſto dies jam præteriit, hoc anno celebrabitur qua die ſolemnis omnium ordinum gratulatio divino Numini decernetur pro fine contagii, & ſocietatis ac commercii reſtitutione. Subſcripſerunt *Juliac* Præpoſitus. *Fourbin. Labarben. Lauthier. Villeneuve. Piolenc* Adminiſt. *Reynaud* Secret. *Reguſſe* Canon.

De his monitus Archiepiſcopus, rogatuſque per Capituli Legatos approbationem.

Nos, inquit, Carolus Gaſpar du Luc Archiepiſcopus Aquiſextanus, audita lectione memoratæ deliberationis, hanc approbavimus & confirmavimus. Itaque ſtatuimus, ac ſancimus, ut FESTUM SA-

Digitized by Google

cri Cordis Jesu celebretur in perpetuum, in Eccleſia noſtra Metropolitana, feria ſexta poſt octavam Corporis Chriſti, & divina Hoſtia publice adoranda proponatur, ut fit infra octavam Corporis Chriſti. Hac vero prima vice celebretur feſtum, qua die fiet per Urbem ſolemnis omnium ordinum gratulatio pro dato peſtilentiæ fine. Carolus, *Archiepiſcopus Aquenſis*.

ARCHIEPISCOPUS ARELATENSIS 14. Julii anno 1721.

Jacobus de Fourbin de Janſon, Archiepiſcopus Arelatenſis.

PRæſenti Civitatis calamitate, pari eloquentia ac pietate Decreto ſuo expoſita, aliorum Prælatorum exemplum ſecutus, dejectos civium animos ad fiduciam excitans.

Confugiamus, inquit, ad Chriſti vulnera, & ſponſam cant. imitati, in has petræ ſciſſuras ſemper apertas occulamus nos... Quem ob finem, ut fiduciam noſtram excitemus, ut tutum aſylum certumque malis noſtris remedium invenire poſſimus, Festum SS. Cordis Jesu in Diœceſi noſtra inſtituendum duximus, ac inſtituimus. Quod deinceps celebrabitur tempore ac modo, a Nobis poſt liberationem noſtram aſſignandis, &c. Datum Arelate. 14. Julii. 1721.

Digitized by Google

CIVITATIS AVENIONENSIS
Votum perpetuum, anno 1722.

Die 4. Novemb. feſto S. Caroli Borromei dicata.

AD iram divinam placandam, & graſſanti peſtilentiæ ſæviſſimum flagellum avertendum, Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Archiepiſcopus publicam decrevit ſupplicationem, cui ipſe interfuit nigra veſte indutus & ſtola violacea, e collo pendente fune, & Crucem portans ab Eccleſia Metropolitana uſque ad portam Templi dicti a Viſitatione. Hîc concionem habuit præſertim de cultu ſacri Cordis Jeſu, & fiducia in eo reponenda: qua finita concione, D. Aſſeſſor nomine Magiſtratuum, & totius Civitatis, ad pedes Archiepiſcopi votum vovit, ut ſequitur.

Vovemus Deo omnipotenti & æterno, coram glorioſa Virgine Maria, Angelis, & Sanctis curiæ cœleſtis, & tibi, Illuſt. ac Reverend. Præſul; ac promittimus adituros nos quotannis, qua die tibi placuerit, Templum a te deſignatum; ibidem adfuturos ſacro, & oblaturos Cereum decem librarum pondere, ut novo & ſolemni hoc cultu, nobis, civibuſque, divinæ benignitatis beneficia, quorum fons eſt Cor Jesu conciliemus. Rogamus inſuper Præſul Ill. ut feſtum jubeas agi diem, quem voto perſolvendo deſignabis: atque in monumentum æternum extet conceſſionis tuæ actus publicus. Archiepiſcopus autem locum, vo-

voti perſolvendi, in perpetuum aſſignavit Templum Monaſterii a Viſitatione. Diem vero, feriam ſextam infra octavam Corporis Chriſti.

EPISCOPUS CARPENTORACTENSIS

Franciſcus Maria Abbaty, Epiſcopus Carpentoractenſis.

IS, edicto ſuo, ad præcavenda mala ex contagione civitati impendentia, promulgato, (quo, haud ſcio, an aliquid in eo genere prudentius ac utilius prodierit) dum media ad avertendam divinam iram commemorat.

In primis, inquit, hortamur civitatum pagorumque noſtræ Diœceſeos Conſules, ut iis, quorum intereſt, in conſilium adhibitis, vota Sacratissimo Cordi Domini nostri Jesu Christi faciant: Quod nimirum refugium univerſale Chriſtianorum eſſe debet; quodque ſpecialiter colitur poſtridie octavæ Corporis Chriſti. Datum Carpentoracti die 17. Nov. 1721.

CLE-

CLEMENTIS XI.

Breve Indulgentiarum pro feria ſexta (feſto CORDIS JESU conſecrata) omnibus Eccleſiis Monaſteriorum Ordinis Viſitationis Beatæ Mariæ conceſſum.

Quanquam in hoc Brevi nulla fiat peculiaris mentio de cultu ſacroſancti Cordis Jeſu, ſcitur tamen, eo tantum fine poſtulatum fuiſſe, ut feſtum diviniſſimi Cordis in hanc feriam ſextam incidens, in Eccleſiis dictarum ſanctimonialium, cum majori ſplendore celebrari poſſet: uti revera in omnibus fere Provinciis celebratum eſt.

UNiverſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum ſalutem, cœleſtibus Eccleſiæ theſauris, pia charitate intenti, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis ac ſacra Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſiis Monaſteriorum Monialium Ordinis Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ a ſancto Franciſco Saleſio inſtituti ubique exiſtentibus, feria ſexta poſt octavam ſanctiſſimi Corporis Chriſti, a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei hujuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus ad ſeptennium tantum valituris.

Tt Vo-

Digitized by Google

Volumus autem quod ſi pro impetratione, præſentatione, admiſſione, ſeu publicatione præſentium, aliquid vel minimum detur aut ſponte oblatum recipiatur præſentes nullæ ſint. Utque præſentium tranſumtis, ſeu exemplis etiam impreſſis manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides habeatur quæ haberetur ipſis præſentibus ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub annulo piſcatoris die xx. Septembris. M. DCCXIX. Pontificatus noſtri anno decimo nono.

Gratis pro Deo & ſcriptura.

F. Card. OLIVERIUS.

OFFICIUM

Adorandi Cordis Jeſu dup. 2. claſſ. ex Breviario Benedictino Pariſiis editum apud Petr. Debats via Jacobæa.

Ad Veſp. Ant. Jeſus ingrediens mundum dicit. In capite libri, &c. *Capit.* 3. *Reg.* 6. 9. Sanctificavi mihi domum hanc &c. *Hymn.* Jeſu paterni pectoris, &c.

OFFICIUM

Pro feſto ſanctiſſimi Cordis B. Mariæ V. die 8. *Feb. dup.* 2. *claſſ. ex eodem Breviario Benedict.*

Ad Veſp. Ant. O admirabile & omni laude digniſſimum Cor Mariæ, &c. *Capit. cant.* 8. Pone me ut ſignaculum, &c. *Hymn.* Jeſu Mariæ gloria, &c.

LI-

Digitized by Google

LIBELLUS SUPPLEX

Sanctimonialium a Viſitatione B. V. M. dictarum ad Summum Pontificem BENEDICTUM XIII.

BEATISSIME PATER,

DIvinæ gloriæ promovendæ zelus, quo incenditur SANCTITAS VESTRA, facit ut magna cum fiducia ad ipſam accedamus, & ab ipſa ſupplices petamus quod maximum pietati tum ornamentum, tum incrementum afferet. Fervet in Monaſteriis noſtris SACRATISSIMI CORDIS JESU ſolemnitas. Uni e Sororibus noſtris hujuſce Monaſterii Profeſſæ manifeſtavit olim Dominus quantum ſibi placeret religioſus hic cultus: nec ſine ingenti gaudio hunc videmus in orbem fere totum diſſeminari, quemadmodum ipſa divino afflata Numine prænunciaverat. Habet hæc ſolemnitas Prælatorum gratiam, in tantum, ut ſibi eam nonnulli ſuas in Eccleſias, etiam cum voto, & percepti fructu voti, tranſtulerint. Habet ſtudia Populorum, qui eam plurimis in locis omni devotionis fervore celebrant. Habet munera Summorum Pontificum SANCTITATIS VESTRÆ prædeceſſorum, qui plenarias Indulgentias e theſauro Eccleſiæ excerptas larga manu benigne conceſſerunt. Verum ut in dies augeatur magis, atque ut ſervetur idem ubique in hoc feſto celebrando ritus, ad SANCTITATIS VESTRÆ pedes provolutæ petimus ſuppli-

Digitized by Google

ces, ut dignetur oblatam Miſſam una cum officio Sacratiſſimi Cordis Jesu approbare; ut Pontificiæ authoritatis ſuffragio munita, neque variationem deinceps, neque contradictionem patiatur. Nec vero petimus noſtro tantum nomine, ſed & Monaſteriorum noſtrorum Anneciensis, Lugdunenſis, Gratianopolitani, Pariſini, Divionenſis, Muſſipontani, Veſuntini, Rhotomagenſis, Metenſis, aliorumque tum e Gallia tum e Lotharingia bene multorum, a quibus perſcriptam negotii bene gerendi authoritatem accepimus. Quod ſi petitioni noſtræ annuat SANCTITAS VESTRA, æternum ſibi vota preceſque noſtras devinciet, æternum omnes Viſitationis Beatæ Mariæ Sanctimoniales tanti beneficii memores experietur. Ita teſtantur totius inſtituti nomine. Pareii Moniaci. 6. Junii. Anno Domini 1725.

SANCTITATIS VESTRÆ,

Humillimæ & obſequentiſſ. Filiæ & ancillæ,
S. Anna Elizab. de la Garde Marzac *Præpoſita Monaſt.*
S. Anna Alexia de Mareſchalle *Conſultrix.*
S. Maria Catharina du Chailloux *Conſultrix.*
S. Joanna Franciſca Chalon *Conſultrix.*
S. Maria Helena Coing *Conſultrix.*

LI-

Digitized by Google

LIBELLUS SUPPLEX

BENEDICTO XIII. Pontifici Maximo, ab Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Epiſcopo Maſſilienſi cum univerſo ipſius Diœceſis Clero, porrectus.

BEATISSIME PATER,

DEvotiſſimus Filius veſter *Henricus Franciſcus Xaverius de Belſunce de Caſtelmoron Epiſcopus Maſſilienſis*, cum univerſo Diœceſis ſuæ Clero tam ſeculari quam Regulari, ad pedes Sanctitatis Veſtræ provolutus cum omni reverentia & filiali confidentia ipſi exponit: Quod anno 1720. multiplicatis Maſſilienſium ſceleribus, ultionum Dominus ſæviſſima peſte ex theſauris iræ ſuæ educta, eam ſumſit de infelici populo vindictam, quæ cunctis vel maxime diſſitis totius orbis terrarum nationibus formidanda fuit. Superba hæc Maſſilienſis civitas plena populo & divitiis, divino judicio, ſubito, lacrymis & ſolitudini hactenus inauditæ, deſolationi tradita & ita morti addicta eſt, ut quotidie omnium ordinum hominum millia, ſæviente peſtilentia de medio tollerentur; morientium ſimul & mortuorum corpora, non in ædibus tantum, ſed maxime, quod horrendum fuit, per vicos omnes & plateas hujus vaſtæ Urbis paſſim permixta, ibidemque coacervata & putrefacta cadavera, canibus eſca jacerent. Sed quod dolendum

Digitized by Google

maxime afflictiſſimo Paſtori fuit, PATER SANCTISSIME ipſa ineunte peſtifera vaſtitate, ducentis quinquaginta fere eodem tempore Chriſti Miniſtris glorioſa morte ſublatis, aliis peſte laborantibus, fugientibus cæteris, fere ab omnibus derelictus, dilectas oves magna ex parte abſque Eccleſiæ Sacramentorum auxilio miſere morientes, mœrore confectus ipſe videre quotidie ac deflere coactus eſt.

Quid in tot ac tantis rerum omnium calamitatibus ageret Paſtor quotidie moriens? Humanæ ſapientiæ conatus omnes in vanum adhibiti, fruſtra in honorem Sanctorum vota multiplicata fuerant. A ſolo Domino Noſtro Jeſu Chriſto ſemper vivente ad interpellandum pro nobis, laboranti & morienti populo auxilium ſperans Maſſilienſem populum cum reliqua ſua Diœceſi, quam fere totam devaſtabat peſtilentia, publice SACRATISSIMO CORDI DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, omnium miſericordiarum nunquam exhauriendo fonti conſecravit: ſtatuitque ut in poſterum in reparationem peccatorum populi, & in gratiarum actionem, in tota Diœceſi dies feſtus ſolemniter & perpetuo celebraretur quotannis in honorem adorandi CORDIS JESU, feria ſexta prima poſt octavam Corporis Chriſti; & ſanctiſſimi Nominis Jeſu, die 14. Januarii.

Ubi primum in lugubri ſupplicatione ſeu proceſſione habita die Sanctorum omnium, aſſiſtente pauciſſimo ſuperſtite Clero & Populo (frementibus modicæ fidei hominibus qui ex iſta generali omnium

com-

communicatione infauſta omnia Urbi & Civibus minabantur) hæc ſolemnis conſecratio in medio deſolatæ Civitatis pronunciata fuit, & ſupra dictæ ſolemnitates ab Epiſcopo ante Miſſam inter vivos & mortuos promulgatæ fuerunt, ſi plaga non ceſſavit ſubito, miſericordia tamen commotus eſt Dominus ſuper populum ſuum, atque ex illa hora, quod eſt prodigio par, imminui ſemper & uſque ad ceſſationem integram decreſcere manifeſte viſa eſt lues peſtifera.

Tanti beneficii teſtes ac memores Maſſiliæ Conſules, ſingulis annis in die feſto SACRATISSIMI CORDIS JESU in Eccleſia primi Monaſterii Monialium Viſitationis B. Mariæ Virginis, ſumto divino Euchariſtiæ Sacramento, Cereum Majeſtatis offenſæ piaculum, & grati animi pignus, ex voto offerunt, & interſunt eodem die ſolemni omnium Ordinum ſupplicationi, quæ per totam Urbem, ad perpetuam rei memoriam, ex eodem voto indicta eſt.

Undique tanti beneficii, dicam, an prodigii ſparſo rumore, non ſolum apud Maſſilienſes, ſed etiam apud fere omnes iſtius Provinciæ Diœceſes adaugetur & efferueſcit in dies nova illa Chriſti Domini in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento colendi ratio, quam Deus Optimus Maximus ſignis non dubiis comprobavit, & quæ quotidie in Galliis & in aliis Regnis mirifice propagatur. Ad augendam talem Populorum Diœceſis Maſſilienſis devotionem Innocentius XIII. in omnibus fere ac ſingulis totius hujus Diœceſis Ec-

cle-

Digitized by Google

cleſiis plenariam Indulgentiam, in prædicta feria ſexta proxima poſt octavam Corporis Chriſti, benigne ac paterne conceſſit.

Ut hæc ergo tum expiationis, tum gratiarum actionis ſolemnitas cum omni celebritate & devotione in perpetuum Maſſiliæ celebretur, unum deeſt, PATER SANCTISSIME, nimirum ut Miſſa, & Officium in honorem SACRATISSIMI CORDIS JESU Liberatoris noſtri, id eſt ipſius Domini Noſtri Salvatoris ſemper ſuper peccatores miſerentis, Veſtra & Sanctæ Sedis authoritate approbentur, eaque recitari a Clero tam Regulari quam Seculari liceat. Hoc ſuppliciter & enixe deprecantur a peſte divinitus liberati Epiſcopus, & Clerus hujus Urbis, quæ nunc multo magis ſua erga Sedem Romanam reverentia & obedientia gloriatur, quam olim honorifico ſororis Romæ titulo.

HENRICUS, *Epiſcopus Maſſilienſis.*

Foreſta Colongue Eccleſiæ Cathedralis Præpoſitus. *J. Borel*, Eccleſiæ S. Martini Præpoſitus. *Guerin*, Eccleſiæ & Capituli noſtræ Dominæ de Aquis Decanus. *Laurens*, Vicarius perpetuus Eccleſiæ Cathedralis. *Raſtegue*, Vicarius perpetuus Eccleſiæ Cathedralis. *Nicolas*, Eccleſiæ S. Martini Vicarius. *Chriſtin*, Eccleſiæ S. Martini Vicarius. *Giraud*, Vicarius perpetuus Eccleſiæ Noſtræ Dominæ de Accuis. *A. Dalmas*, Vicarius perpetuus Eccleſiæ Noſtræ Dominæ de Accuis. *Jourdan*, Prior S. Laurentii. *Dalmas*, Vicarius Eccleſiæ Parochialis S. Ferreoli. *Fr. Joſephus Hiacinthus Serry* Ma-

Magiſter ac Prior Conventus Maſſilienſis Ordinis FF. Prædicatorum. *Fr. Roman*, Corrector Conventus Maſſilienſis. *Fr. Cherubinus a S. Agnete*, Prior Conventus Maſſilienſis Auguſtinianorum diſcalceatorum. *Joannes le Brienne*, Commendator Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemtoris Captivorum Conventus Maſſiliæ. *Fr. Euſtachius a divo Carolo*, Miniſter Conventus Maſſilienſis Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis pro redemtione Captivorum excalceatæ Congregationis. *Fr. Angelus Roux*, Doctor Pariſienſis, & Prior Majoris Carmeli. *Fr. Auguſtinus Menc*, Superior Conventus Maſſilienſis Ord. Serv. B. M. V. *Joſephus Gerin*, Superior domus S. Jacobi Societatis Jeſu. *Fr. Carolus Thoard*, Miniſter Conventus ſanctiſſimæ Trinitatis Maſſilienſis. *Fr. Angelus Auriol*, Guardianus Conventus FF. Minorum Recollectorum. *F. Berger*, Superior Canonicorum Regularium S. Auguſtini Ordinis S. Antonii. *De Garcin*, Superior Seminarii. *Bodincent*, Superior Preſbyterorum SS. Sacramenti. *Petrus de Cabaſſole*, Superior Domus ſanctæ Crucis Societatis Jeſu. *F. Joannes Baptiſta Geaſſenſis*, Guardianus Conventus Maſſilienſis Capuccinus. *F. Andreas Blanchet*, Prior Conventus S. Auguſtini. *F. Marcellus a S. Anna*, Prior Conventus Carmelitarum diſcalceatorum. *F. J. Fr. Pezenas*, Guardianus FF. Minorum de Obſervantia. *F. Joannes a S. Bartholomæo*, Superior Cœnobii S. Bernardi *des Feuillans*. VINTIMILLE, Vicarius Generalis & Canonicus Eccleſiæ Cathedralis.

Digitized by Google

EPISTOLA

Celſiſſimi Epiſcopi Cracovienſis, Ducis Severiæ, ad Summum Pontificem BENEDICTUM XIII.

Sanctiſſimo Patri ac Domino Domino BENEDICTO divina Providentia PAPAE XIII. ſacroſanctæ ac Univerſalis Eccleſiæ Pontifici Maximo Domino Clementiſſimo.

BEATISSIME PATER,

AD oſculum pedum SANCTITATIS VESTRÆ humillime provolutus, ſupplices in conſpectu ejus cum Filiali reverentia effundo preces, pro gratia ejuſmodi. Quod cum conſtans devotio Fidelium erga ſacratiſſimum COR JESU CHRISTI etiam in Regno Poloniæ viget, ardent quoque piarum animarum corda ut Regia amoris divini COR iſtud ſanctiſſimum majori in dies colatur devotione, ac honore. Cujus quidem propagandi cultus ſingulari fervent deſiderio religioſa pectora Monialium inſtituti Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, quarum pietatis zelus omnium accendit animos. Unicum optant animæ Deo ſacratæ, ut has piorum deſideriorum ſanctiores flammas SANCTITAS VESTRA Paterna admiſſione dignetur. Fovebit autem & magis excitabit, ſi ex ſua Paſtorali benignitate, & Apoſto-

ſtolicæ Poteſtatis plenitudine, ad vota expectantis populi FESTUM SANCTISSIMI CORDIS JESU, cum officio proprio, & Miſſa, pro univerſali Eccleſia inſtituere decreverit. Quam gratiam Cordi divino ſine dubio acceptiſſimam, quum a SANCTITATIS VESTRÆ clementia, ſupplicibus imploro votis, pro longæva incolumitate SANCTITATIS VESTRÆ, ejuſque feliciſſimo regimine divinam Majeſtatem exoro SANCTITATIS VESTRÆ obedientiſſimus exorator & humillimus ſervus,

CONSTANTINUS SZANIAVVSKI.

Cracoviæ. 6. Maji 1726.

EPISTOLA

Sereniſſimi Regis Poloniæ ad Summum Pontificem BENEDICTUM XIII.

Sanctiſſimo ac Beatiſſimo in Chriſto Patri ac Domino Domino BENEDICTO divina Providentia Papæ ejus Nominis XIII. Sacroſanctæ Romanæ ac Univerſalis Eccleſiæ Pontifici Maximo Domino Clementiſſimo.

SANCTISSIME, ac BEATISSIME in Chriſto PATER Domine Domine Clementiſſime.

POſt oſcula beatorum pedum SANCTITATIS VESTRÆ, mei, Regnique ac dominiorum

Digitized by Google

meorum humillimam commendationem. Cum Regnum meum peculiari patrocinio & protectione ſanctiſſimi CORDIS JESU fruatur, quod ſpeciali cultu ac ſingulari devotione tum ego, tum Gens tota Polona proſequimur, ſupplicandum eſſe duxi SANCTITATI VESTRÆ, nt non ſolum ad meum ſubditorumque meorum ſpirituale ſolatium, verum etiam ad ædificationem Chriſti fidelium aliarum Regionum, hujuſmodi devotionem ſtatuere & ſuprema authoritate ſua ad totum orbem extendere velit. Etenim quum BEATITUDO VESTRA humillimæ ſupplicationi meæ clementiſſime annuere dignata fuerit, cœleſtes benedictiones mihi, Regnoque meo, ejuſdem ſanctiſſimi CORDIS patrocinio profecto ſperare licebit. Ego vero tanto beneficio auctus diuturnum ac felix Chriſtiani orbis regimen SANCTITATI VESTRÆ apprecari non prætermittam. Ac interim filiali cum obſervantia maneo. Dabantur Varſoviæ. Die XV. menſis Maji. Anno Domini M.DCCXXVI. Regni vero mei anno XXIX. SANCTITATIS VESTRÆ obedientiſſimus Filius.

AUGUSTUS *Rex Poloniæ*.

DE

DE CONFRATERNITATIBUS

Sub titulo ſanctiſſimorum Cordium JESU *&* MARIÆ *conſtitutis.*

UT evidentiſſime appareat, cultum tam diviniſſimi Cordis Jeſu quam SS. & immaculati Cordis Mariæ, toto orbe jam eſſe diffuſum, via nulla certior viſa eſt, quam ponere ob oculos numerum Confraternitatum quæ ſub utroque illo ſacro titulo ab Epiſcopis ubique locorum erectæ, atque a Summis Pontificibus Indulgentiarum litteris ſolemniter decoratæ ſunt. En igitur harum litterarum Catalogum, ex Romano Archivo ab ipſo Indulgentiarum ſubſtituto fideliter extractum, ex quo conſtabit ſpatio annorum circiter 32. trecentas & ſeptemdecim ejuſmodi Confraternitates (præter illas quæ diligentiam Inquiſitoris effugerunt) ad honorem tum diviniſſimi Cordis Jeſu, tum SS. & immaculati Cordis Mariæ, in omnibus fere Chriſtiani orbis partibus, etiam remotiſſimis, atque in Eccleſiis omnis generis, & ordinis, ſolemniter fuiſſe conſtitutas: in quibus videlicet ſingulis annis inſigni pompa (ut in his Confraternitatibus aſſolet) præſtituto die, Corda SS. publice, magnoque populorum concurſu celebrantur.

Confraternitates, quæ ſub titulo ſancti Cordis Mariæ conſtitutæ ſunt, aſteriſco diſtinctas reperies, hæ aſſurgunt ad numerum 35. inter quas 15. exſtant utrique ſacro Cordi Jeſu ſimul ac Mariæ conſecratæ. Aliæ vero quæ ſub ſolo titulo SS. Cordis Jeſu

Indulgentiis ditatæ ſunt numerum implent 282.

Juvabit autem , ad pleniorem ac certiorem rei notitiam, nec non ad fidelium ſtudium magis excitandum , Exemplum integrum litterarum ejuſmodi Apoſtolicarum , hîc apponere. Sunt autem omnes ejuſdem prorſus formæ, ac tenoris, ut ſequitur.

BENEDICTUS PP. XIII.

AD perpetuam rei memoriam. Quum ſicut accepimus in Eccleſia N. N. Civitatis N. N. Diœceſis N. N. una pia & devota utriuſque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas ſub titulo SACRI CORDIS JESU (non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis) canonice erecta ſeu erigenda exiſtat, cujus Confratres, & Conſorores quamplurima pietatis & charitatis opera exercere conſueverunt, ſeu intendunt: Nos, ut Confraternitas ejuſmodi majora in dies ſuſcipiat incrementa, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus authoritate confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſti fidelibus qui dictam Confraternitatem imposterum ingredientur, die primo eorum ingreſſus ſi vere pænitentes & confeſſi, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, plenariam: ac tam deſcriptis, quam pro tempore deſcribendis in dicta Confraternitate Confratribus & Conſororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, ſi vere quoque pœnitentes, & confeſſi, ac ſacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti, nomen Je-

Jeſu, ore, ſi potuerint, ſin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam: nec non eiſdem, nunc & pro tempore exiſtentibus dictæ Confraternitatis Confratribus, & Consororibus vere etiam pœnitentibus & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui prædictæ Confraternitatis Eccleſiam, ſeu Cappellam, vel Oratorium, die feſto principali dictæ Confraternitatis, per eoſdem Confratres ſemel tantum eligendo, & ab Ordinario approbando, a primis Veſperis uſque ad occaſum ſolis diei ejuſmodi, ſingulis annis devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper dictis Confratribus & Consororibus vere pariter pœnitentibus & confeſſis ac ſacra Communione refectis, Eccleſiam, ſeu Cappellam, vel Oratorium ejuſmodi in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis, ſeu Dominicis diebus, per memoratos Confratres, ſemel tantum etiam eligendis, & ab eodem Ordinario approbandis, ut ſupra viſitantibus, & ibidem orantibus, quo die prædictorum id egerint, ſeptem annos & totidem quadragenas: quoties vero Miſſis, & aliis divinis Officiis in Eccleſia ſeu Cappella, vel Oratorio ejuſmodi pro tempore celebrandis & recitandis; ſeu Congregationibus publicis, vel privatis ejuſdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint; aut pauperes hoſpitio

ſpitio ſuſceperint; vel pacem inter inimicos compoſuerint, ſeu componi fecerint, vel procuraverint; nec non etiam qui corpora defunctorum tam Confratrum & Conſororum ejuſmodi, quam aliorum ad ſepulturam aſſociaverint; aut quaſcunque proceſſiones de licentia Ordinarii faciendas, ſanctiſſimumque Eucharistiæ Sacramentum, tam in Proceſſionibus, quam quum ad infirmos, aut alias ubicumque & quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel ſi impediti, campanæ ad id ſigno dato, ſemel orationem dominicam, & Salutationem Angelicam dixerint; aut etiam quinquies orationem, & Salutationem eaſdem, pro animabus defunctorum Confratrum, & Conſororum ejuſmodi recitaverint; aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea quæ ad ſalutem ſunt, docuerint; aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint; toties pro quolibet prædictorum operum exercitio, ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus perpetuis temporibus valituris. Volumus autem ut ſi alias dictis Confratribus & Conſororibus præmiſſa peragentibus, aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum duratura, conceſſa fuerit, præſentes nullæ ſint. Utque ſi dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam ſit, vel in poſterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet inſtituatur; priores & quævis aliæ litte-

ræ

ræ Apoſtolicæ illis nullatenus ſuffragentur; ſed ex tunc eo ipſo nullæ ſint. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, ſub Annulo piſcatoris, die... menſis... anni... Pontificatus noſtri anno...

F. Card. OLIVERIUS.

CONFRATERNITATES

Sub titulo Sacrorum Cordium JESU *&* MARIÆ *expeditæ ſub INNOCENTIO XII.*

1. IN Eccleſia Monaſterii Monialium Noſtræ Dominæ (vulgo *de Noſtre-Dame*) nuncupatarum, Ordinis ejuſdem B. M. Virginis, Civitatis Pictavienſis. Confraternitas ſub titulo Cordis B. M. V. Datum 24. Decembris 1693.

*

2. In Eccl. Monaſt. Monialium B. M. V. Pictavienſis. Confrat. ſub titulo Cordis Domini Noſtri Jeſu Chriſti Datum 18. Januarii 1694.

3. In Eccl. Conventus Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Recollectorum nuncupatorum loci de Verſailles Pariſienſis Dioeceſis, Confrat. ſub titulo Cordis Jeſu, & perpetui amoris ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 3. Maji 1695.

4. In Eccl. Conventus Fratrum Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Civitatis Nannetenſis, Confrat. ſub titulo ſacratiſſimi Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 30. Maji 1695.

5. In Eccl. Monaſt. Monialium Ordinis Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ a S. Franciſco Saleſio, Burdigalenſis, Confrat. ſub titulo Cordis Jeſu. Datum 27. Junii 1695.

6. In Eccl. Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini civitatis Cadurcenſis. Datum 7. Januarii 1697.

Digitized by Google

7. In Eccl. Monaſt. Monialium ſub regula Sanctæ Claræ Civitatis Sarlatenſis. Confrat. ſub titulo Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 14. Maji 1697.

8. In Eccl. Monaſt. Monialium S. Urſulæ oppidi ſeu loci Liburniæ Burdegalenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 14. Maji 1697.

9. In Eccl. Domus Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Civitatis Redonenſis, Confrat. ſub titulo Cordis ſacratiſſimi Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 23. Auguſti 1697.

10. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. Immaculatæ Civitatis Rhotomagenſis, Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 17. Januarii 1698.

11. In Eccl. Monaſt. Monialium Cæleſtinarum nuncupatarum oppidi Civitatis etiam nuncupatæ Huienſis
* Leodienſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac B. M. V. necnon S. Joſephi. Datum 10. Aprilis 1698.

12. In Eccl. Parochiali loci de Severac Nannetenſis Diœceſis, Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Jeſu Chriſti. Datum 21. Aprilis 1698.

13. In Eccl. Monaſt. Monialium Urſulinarum nuncupatarum Civitatis Viennenſis, Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Jeſu Chriſti. Datum 22. Aprilis 1698.

14. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. oppidi de Thiers Claromontenſis Diœceſis, Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 30. Aprilis 1698.

15. In Eccl. Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Recollectorum nuncuparorum oppidi de Montargis Senonenſis Diœceſis, Confrat. ſub titulo Cordis Jeſu, & perpetui amoris ejuſdem. Datum 13. Septembris 1698.

Digitized by Google

16\. In Eccl. *de Bonne nouvelle* vulgariter nuncupatorum Fratrum Ordinis Prædicatorum Civitatis Redonenſis. * Confrat. ſub titulo ſacrorum Cordium Domini noſtri Jeſu Chriſti, & B. M. Virginis. Datum 22. Septembris 1698.

17\. In Cappella Infantis Jeſu Xenodochii generalis nuncupata oppidi *de Chateau-Briand* Nannetenſis Diœceſis. Confrat. ſub invocatione ſeu titulo perpetuæ adorationis ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 27. Octobris 1698.

18\. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis oppidi Bruxellenſis Mechlinienſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 12. Novembris 1698.

19\. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. Immaculatæ loci *de Montferrand* Claromontenſis Diœceſis, Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 12. Januarii 1699.

20\. In Eccl. ſecundi Monaſterii Monialium Viſitationis B. M. V. Immaculatæ Civitatis Rothomagenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 25. Januarii 1699.

21\. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. Civitatis Andegavenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 22. Martii 1699.

22\. In Eccl. Monialium Ordinis Sancti Franciſci Pœnitentium Cappuccinarum nuncupatarum Civitatis Gandavenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 30. Aprilis 1699.

23\. In Eccl. Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Civitatis Leodienſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 9. Maji 1699.

24\. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. oppidi Cadomenſis Bajocenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri

Digitized by Google

cri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 23. Maji 1699.

25. In Eccl. Monialium hoſpitaliariarum (vulgo *des Dames Hoſpitalieres*) nuncupatarum oppidi de Limoux Narbonenſis Diœceſis. Datum 17. Auguſti 1699.

26. In Eccl. Monaſt. Monialium B. M. V. Civitatis Sarlatenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. V. Datum 31. Auguſti 1699. *

27. In Eccl. Monaſt. Monialium ſancti Franciſci Saleſii in via S. Jacobi nuncupatarum Civitatis Pariſienſis. Datum 19. Septembris 1699.

28. In Eccl. Monaſt. Monialium Charitatis nuncupatarum oppidi Cadomenſis Bajocenſis Diœceſi. Confrat. ſub titulo ſacrorum Cordium Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac B. M. Virginis. Datum 10. Novembris 1699. *

29. In Eccl. Monaſt. Monialium Sanctæ Urſulæ Civitatis Coriſopitenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 23. Novembris 1699.

30. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. Immaculatæ oppidi Sancti Dionyſii nuncupatarum Pariſienſis Diœceſis. Datum 8. Maji 1700.

31. In Eccl. Parochiali de Moor Seele nuncupata Tornatenſis Diœceſis. Datum 27. Maji 1700.

32. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. Immaculatæ in Suburbio S. Germani Pariſienſis Confrat. ſub titulo S. Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 27. Julii 1700.

CONFRATERNITATES
Sub titulo Sacrorum Cordium JESU *&* MARIÆ *expeditæ ſub* CLEMENTE XI.

33. In Eccl. Parochiali loci de Doure Sarlatenſis Diœceſis. Datum 14. Decembris 1700.

34.

Digitized by Google

34. In Eccl. Monaſt. Monialium B. M. V. Civitatis Ruthenenſis. Datum 22. Decembris 1700.

35. In Eccl. Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Civitatis Turonenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 16. Februarii 1701.

36. In Eccl. Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum oppidi Huenſis Leodienſis Diœceſis. Datum 8. Aprilis 1701.

37. In Eccl. Fratrum ut ſupra Pagi Jemeppe Leodienſis Diœceſis. Datum ut ſupra, die ut ſupra.

38. In Eccl. Fratrum ut ſupra, prope oppidum Viſeti Leodienſis Diœceſis. Datum anno & die ut ſupra.

39. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. ſub inſtituto Sancti Franciſci Saleſii oppidi de Forqualquier Ciſtaricenſis Diœceſis. Datum 16. Julii 1701.

40. In Eccl. Monialium tertii Ordinis S. Franciſci oppidi ſeu loci Badæ Helvetiorum, Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 7. Octobris 1701.

41. In Eccl. B. M. V. ac S. Bernardi Monaſterii de Robermont nuncupati, Monialium Ordinis ejuſdem S. Bernardi Leodienſis Diœceſis. Datum 21. Octobris 1701.

42. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Venetenſis. Datum 22. Decembris 2701.

43. In Eccl. Monaſt. Monialium Recollectinarum nuncupatarum Civitatis Namurcenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 24. Martii 1702.

44. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. oppidi Billomontis Claromontenſis Diœceſis. Datum 10. Aprilis 1702.

45. In Eccl. Imperiali Nativitatis B. M. V. I. Monaſterii Rioifaltenſis Monachorum Ordinis S. Benedicti Con-

Digitized by Google

ſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 19. Junii 1702.

46. In Eccl. Parochiali ſeu alia Eccleſia loci de Vinerols Claromontenſis Diœceſis. Datum 8. Maji 1702.

47. In Eccl. Monialium Sanctæ Claræ, Civitatis Labacenſis. Datum 10. Maji 1702.

48. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. *Dù Colombier* nuncupatarum Civitatis Redonenſis. Datum 8. Junii 1702.

49. In Eccl. Seminarii *de S. Genies* nuncupati Ruthenenſis Diœceſis. Datum 12. Junii 1702.

50. In Eccl. S. Joannis Baptiſtæ Clericorum Regularium Societatis Jeſu oppidi *Liegnitz* Vratislavienſis Diœceſis. Datum 19. Junii 1702.

51. In Eccl. B. M. V. Auxiliatricis nuncupat. Monialium Urſulinarum nuncupatarum, oppidi Lucernæ Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 23. Junii 1702.

52. In Eccl. Monialium S. Claræ Civitatis Olomucenſis. Datum 7. Julii 1702.

53. In Eccl. Monialium tertii Ordinis S. Franciſci Recollectinarum nuncupatarum, oppidi ſeu loci Eupence vulgo *de Nean* Leodienſis Diœceſis. Datum 26. Auguſti 1702.

54. In Eccl. Sororum nuncupatarum ſub invocatione S. Joſephi, loci ſeu Parochiæ S. Anſelmi nuncupatæ, Claromontenſis Diœceſis. Datum 22. Septembris 1702.

55. In Eccl. Conventus Quintinenſis Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, Briocenſis Diœceſis. Datum 13. Novembris 1702. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti.

56. In Eccl. Conventus Fratrum Ordinis Prædicatorum
* Civitatis Trecenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. V. Datum 13. Novembris 1702.

57. In Eccl. Conventus Fratrum Ordinis Prædicatorum,

Vil-

Digitized by Google

Villæ de Cran Andegavenſis Diœceſis. Confrat. ſub
* titulo ſacrorum Cordium Domini noſtri Jeſu Chriſti, & B. M. V. Datum 15. Decembris 1702.

58. In Eccl. Monaſt. Monialium Urſulinarum oppidi ſeu loci Dalemonti Baſileenſis Diœceſis. Datum 7. Februarii 1703.

59. In Eccl. Monialium S. Claræ loci *de Evian* Gebbenenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 8. Februarii 1703.

60. In Eccl. Monialium S. Mariæ oppidi Montium Cameracenſis Diœceſis. Datum 3. Martii 1703.

61. In Eccl. ſeu Cappella Monialium de pœnitentia Recollectinatum nuncupatarum oppidi trajecti, Leodienſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 8. Martii 1703.

62. In Eccl. Parochiali de *Enſiva* prope Verviam Leodienſis Diœceſis. Datum 17. Martii 1703.

63. In Eccl. Monialium Cæleſtinarum nuncupat. Tornaci, Cameracenſis Diœceſis. Datum 17. Martii 1703.

64. In Eccl. Hoſpitalis ſeu Domus Dei (vulgo *l'Hotel-Dieu*, oppidi ſeu loci de Fallaize Sagienſis Diœ-
* ceſis. Confrar. ſub titulo charitatis & ſacrorum Cordium Jeſu & Mariæ. Datum 20. Martii 1703.

65. In Eccl. S. Mariæ Majoris nuncupatæ Monialium Urſulinarum etiam nuncup. oppidi Friburgi de Briſgav Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 26. Maji 1703.

66. In Eccl. Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Civitatis Mechlinienſis. Datum 5. Junii 1703.

67. In Eccl. ſeu Cappella Fratrum Ordinis Prædicato-
* rum Civitatis nuncupatæ de Quimperle Venetenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacrorum Cordium Jeſu

&

& Mariæ. Datum 10. Julii 1703.

68. In Eccl. Baſilica nuncupata ſanctiſſimi Corporis Chriſti Civitatis Wratislavienſis. Confrat. confederatio nuncupata ſub titulo ſacratiſſimi Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 10. Julii 1703.

69. In Eccl. Parochiali S. Michaelis vulgo (*Saint Michel*) nuncupata, Virdunenſis Diœceſis. Datum 27. Octobris 1703.

70. In Collegiata ac Parochiali Eccleſia Aſſumtionis B. M. V. I. oppidi nuncupati *Aigueperſes* Claromonten-
* ſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Mariæ. Datum 9. Novembris 1703.

71. In Parochiali Eccleſia Monaſterii de l'Epinaſſe nuncupati Monialium Ordinis Frontisebraldi, Toloſanæ Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 9. Novembris 1703.

72. In Eccl. ſeu Cappella ſub titulo ſacri Cordis Jeſu, Civitatis Auguſtanenſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 14. Februarii 1704.

73. In Eccl. Monaſt. Monialium Annunciatarum nuncupatarum, oppidi de Nivelles Namurcenſis Diœceſis. Datum 20. Februarii 1704.

74. In Eccl. Monialium Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatarum oppidi de *Ciney* Leodienſis Diœceſis. Datum 28. Februarii 1704.

75. In Eccl. Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo
* antiquorum nuncupatorum Civitatis Redonenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. V. Datum 10. Maji 1704.

76. In Eccl. Monaſt. Monialium Sororum nigrarum nuncupatarum Ordinis S. Auguſtini, loci de *Quenoy* Cameracenſis Diœceſis. Datum 23. Maji 1704.

77. In Eccl. Parochiali S. Vedaſti loci *de Bethune* Attrebatenſis Diœceſis. Datum 23. Maji 1704.

78. In Eccl. Monaſt. Monialium Urſulinarum nuncupatarum

Digitized by Google

rum oppidi nuncup. *Aix-la-Chapelle* Leodienſis Diœceſis. Datum 23. Maji 1704.

79. In Eccl. Presbyterorum ſæcularium Congregationis Oratorii S.Philippi Nerii Civitatis Foſſonenſis.Datum 26. Junii 1704.

80. In Eccl. Monaſt. ad S. Annam nuncup. Monialium tertii Ordinis S. Franciſci Reformatarum ſeu Capuccinarum nuncup.oppidi ſeu loci Brigantii Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 30. Junii 1704.

81. In Eccl. Monaſt. Hoſpitaliarum charitatis nuncupat. Beatæ Mariæ Civitatis Rupellenſis. Confrat. ſub titulo Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti Datum 7.Julii 1704.

82. In Eccl. ſeu Cappella puellarum ſeu Filiarum Præſentationis B. M.V.I. ſub inſtituto S. Franciſci Saleſii oppidi ſeu loci *d'Armantiere* Atrebatenſis Diœceſis. Datum 3. Julii 1704.

83. In Eccl. ſeu Cappella Monaſt. Monialium de Pænitentia Recollectinarum nuncup. oppidi Werthenſis Ruremundenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 20. Auguſti 1704.

84. In Eccl. Parochiali Burgi ſeu oppidi *de Theux* Leodienſis Diœceſis. Datum 23. Decembris 1704.

85. In Eccl. Monialium S. Urſulæ oppidi Clagenfurti Salisburgenſis Diœceſis. Datum 5. Januarii 1705.

86. In Eccl. Monialium S. Urſulæ oppidi nuncup. *Inſpruck* Brixinenſis Diœceſis. Datum 20. Februarii 1705.

87. In Eccl. Monialium B. M. de Charitate nuncup. Villæ ſeu oppidi de Quinganap Trecorenſis Diœceſis. * Confrat. ſub titulo ſacrorum Cordium Domiui noſtri Jeſu Chriſti ac B. M. V. Datum 31. Martii 1705.

88. In Eccl. Fratrum minorum Ordinis S. Franciſci Recollectorum nuncup. Civitatis Nannetenſis. Confrat.

Digitized by Google

ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 4. Maji 1705.

89. In Eccl. S. Frigdiani Clericorum Regularium Congregationis S. Pauli Decollati Barnabitarum nuncup.

* Civitatis Piſarum Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B.M.V. Datum 6. Maji 1705.

90. In Eccl. Monaſt. Monialium Ordinis S. Benedicti oppidi Iſſorienſis Claromontenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 18. Maji 1705.

91. In Eccl. S. Mariæ de Victoria nuncup. Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei ſcholarum piarum nuncup. oppidi Varſaviæ Poſnanienſis Dioeceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 30. Maji 1705.

92. In Eccl. Monialium S. Claræ Civitatis Cadurcenſis. Datum 2. Junii 1705.

93. In Eccl. Collegiata SS. Stephani & Nicolai Civitatis Conſtantienſis. Datum 6. Junii 1705.

94. In Parochiali ſeu alia Eccl. loci Violani vulgo *Venſlau* nuncup. Auguſtanenſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 16. Julii 1705.

95. In Eccl. Monialium Recollectinarum de pœnitentia nuncup. oppidi Lovanienſis, Mechlinienſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 16. Julii 1705.

96. In Eccl. Parochiali S. Michaelis loci *Apſtiang* Auguſtanenſis Diœceſis, Provinciæ Moguntinæ. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 9. Octobris 1705.

97. In Eccl. Parochiali S. Leodegarii loci de *Longhoffen*, Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 16. Octobris 1705.

98. In Eccl. Monialium Ordinis B. M. de Monte Carmelo oppidi ſeu loci *de Neufchâteau* in Lotharingia Tullen-

lenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 10. Martii 1706.

99. In Eccl. ſeu Cappella ſæculari *de Jaxtheimb* Auguſtanenſis Diœceſis. Provinciæ Moguntinæ. Datum 11. Martii 1706.

100. In Eccl. Monialium S. Urſulæ oppidi nuncup. Dantragues Ruthenenſis Diœceſis. Datum 15. Martii 1706.

101. In Eccl. Monialium S. Urſulæ oppidi de Redon Venetenſis Diœceſis. Confrat. ſocietas nuncup. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 28. Martii 1706.

102. 56. In Eccl. ſeu Cappella Collegii & Seminarii Clericorum Regularium Societatis Jeſu Scotorum nuncupat. oppidi Duaci Attrebatenſis ſeu alterius Diœceſis. Datum 8. Aprilis 1706.

103. In Eccl. Parochiali S. Dioniſii Areopagitæ loci Meſſkurchii Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 17. Aprilis 1706.

104. In Eccl. S. Marci Monialium S. Urſulæ Civitatis Salisburgenſis. Datum 21. Aprilis 1706.

105. In Eccl. Parochiali loci *Udembroch*. Colonienſis Diœceſis. Datum 2. Junii 1706.

106. In Eccl. Parochiali S. Altonis nuncup. Fratrum Brigittinorum etiam nuncup. Friſingenſis Diœceſis. Datum 8. Julii 1706.

107. In Eccl. Monaſt. SS. Petri & Pauli Apoſtolorum Monachorum Ordinis S. Benedicti oppidi ſeu loci Erfurti in Thuringia Moguntinæ Diœceſis. Datum 27. Julii 1706.

108. In Eccl. Paroch. Pagi Eippenhauſenſis Conſtantienſis Diœc. Provinc. Moguntinæ. Datum 6. Auguſti 1706.

109. In Eccl. ſeu Cappella ſacri Cordis Jeſu Monialium B. M. V. ſeu Domicellarum Anglicarum nuncup. oppidi Mindelhein Auguſtanenſis Diœceſis Provinciæ Mo-

Digitized by Google

guntinæ. Datum 7. Auguſti 1706.

110. In Eccl. Domus puellarum ſeu Mulierum unionis chriſtianæ de S. Chaumond nuncup. Civitatis Pariſienſis. Confrat. ſub titulo ſacratiſſimi Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 23. Auguſti 1706.

111. In Eccl. Filiali prope oppidum Erdingam ad ſacrum cruorem nuncup. Friſingenſis Diœceſis. Datum 10. Septembris 1706.

112. In Eccl. Filiali in *Hochenburg* Herbipolenſis Diœceſis, Datum 10. Decembris 1706.

113. In Eccl. Monaſt. Monialium Urſulinarum nuncup. oppidi de Valencienes Cameracenſis Diœceſis. Datum 17. Decembris 1706.

114. In Eccl. Monaſt. Imperialis nuncup. Monachorum Ordinis S. Benedicti in *Zwifalten* Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 4. Februarii 1707.

115. In Eccl. Collegiata S. Catharinæ de Wolfegii Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 22. Martii 1707.

116. In Eccl. Monaſt. Monialium Capuccinarum nuncup. Civitatis Brugenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 18. Aprilis 1707.

117. In Eccl. Parochiali S. Blaſii di Weiler Conſtantienſis Diœceſis provinciæ Moguntinæ. Datum 10. Junii 1707.

118. In Eccl. S. Urſulæ Sororum S. Urſulæ nuncup. Neoburgi ad Danubium Auguſtanenſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 17. Junii 1707.

119. In Eccl. Filiali ſeu Cappella contigua Eccleſiæ Parochiali S. Jacobi loci Rettemberg Auguſtanenſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 12. Julii 1707.

120. In Eccl. ſeu Cappella S. Angeli Cuſtodis oppidi nuncup. Burghuſii in Bavaria Salisburgenſis Diœceſis Datum 3. Auguſti 1707.

Digitized by Google

121. In Eccl. Transfigurationis Domini noſtri Jeſu Chriſti Clericorum Regularium Congregationis pauperum Matris Dei ſcholarum piarum nuncup. oppidi Zucovienſis, Cracovienſis Diœceſis. Datum 22. Auguſti 1707.

122. In Eccl. Parochiali S. Martini Epiſc. oppidi Aſchan Auguſtanenſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 10. Decembris 1707.

123. In Eccl. Hoſpitalis S. Nicolai oppidi de Blevia Burdegalenſis Diœceſis, Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 8. Februarii 1708.

124. In Eccl. S. Joannis Baptiſtæ Monialium Ordinis S. Benedicti loci vulgo *Clooſterbolzen* nuncup. Auguſtanenſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 7. Martii 1708.

125. In Eccl. Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci de obſervantia Recollectorum nuncup. Trevirenſis Diœceſis. Datum 28. Junii 1708.

126. In Eccl. ſacri Cordis Jeſu Monaſt. Monialium Urſulinarum nuncupat. oppidi Duſſeldorpii Colonienſis Diœceſis. Datum 15. Septembris 1708.

127. In Eccl. S. Nicolai Villaci Labacenſis Diœceſis. Datum 22. Septembris 1708.

128. In Eccl. Parochiali S. Urſulæ loci *Maiſelſtein* Auguſtanenſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 20. Octobris 1708.

129. In Eccl. Parochiali oppidi ſeu loci de Linds nuncup. Labacenſis Diœceſis. Datum 26. Octobris 1708.

130 In Eccl. S. Annæ Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatorum nuncup. Civitatis Aurelia-
* nenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. Virginis Datum 1. Februarii 1709.

131. In Eccl. Monaſt. Monialium Urſulinarum nuncup. Civitatis nuncup. di *Strambench* Ratisbonenſis ſeu alterius Diœceſis. Datum 26. Aprilis 1709.

132. In Eccl. Parochiali B. M. V. Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini loci *Hochenzeiſenberg* Friſingenſis Diœceſis. Datum 29. Maji 1708.
133. In Eccl. S. Cypriani Monaſt. Monialium S. Benedicti Civitatis Tergeſtinenſis. Datum 11. Julii 1709.
134. In Eccl. Monaſt. de Sion nuncup. Monialium Canoniſſarum Regularium Ordinis S. Auguſtini oppidi Lirani Antverpienſis Diœceſis. Datum 29. Julii 1709.
135. In Eccl. ſub titulo Jeſu & Mariæ, ac S. Joſephi Monialium Urſulinarum nuncup. oppidi Goritiæ Aquilejenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 7. Octobris 1709.
136. In Eccl. Monaſt. Monialium ſub regula Sanctæ Claræ Civitatis Pragenſis. Datum 7. Octobris 1709.
137. In Eccl. Collegii Clericorum Regularium Societatis Jeſu Civitatis Pekinenſis. Datum 19. Novembris 1709.
138. In Eccl. Collegii Clericorum Regularium Societatis Jeſu Civitatis Machaonenſis. Datum 19. Novembris 1709.
139. In Eccl. B. M. V. Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini loci *Hochenpeiſſenberg* Friſingenſis Diœceſis. Datum 15. Januarii 1710.
140. In Eccl. S. Mariæ Magdalenæ Monialium Ordinis S. Benedicti loci *Seedorf* Conſtantienſis Diœceſis provinciæ Moguntinæ. Datum 7. Januarii 1710.
141. In Eccl. Parochiali SS. Petri & Pauli Apoſtolorum loci *Lantherach* Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ Datum 22. Februarii 1710.
142. In Eccl. Parochiali S. Joannis Baptiſtæ oppidi Lambalienſis Briocenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacrorum Cordium Jeſu & Mariæ pro ſolatio Agonizantium nuncup. Datum 36. Maji 1710.
143. In Eccl. Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Civitatis Aurelianenſis, Confrat. Mulierum tantum

Digitized by Google

* tum ſub titulo ſacrorum Cordium Jeſu & Mariæ. Datum 10. Junii 1710.

144. In Eccl. Parochiali oppidi ſeu loci de *Provenchere* Biſuntinæ Diœceſis. Datum 10. Julii 1710.

145. In Eccl. Monialium Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Excalceatarum nuncup. Civitatis nuncup. di Munſtercifeldin in Ducatu Juliacenſi Colonienſis Diœceſis. Datum 12. Julii 1710.

146. In Eccl. Monaſt. Monialium loci de Pomarede Cadurcenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 6. Novembris 1710.

147. In Eccl. Monaſt. Monialium Annunciationis B. M. V. ſub regula S. Auguſtini prope Bulſanum Tridentinæ Diœceſis. Datnm 16. Januarii 1711.

148. In Eccl. S. Spiritus Monialium Urſulinarum nuncup. oppidi nuncup. Clandiferi Salisburgenſis Diœceſis. Datum 28. Januarii 1711.

149. In Eccl. Parochiali S. Martini Epiſcopi oppidi Rottemburgi Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 30. Martii 1711.

150. In Eccl. B. M. V. loci Elderen Auguſtanenſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 6. Maji 1711.

151. In Eccl. Parochiali Daſſicenſi in Regno Bohemiæ Pragenſis Diœceſis. Datum 9. Maji 1711.

152. In Eccl. Parochiali S. Catharinæ loci Babitz Olomucenſis ſeu alterius Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Chriſti. Datum 13. Maji 1711.

153. In Eccl. Cathedrali Poſnanienſi. Confrat. ſub titulo ſacratiſſimi Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 10. Novembris 1711.

154. In Eccl. B. M. V. Lauretanæ nuncup. Monialium Urſulinarum etiam nuncup. oppidi Poſonii Strigonienſis Diœceſis. Datum 13. Novembris 1711.

155. In Eccl. Monialium S. Urſulæ oppidi nuncup. Augi Ro-

Digitized by Google

Rothomagenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Jeſu Chriſti. Datum 19. Novembris 1711.
156. In Eccl. Monialium S. Urſulæ loci S. Hippoliti nuncup. Biſuntinæ Diœceſis. Datum 22. Decembris 1711.
157. In Eccl. Monialium S. Urſulæ oppidi nuncup. Stabuleti Leodienſis Diœceſis. Datum 21. Martii 1712.
158. In Eccl. S. Claræ Monialium ſub regula ejuſdem S. Claræ oppidi Oppaviæ Olomucenſis Diœceſis. Datum 6. Aprilis 1712.
159. In Eccl. Monialium S. Urſulæ oppidi nuncup. d'Eſpation Rutenenſis Diœceſis, Confrat. ſub titulo ſacrorum Cordium Jeſu & Mariæ. Datum 13. Maji 1712. *
160. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. Civitatis Tricaſtrinenſis. Datum 12. Maji 1712.
161. In Eccl. S. Noitburgis. nuncup. Civitatis Colonienſis. Datum 14. Julii 1712.
162. In Eccl. Parochiali de Damrichard Biſuntini Diœceſis. Datum 21. Octobris 1712.
163. In Eccl. Monialium Ordinis S. Franciſci Cordigerarum nuncup. oppidi ſeu loci de Mondidier Ambianenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini Noſtri Jeſu Chriſti. Datum 16. Novembris 1712.
164. In Eccl. Præſentationis. B. M. V. I. Monialium tertii Ordinis S. Franciſci Civitatis nuncup. Tugii Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ Datum 6. Decembris 1712.
165. In Eccl. Parochiali ad Neoſtadium in Palatinatu Ratisbonenſis Diœceſis Datum 16. Januarii 1713.
166. In Eccl. Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Civitatis Bambergenſis. Datum 10. Martii 1713.
167. In Eccl. S. Annæ Monaſt. Monialium Ordinis Viſitationis B. M. V. Immaculatæ Civitatis nuncup. Monachii Friſingenſis Diœceſis Datum 5. Aprilis 1713.
168. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. oppidi nuncup. Nanci Tullenſis Diœceſis, Datum 12. Septembris 1713.

Digitized by Google

169. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. Immaculatæ Civitatis Argentinenſis. Datum 12. Septembris 1713.

170. In Eccl. Monaſt. Monialium Hoſpitaliariarum nuncup. Militiæ S. Joannis Hieroſolymitani oppidi de Martel Cadurcenſis Diœceſis. Datum 16. Septembris 1713.

171. In Eccl. Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei ſcholarum piarum nuncup. oppidi Petricovienſis Gneſnenſis Diœceſis. Datum 9. Januarii 1714.

172. In Eccl. Fratrum Ordinis Minorum Sancti Franciſci de Obſervantia Recollectorum nuncupat. Civitatis Nannetenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 15. Octobris 1714.

173. In Eccl. B. M. V. in Marienſtein Friſingenſis Diœceſis. Datum 25. Octobris 1714.

174. In Eccl. Parochiali S. Wolfangi loci *Michkauſen* Auguſtanenſis Diœceſis Datum 20. Novembris 1714.

175. In Eccl. ſeu Cappella hoſpitalis Regii loci de Montaiga Lucionenſis Diœceſis. Datum. 7. Januarii 1715.

176. In Eccl. Monaſt. Monialium Urſulinarum nuncup. oppidi ſeu loci *Carhaix* Coriſopitenſis Diœceſis. Datum 8. Aprilis 1715.

177. In Eccl. Monaſt. Monialium Congregationis B. M. V. Civitatis nuncup. de *Corbeil* Pariſienſis Diœceſis. Datum 13. Aprilis 1715.

178. In Eccl. Monaſt. Monialium Recollectinarum nuncup: oppidi nuncup. *Deſveſne* Cameracenſis Diœceſis. Datum 13. Aprilis 1715.

179. In Eccl. Monaſt. Monialium Urſulinarum nuncupat. *de Clermont en Beauvoiſis* Bellovacenſis Diœceſis. Datum 13. Aprilis 1715.

180. In Eccl. ſeu Cappella Hoſpitalis (vulgo *l'Hotel-Dieu*)

Digitized by Google

nuncup. oppidi de Figeac Carducenſis Diœceſis. Datum 23. Aprilis 1715.

181. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B.M.V. Immaculatæ Civitatis Anicienſis. Datum 29. Julii 1715.

182. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Meldenſis. Datum 12. Auguſti 1715.

183. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Aurelianenſis. Datum 12. Auguſti 1715.

184. In Eccl. Monialium Hoſpitaliariarum vulgo *de la Chariotte* nuncup. Civitatis Atrebatenſis. Datum 13. Auguſti 1715.

185. In Eccl. Monaſt. Monialium S. Urſulæ oppidi nuncup. Perronæ Nivernenſis Diœceſis. Datum 31. Auguſti 1715.

186. In Eccl. Vicariali S. Viti loci Hendorff, Salisburgenſis Diœceſis. Datum 7. Novembris 1715.

187. In Eccl. Monaſterii Monialium Annunciationis B.M. V. I. de S. Catharina nuncup. Civitatis Bononienſis. Datum 26. Novembris 1715.

188. In Eccl. Parochiali loci Gamundiani Auguſtanenſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 22. Januarii 1716.

189. In Eccl. Monaſt. ſecundi Monialium Viſitationis B. M. V. I. Annecii Gebbennenſis Diœceſis. Datum 21. Martii 1716.

190. In Eccl. Parochiali Bettendorffenſi nuncupat. unita Monaſt. de Portu Mariano Monachor. Ordinis Ciſtercien. Ratisbonen. Diœceſis Datum 21. Aprilis 1716.

191. In Eccl. Monaſt. Monialium B. Mariæ de Charitate nuncupat. ſub Regula ſancti Auguſtini Civitatis Venetenſis. Confrat. ſub titulo ſacrorum Cordium Domini noſtri Jeſu Chriſti ac B. M. V. Datum 18. Maji 1716. *

192. In Eccl. Monialium S. Urſulæ oppidi nuncup. Bruntrutanæ Biſuntinæ Diœceſis. Datum 27. Junii 1716.

193.

Digitized by Google

193. In Eccl. Collegiata oppidi de Muras in Alvernia ſancti Flori Diœceſis. Datum 14. Julii 1716.

194. In Eccl. Præpoſiturali ſanctæ Catharinæ Caſtellidrarberg Brixin. Diœceſis. Datum 15. Julii 1716.

195. In Eccl. Monialium SS. Sacramenti Ordinis ſancti Benedicti oppidi Civitatis nuncup. de Chaſtillon ſur Loing Altiſſiodoren. Diœceſis. Datum 20. Julii 1716.

196. In Eccl. Monialium Congregationis B. M. V. oppidi Civitatis nuncup. de Monfort l'Amaury Carnoten. Diœceſis. Datum 20. Julii 1716.

197. In Eccl. Conceptionis B. M. V. I. Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci Recollectorum nuncup. in Raſtad, Sirenſis Diœceſis. Datum 2. Septembris 1716.

198. In Eccl. Parochiali oppidi Civitatis nuncup. Balebi Bolonien. Diœceſis. Datum 16. Novembris 1716.

199. In Eccl. Noſtræ Dominæ de Charitate Ordinis ſancti Auguſtini in Suburbio Parochiæ Noſtræ Dominæ * de la Riche Civitatis Turonenſis Confrat. ſacrorum Cordium Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac B. M. V. Immaculatæ. Datum 16. Januarii 1717.

200. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. Immaculatæ Civitatis Auguſtanenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 11. Martii 1717.

201. In Eccl. Virginum, vulgo *les Filles de là Doctrine Chretienne* oppidi nuncup. Medunte Carnotenſis Diœceſis. Datum 5. Aprilis 1717.

202. In Eccl. Monialium S. Urſulæ Civitatis nuncup. Rodumnæ Lugdunenſis Diœceſis. Datum 5. April. 1717.

203. In Eccl. Parochiali oppidi de Ligny Tullenſis Diœceſis. Datum 3. Junii 1717.

204. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Arelatenſis. Datum 15. Julii 1717.

205. In Eccl. Collegiata quæ ut aſſeritur, inſignis exiſtit oppidi nuncup. Cherii Taurinenſis Diœceſis. Da-

tum. 15. Julii 1717.

206. In Eccl. Monialium Ordinis S. Dominici loci Altenſtah prope Veldkirihium Curienſis Diœceſis. Datum 20. Julii 1717.

207. In Eccl. ſeu Cappella Pœnitentium Alborum nuncup. oppidi etiam nuncup. de Gaillac Albienſis Diœceſis. Datum 17. Auguſti 1717.

208. In Eccl. S. Claræ Monialium tertii Ordinis S. Franciſci oppidi Stantii Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 27. Auguſti 1717.

209. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Maſſilienſis. Datum 30. Auguſti 1717.

210. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Nemauſenſis. Datum 30. Auguſti 1717.

211. In Eccl. Parochiali S. Mariæ Magdalenæ Villæ Scuchozebrii Luccorienſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 8. Octobris 1717.

212. In Eccl. Monialium Noſtræ Dominæ Civitatis Biterrenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. V. Datum 9. Novembris 1717.

213. In eadem Eccleſ. Monialium. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Jeſu. Datum ut ſupra.

214. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Cracovienſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 12. Novembris 1717.

215. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Vilnenſis. Datum 12. Novembris 1717.

216. In Eccl. Monialium S. Urſulæ ſub regula S. Auguſtini oppidi de Marcigny Ædvenſis Diœceſis. Datum 15. Novembris 1717.

217. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Carpentoractenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 23. Martii 1718.

218. In Eccl. Monialium S. Urſulæ Civitatis Quebecenſis. Datum 28. Martii 1718.

219. In Eccl. Monialium ſub regula Sanctæ Claræ Monaſt. de Minſcendorff. Aquileienſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. Virginis Datum 31. Martii 1718. *

220. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. I. ſita in via S. Jacobi Civitatis Pariſienſis. Datum 34. Maji 1718.

221. In Communitatis Filiarum Fidei nuncupat. oppidi etiam nuncup. de Bergerac Petragoricenſis Diœceſis. Datum 16. Maji 1718.

222. In Eccl. Monialium Congregationis B. M. V. Civitatis Narbonenſis. Datum 28. Maji 1718.

223. In Eccl. Monialium Congregationis B. M. V. Civitatis Monaſterienſis. Datum 26. Auguſti 1718.

224. In Eccl. Conventus Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo *du Pont l'Abbe* Coriſopitenſis Diœceſis. Datum 27. Auguſti 1718.

225. In Eccl. Parochiali Sanctæ Genovefæ oppidi de Vernon Ebroicenſis Diœceſis. Datum 7. Novemb. 1718.

226. In Eccl. Parochiali de Mulheim, Colonienſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Datum 5. Decembris 1718.

227. In Eccl. ſecundi Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Aquenſis in Provincia Provinciæ. Confrat. &c. Datum 20. Decembris 1718.

228. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Avenionenſis. Confrat. &c. Datum 20. Decembris 1718.

229. In Eccl. Monaſt. Monialium B. M. V. Civitatis Tolonenſis. Datum 15. Martii 1719.

230. In Eccl. ſeu Cappella ſanctiſſimi Salvatoris flagellati loci Sparf Saliſburgenſis Diœceſis. Datum 27. Martii 1719.

231. In Eccl. B. M. V. Caſtri Thrain filiali Parochiæ Bir-

bangenſis Ratisbonenſis Diœceſis. Datum 11. Maji
* 1719. Confrat. ſub titulo ſacrorum Cordium Jeſu & Mariæ.

232. In Eccl. Monaſt. Monialium Urſulinarum nuncup. oppidi Lyncenſis Paſſavienſis Diœceſis. Confrat. ſub
* titulo ſacri Cordis B. M. V. Datum 12. Julii 1719.

233. In Eccl. S. Michaelis Archangeli, ac S. Barbaræ Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei ſcholarum piarum nuncupat. loci de Reſſovia Præmulſienſis Diœceſis. Datum 8. Auguſti 1719.

234. In Eccl. S. Jacobi Apoſtoli Monaſt. Monialium Canoniſſarum Regularium Ordinis S. Auguſtini Civita-
* tis Viennenſis in Auſtria. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. V. Datum 14. Novembris 1719.

435. In Eccl. Monaſt. Monialium Ordinis Viſitationis B. M. V. Immaculatæ oppidi de Rumillo Gebbennenſis Diœceſis. Datum 22. Decembris 1719.

236. In Eccl. B. M. Lauretanæ nuncup. Monialium Urſulinarum etiam nuncupat. oppidi Poſonii Stigonienſis Diœceſis. Datum 22. Februarii 1720.

237. In Eccl. Fratrum Ordinis minorum S. Franciſci Capuccinorum nuncupat. de Graji Biſuntinæ Diœceſis.
* Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. V. Datum 6. Maji 1720.

238. In Eccl. S. Crucis Monialium Ordinis S. Benedicti oppidi Slonim Vilnenſis Diœceſis. Datum 22. Maji 1720.

239. In Eccl. Parochiali loci Reſicenſis Poſnanienſis ſeu alterius Diœceſis. Datum 22. Junii 1720.

240. In Eccl. Monaſt. Monialium S. Crucis Ordinis S. Benedicti oppidi nuncup. des Sables d'Olonne Lucionenſis Diœceſis. Datum 6. Julii 1720.

241. In Eccl. Parochiali ſeu alia Eccleſia SS. Petri & Pauli Apoſtolorum in monte Madronenſi Frinſingenſis Diœceſis. Datum 29. Julii 1720.

242.

Digitized by Google

242. In Eccl. S. Marci Clericorum Regularium Congregationis ſcholarum piarum nuncup. oppidi Warez Chelmenſis Diœceſis. Datum 6. Novembris 1720.

243. In Eccl. Parochiali S. Stephani Protomartyris oppidi de Montluel in Breſſia Lugdunenſis Diœceſis. Datum 22. Decembris 1720.

244. In Eccl. S. Petri & S. Barbaræ loci *de Saint Chaumond* vulgo nuncup. Lugdunenſis Diœceſis. Datum 10. Martii 1721.

245. In Eccl. Fratrum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Civitatis Lugdunenſis. Datum 17. Martii 1721.

CONFRATERNITATES

Sub titulo Sacrorum Cordium JESU *&* MARIÆ *expeditæ ſub* INNOCENTIO XIII.

246. In Eccl. Fratrum Ordinis minorum S. Franciſci de Obſervantia Recollectorum oppidi Brulenſis, Colonienſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacrorum Cordium Jeſu & Mariæ. Datum 7. Junii 1721. *

247. In Eccl. Parochiali S. Mariæ Deſperoni (di *San Fermo* vulgo nuncup.) Placentinæ Diœceſis. Provinciæ Bononienſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Jeſu Crucifixi, ac B. M. Virginis Doloroſæ. Datum 19. Junii 1721. *

248. In Eccl. Conventus Civitatis Fratrum Ss. Trinitatis Redemtionis Captivorum Civitatis Lugdunenſis. Datum 11. Auguſti 1771.

250. In Parochiali ſeu alia Eccl. S. Jacobi *di Portolongone* Maſſanenſis Diœceſis Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. V. Datum 5. Septembris 1721. *

251. In Eccl. Monialium Urſulinarum nuncup. oppidi nuncup. de Faovet Coriſopitenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacratiſſimorum Cordium Jeſu & Mariæ. Datum 12. Januarii 1722. *

Digitized by Google

252. In Eccl. Monaſt. Monialium ſub regula Sanctæ Claræ loci Sefflingenſis Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 28. Januarii 1722.

353. In Eccl. Monaſt. Monialium Capuccinarum nuncup. loci Sanctæ Mariæ Angelorum etiam nuncupat. Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 20. Martii 1722.

254. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. de Creſmieux Viennenſis Diœceſis in Delphinatu. Datum 21. Martii 1722.

255. In Eccl. Monaſt. Monialium Urbaniſtarum nuncup. loci de Sorcy Tullenſis Diœceſis. Datum 13. Aprilis 1722.

256. In Eccl. Monaſt. Monialium Ordinis S. Franciſci Recollectarum nuncup. loci *de Chateau Vilaim* Lingonenſis Diœceſis. Datum 20. Aprilis 1722.

257. In Eccl. Monaſt. Monialium Urſulinarum nuncupat. oppidi de Salanche Gebbenenſis Diœceſis. Datum 17. Julii 1722.

258. In Eccl. S. Mariæ de Conſolatione nuncup. Fratrum Ordinis S. Franciſci de Paula Minimorum nuncup. prope Pagum de Monte Valle nuncup. Biſuntinæ Diœceſis. Datum 24. Auguſti 1722.

259. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. Civitatis Bellicenſis. Datum 31. Auguſti 1722.

260. In Eccl. Cathedrali Civitatis Vazatenſis. Datum 26. Septembris 1722.

261. In Eccl. Monaſt Monialium Viſitationis B. M. V. Civitatis Pictavienſis. Confrat. &c. Datum 12. Octobris 1722.

262. In Eccl. Parochiali loci Raſtenfeld. Paſſavienſis Diœceſis. Datum 7. Novembris 1722.

263. In Eccl. S. Georgii ſopramuro nuncup. Civitatis Placentinæ Provinciæ Bononienſis. Confrat. ſeu Congregat. ſub titulo ſacri Cordis Mariæ. Datum 3. Februarii 1723.

Digitized by Google

264. In Eccl. Monaſt. Monialium B. M. V. Matris Dei loci Annonay Viennenſis Diœceſis in Delphinatu. Datum 4. Martii 1723.

265. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Toloſanenſis. Confrat. ſeu Congregat. Datum 22. Martii 1723.

266. In Eccl. S. Crucis Ordinis Fratrum Prædicatorum loci Frankenſtein Wratislavienſis Diœceſis. Datum 2. Aprilis 1723.

267. In Eccl. Parochiali S. Remigii oppidi nuncup. Carolopolitanæ Rhemenſis Diœceſis. Datum 5. Aprilis 1723.

268. In Eccl. Parochiali ac Collegiata oppidi nuncup. *de Aigue - Perſe* Claromontenſis Diœceſis. Datum 19. Aprilis 1723.

269. In ſæculari ac Collegiata Eccl. S. Andochii oppidi de Saulieu Ædvenſis Diœceſis. Datum 24. Maji 1723.

270. In Eccl. Parochiali loci Bedoini Carpentoractenſis Diœceſis. Datum 31. Maji 1723.

271. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. Civitatis Aquenſis. Datum 31. Maji 1723.

272. In Eccl. Monaſt. Monialium S. Urſulæ loci Carumbi Carpentoractenſis Diœceſis. Datum 31. Maji 1723.

273. In Eccl. Monialium S. Urſulæ oppidi ſeu loci Paternarum Carpentoract. Diœc. Datum 31. Maji 1723.

274. In Eccl. Parochiali loci Lanterenſis Baſileenſis Diœceſis. Datum 18. Junii 1723.

275. In Eccl. ſeu Cappella Sororum nuncup. Civitatis Bituricenſis Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. Virginis. Datum 28. Junii 1723. *

276. In Eccl. S. Georgii Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei ſcholarum piarum nuncup. oppidi Szezuecini Vilnenſis Diœceſis. Datum 13. Auguſti 1723.

277. In Eccl. S. Bonaventuræ Fratrum Ordinis Minorum

Digitized by Google

S. Franciſci de Obſervantia nuncup. Civitatis Lugdunenſis. Datum 6. Novembris 1723.

278. In Eccl. Monaſt. Monialium Congregationis B.M.V. Civitatis Moguntinæ. Datum 17. Novembris 1723.

279. In Eccl. Monaſt. Monialium B.M.V. de Baſilico nuncup. Ordinis S. Franciſci Civitatis Meſſanenſis. Datum 27. Novembris 1723.

280. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. Civitatis Cracovienſis. Datum 29. Novembris 1723.

281. In Eccl. Fratrum Ordinis minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncup. loci Budenſis Vilnenſis Diœceſis. Datum 10. Januarii 1724.

282. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. Civitatis Ebredunenſis. Datum 10. Januarii 1724.

283. In Eccl. Parochiali S. Andreæ oppidi nuncup. Ravenſpurgenſis Conſtantienſis Diœceſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 3. Februarii 1724.

284. In Eccl. Monaſt. Monialium S. Annæ Ordinis Ciſtercienſis Civitatis Trevirenſis. Datum 3. Februarii 1724.

285. In Eccl. Monaſt. Monial. Urſulinarum nuncup. oppidi etiam nuncup. Giſortii Rhotomag. Diœceſis. Datum 4. Martii 1724.

CONFRATERNITATES

Sub titulo Sacrorum Cordium JESU *&* MARIÆ *expeditæ ſub* BENEDICTO XIII.

286. In Eccl. Parochiali loci Gebreile nuncup. Baſileenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Jeſu. Datum 30. Junii 1724.

287. In Eccl. Parochiali de Bourbonne Lingonenſis Diœceſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. V. Datum 4. Julii 1724.

588. In Eccl. Monaſt. Monialium Congregationis B. M.

V.

Digitized by Google

V. oppidi de Langeac Diœceſis S. Flori. Datum 17. Julii 1724.

289. In eadem Eccl. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. * M. V. Datum 17. Julii 1724.

290. In Eccl. Monialium S. Urſulæ Civitatis Viennenſis in Delphinatu. Datum 17. Julii 1724.

291. In Eccl. Collegiata S. Mariæ Fulcorinæ nuncup. Civitatis Mediolanenſis. Datum 21. Julii 1724.

292. In Eccl. Monialium S. Urſulæ Civitatis Biſuntinenſis. * Confrat. ſub titulo ſacri Cordis Mariæ. Datum 24. Julii 1724.

293. In Eccl. Parochiali S. Petri de Variſe Diœceſis Carnotenſis. Datum 7. Auguſti 1724.

294. In Eccl. Monialium Ordinis S. Franciſci oppidi Enſisheim Diœceſis Baſileenſis. Datum 9. Septembris 1724.

295. In Eccl. Parochiali loci S. Nicolai de Portu nuncup. Diœceſis Tullenſis. Datum 15. Septembris 1724.

296. In Eccl. Monaſt. Monialium Viſitationis B. M. V. I. oppidi de Creſt Dienſis Diœceſis. Datum 7. Novembris 1724.

297. In Eccl. Monialium Congregationis Noſtræ Dominæ oppidi de Langogne Diœceſis Mimatenſis. Datum 26. Januarii 1725.

298. In Eccl. Imperiali Aſſumpt. B. M. V. Canonicorum * Regularium Ordinis S. Auguſtini Congregationis Lateranenſis Civitatis Pragenſis. Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. M. V. Datum 16. Februarii 1725.

299. In Eccl. Parochiali S. Joan. Baptiſtæ oppidi nuncupat. Leupferberg Uratislavienſis Diœceſis. Datum 16. Martii 1725.

300. In Eccl. Monialium Viſitationis B. M. V. Civitatis Ambianens. Datum 16. April. 1725.

301. In Eccl. Metropolit. Civitatis Rothomagenſis. Datum 16. April. 1725.

Digitized by Google

302. In Eccl. Monialium Annuntiationis B. M. V. Immaculatæ oppidi nuncup. Joinville Catalaunenſis Diœceſis. Datum 16. April. 1725.

303. In Eccl. Parochiali S. Martini loci de Roſieres Diœceſis Anicienſis. Datum 24. Julii 1725.

304. In Eccl. Conventus in Leſino nuncup. Fratrum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo Strictioris Obſervantiæ Civitatis Varſaviæ Poſnanienſis Diœceſis. * Confrat. ſub titulo ſacri Cordis B. V. M. Datum 17. Auguſti 1725.

305. In Eccl. Fratrum Ordinis minorum S. Franciſci de Obſervantia Recollectorum oppidi de Vitry Diœceſis Catalaunenſis. Datum 28. Nov. 1725.

306. In Eccl. Clericorum Regularium Soc. Jeſu Civitatis nuncup. Antouræ Beritenſis Diœceſis. Datum 4. Decembris 1725.

307. In Eccl. Parochiali de Novian Tullenſis Diœceſis. Datum 13. Februarii 1726.

308. In Eccl. B. M. V. Angelorum Monialium Tertii Ordinis S. Franciſci oppidi Appencellæ Diœceſis Conſtantienſis Provinciæ Moguntinæ. Datum 16. Januarii 1726.

309. In Eccl. Monialium S. Bernardi oppidi de la Ciotat, Maſſilienſis Diœceſis. Datum 8. Aprilis 1726.

310. In Eccl. Monialium S. Urſulæ loci Gratiæ Portus Rothomagenſis Diœceſis. Datum 8. April. 1726.

311. In Eccl. Parochiali Dominæ Noſtræ Cazzopitellæ in Inſula Martinicæ. Datum 23. Septemb. 1726.

Ego infraſcriptus teſtor omnes ſupradictas Indulgentias perpetuas ex Regiſtris deſumtas eſſe.

Mathias Deltour, *Subſtitutus Indulgentiarum.*

Con-

Confraternitatibus ſupradictis adjungendæ ſunt quæ ſequuntur.

312. In Eccl. Monialium B. V. M. a Viſit. nuncup. Civitatis Divionenſis. Diœceſis Lingonenſis. Datum 13. Martii 1697.

313. In Eccl. Monialium B. M. V. a Viſitat. nuncup. Civitatis Biſuntinenſis. Idib. April. 1698.

314. In Eccl. Monialium Urſulinarum oppidi de Poligny Diœceſis Biſuntinenſis. Datum 1. Julii 1698.

315. In Eccl. Monialium B. V. M. a Viſit. nuncup. Civitatis Salinenſis Diœceſis Biſuntinenſis. Datum 13. Auguſti 1698.

316. In Eccl. Monialium B. V. M. a Viſit. nuncup. Civitatis Dolanæ Diœceſis Biſuntinenſis. Datum 7. Novembris 1698.

317. In Eccl. Monialium Urſulinarum oppidi d'Arbois Diœceſis Biſuntinenſis. Idib. Maji 1703.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX.

Pars I. in tres Libros diſtributa.

LIBER I.

DE *Origine progreſſu & natura cultus SS. Cordis Jeſu.*
Cap. I. *Origo piiſſimi cultus.* pag. 1.
Cap. II. *De progreſſu SS. Cultus.* 14.
Cap. III. *Memoratæ prius revelationis veritas expenditur; ubi, occaſione accepta, quæ fides ejuſmodi cœleſtibus gratiis adhibenda ſit, obiter perſtringitur.* 22.
Cap. IV. *Quæ & qualis ſit natura SS. Cultus, proponitur & explicatur.* 35.
Cap. V. *Cultum Cordis Jeſu, & cultum SS. Euchariſtiæ inter ſe differre.* 46.

LIBER II.

De Excellentia Cultus Cordis Jeſu. 49.
Cap. I. *De Excellentia Rei quæ colenda proponitur.* 50.
De Excellentia SS. Cordis Jeſu in ſe ſpectati. 53.
De Corde Jeſu comparate ad homines. 62.
Cap. II. *Satisfit objectionibus.* 73.
Cap. III. *Excellentia Cultus Cordis Jeſu ex fine excellentiſſimo declaratur.* 102.
De Amore Jeſu erga homines aliquid attingitur, quantum ad propoſitum ſatis eſt. 103.
Quid tanto amori rependere homines debuere. 106.
Ingratus hominum animus expenditur. 112.
Querela Chriſti juſtiſſima, ſatisfaciendique neceſſitas. 120.
Cap. IV. *Excellentia tum virtutum quas Cultus Cordis Jeſu complectitur, tum fructus qui ex ejuſdem praxi colligitur.* 124.

LIBER III.

De uſu & praxi Cultus SS. Cordis Jeſu. 129.
Cap. I. *De Cultu interiori Cordis Jeſu.* 131.

Cap.

Digitized by Google

Cap. II. *De Cultu exteriori Cordis Jeſu.* 134.
Cap. III. *Variæ praxes Cordi Jeſu colendo idoneæ a Sanctis Viris exercitæ ac traditæ.* 139.
Praxis I. ex Lud. Bloſii documentis. ibid.
Praxis II. ex Lanſpergio deſumta. 140.
Praxis III. Ex R. P. Alvarez de Paz. 142.
Praxis IV. S. Gertrudi a Deo revelata. 143.
Praxis V. Venerab. Matri Mariæ de Incarnat. ex Ordine Sanctimonial. Divæ Urſulæ, Deo revelante, tradita. 144.
Praxis VI. deducta ex viſione cœleſti habita a Virgine Parodienſi ſupra memorata. 149.
Cap. IV. *Appendix de Cultu SS. & immaculati Cordis Mariæ Matris Dei Jeſu.* 150.
Cap. V. & ultimum. *Exercitia ad Cultum Cordium Jeſu & Mariæ pertinentia.* 161.
Exercitium laudis & adorationis ad Cor Jeſu. 162.
Exercitium amoris ad Cor Jeſu. 163.
Invocatio ad Cor Jeſu. 165.
Pro injuriis Cordi Jeſu inflictis voluntaria expiatio ad Cor Jeſu. ibid.
Oblatio ſui ſuarumque rerum ad Cor Jeſu. 167.
Exercitium ad Cor Mariæ. 170.
Precationes piique affectus ad ſacroſancta Corda Jeſu & Mariæ. 173.

PARS II.

De vita venerab. Mat. Marg. Mariæ Alacoque.
Monitio ad Lectorem. (i)
Epiſtola Illuſtriſſ. D. D. Epiſcopi Sueſſionenſis ad hujuſce opuſculi authorem ſcripta de vitæ ſanctitate prædictæ vener. Matris Margaritæ. (iij)
Exemplum miraculi authentici meritis venerab. Mat. Marg. Mariæ a Deo impetratum. (xiiij)
Exemplum fideliter exſcriptum ex iis quæ juſſu Patris ſui ſpiritualis ſcripſit de vita ſua ven. Mat. Margarita Maria Alacoque. 1.

Ex-

Excerpta quædam litterarum ejuſdem ven. Matris. 126.
Edicta plurimorum Epiſcoporum circa Cultum SS. Cordis Jeſu debitum, & inſtitutionem feſti ad honorem ejuſdem SS. Cordis. 131.
Epiſcopus Conſtantienſis in Normannia anno 1688. ibid.
Archiepiſcopus Veſuntinus anno 1694. 132.
Archiepiſcopus Lugdunenſis Galliæ Primas. anno 1718. 133.
Ejuſdem Archiepiſcopi facultas celebrandi feſti SS. Cordis Mariæ. 135.
Epiſcopus Maſſilienſis anno 1720. 136.
Civitatis Maſſilienſis deliberatio de voto publico circa celebrationem feſti SS. Cordis Jeſu. 137.
Epiſcopus Telonenſis anno 1721. 139.
Capituli Eccleſiæ Metropolit. Aquiſſextanæ votum perpetuum de celebratione feſti SS. Cordis Jeſu an. 1721. 140.
Ejuſdem voti approbatio ab Archiepiſcopo. 141.
Archiepiſcopus Arelatenſis an. 1721. 142.
Civitatis Avenionenſis votum perpetuum an. 1722. 143.
Epiſcopus Carpentoractenſis. 144.
Breve Pontificium Eccleſiis Monaſteriorum Viſitationis B. V. M. conceſſum. 145.
Officium adorandi Cordis Jeſu ex Breviar. Benedictino. 146.
Officium SS. Cordis Mariæ ex eod. Breviario. ibid.
Libellus ſupplex Sanctimonialium a Viſitatione B. V. M. ad Summum Pontificem Benedictum XIII. 147.
Libellus ſupplex Benedicto XIII. ab Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Epiſcopo Maſſilienſi cum univerſo ipſius Diœceſis Clero porrectus. 149.
Epiſtola Celſiſſimi Epiſcopi Cracovienſis, Ducis Severiæ ad Summum Pontificem Benedictum XIII. 154.
Epiſtola Sereniſſimi Regis Poloniæ ad Summum Pontificem Benedictum XIII. 155.
De Confraternitatibus ſub titulo SS. Cordium Jeſu & Mariæ conſtitutis. 157.

Finis Indicis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google